SANCTI PAULI APOSTOLI SANCTITUDO IN VTERO, EXTRA, IN SOLO, IN...

Claude Dausque

Digitized by Google

R. BIBLIOTECA NAZ. CENTR. VITT. EMAN. II
ROMA
204
5C
32

Digitized by Google

204. f. C. 32

A 111. f. 120 f.

Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTI

Doh. 5. C. 32

PAVLI APOSTOLI SANCTITVDO

IN VTERO, EXTRA, IN SOLO, IN COELO:

Libb. III. decertata

A CLAVDIO DAVSQVIO
Sanctomario Canonico Tornacenſi.

S. Andrea



della Valle.

PARISIIS.
Ex Typographio ÆGIDII BLAISOT.

M. DC. XXVII.

Digitized by Google

Digitized by Google

VRBANO VIII

PATRI SS. PONTIF. MAX.
CHRISTI IESV
PETRI PAVLI APOSTOLOR.
SVCCESSORI IN TERRIS
IMMORTALITVS LECTO
ECCLESIÆ CATHOL. ROM. APOST.
COLVMNÆ ADAMANTINÆ
FIDEI CHRISTIANÆ CONTRA
TVRCOS HÆRETICOS INFIDEL.
MVRO INVERSIBILI
VIRTVTVM CVNCTARVM THESAVRO
S. PAVLVM A DEO ET
CHRISTO IESV
ELECTVM GENTIVM APOSTOLVM
SYNAGOGÆ EXOLESCENTIS DEFVGAM
ECCLESIÆ ADOLESCENTIS DESTINAM
SANCTIFICATVM
NON NATIVITVS ET TANDEM
COELI CONSENTEM
ÆVO BEATO PERFRVENTEM
NEC EGENTEM ORNATI NOSTRI
VOLENTER DEDICABAT DESACRABAT

CLAVD. DAVSQVIVS

SANCTOMARIVS CANONICVS TORNACI.

Digitized by Google

QVOD rex in palatio, ſol in cœlo: hoc Pontifex Max. in mundo: hoc VRBANVS VIII. in orbe Romanae Eccleſiae. Quem quo, niſi D. Hieronymi affabor ore? *Quanquam tui me terret magnitudo, inuitat tamen humanitas: à paſtore praeſidium ouis peto.* Ita ille ad Damaſum: ego ad VRBANVM, quem vrbici decorant mores, praeſidium imploro. Atram ſcelerum ſuorum faciem Paulus oſtentat: duumuiri velant, atque ex nubila ſerenam fingunt. Paulus *miſericordiam conſecutus* Deum magnificat: iſti, dum Pauli negitant crimina, minimum abeſt, quin & miſericordiam Dei in Paulum abiurent. Atque vt Paulum futilibus or-

Digitized by Google

nent coloribus , ſanctificatorum in vtero turmas legunt : inuaſi in primam aciem : quam fortiter, Sª diiudicabit Sanctitas. De ſacro Scripturae armamentario arma procudi : de SS. Patrum ſilua ſu-ros arripui, vallum ieci. Pugnam hanc quia in apertis Eccleſiae campis pugno: VRRANI VIII. nominis vmbra tegi neceſſe habeo, ne cuiuſquam potentia mihi fraudi ſit. Nam vbi ratione non praepoſſunt gigantes, ad vim ſubinde conuolant : ego ad primas infulas , quas Tu rerum geſtarum gloria mirifice ornas, atque amplificas, VRBANE PONT. MAX. Οὐ γὰρ ἐν τῇ καθέδρᾳ ἢ προεδρίᾳ, ἀλλ' ἐν τοῖς ἔργοις, inquit Herodianus. Ne vero rerum tuarum oceano mergar, hoc vnum deli-

bo. Surgebant ponto Chriſtiano motus magni : ne gliſcerent, ne regna regnis colliderentur, diuina ſapientia prouidiſti, fluctus tranquillaſti. Ne renouato belli diluuio ſeculum noſtrum inundaret, velut vaſtiſſima moles occurriſti, interſtetiſti, Reges potentiſſimos amicaſti. Vniuerſi profecto intererat maxime : intererat & Chriſtianae, Catholicaeque rei, cuius columnae Rex Galliae, Rex Iberiae magis infragiles, quam Calpe, & Abyla. Quid ab VRBANI VIII. mente, ac prouidentia non ſperet orbis? quid non debeat? Ego, Pontifex S^me^, me, meáque. eapropter laborum, ac vigiliarum mearum tabulam hanc, tripertitum *de S. Pauli Sanctitudine Commenta-*

Digitized by Google

rium ſupplicue, ac demiſſiſſime ad S^ae^ Sanctitatis pedes affero, quos quo minus praeſens poſſum, voto exoſculor, & votis iteratis Supremum Numen veneror, vt VRBANI VIII. conſilia Eccleſiae bono quotidie naſcentia fauſtos ſortiantur exitus: vt ſublunarem mundi Chriſtiani machinam ſero verſare, ac gubernare deſinat.

S^æ^ Sanctitatis

Seruus humillimus
CLAVD. DAVSQVIVS
CANON.

Digitized by Google

PAVLI APOSTOLI SANCTITVDO IN VTERO, EXTRA,

Libb. III. decertata.

LIBRI PRIMI

CAPVT I.

Culpae initialis virus vireſque. Pag. 1

II.

A Ioanne Baptiſte, & Ieremia ante natiuitatem abſterſa culpa initialis. 7

III.

Quaternio ſanctificatorum in vtero, extra quem id nemini datum. 12

IIII.

Iacobus Patriarcha, Moſes, an in vtero Sancti? 19

V.

Samſon, Dauid an in vtero Sancti? 23

VI.

Iacobus Minor, SS. Nicolas, Dominicus, Aſella, an in vtero Sancti? 26

Digitized by Google

VII.
Ioſephus MARIAE vir ánne in vtero ſanctificatus? 31
VIII.
Paulus Apoſtolus an ſanctificatus in vtero? 39
IX.
S. Pauli olim peccata. 42
X.
Paulus Eccleſiae perſecutor. 46
XI.
Paulus blaſphemus. Quid Blaſphemia. 50
XII.
Quid Zelus. Quid Pauli Zelus. 56
XIII.
Ignorantia an omnem peccati foeditatem diſpulerit a Paulo. 62
XIIII.
Ignorantia illius, qui ſuperiora de Paulo concionatus fuit, an peccato careat? 67
XV.
Quid hoc: Qui me ſegregauit ex vtero matris, I. ad Galatas? 73
XVI.
Cur Paulus labi permiſſus? 78
XVII.
Pauli innocentiae imagines aliae. 83
XVIII.
Auctoris excuſatio. 85
XIX.
Paulus irae purgatus. 89
XX.
Paulus ab imprecatione purgatus. 96
XXI.
Paulus an peccauerit Petrum increpitans? 98
XXII.
Paulus à peccati ſuſpicione liberatus. 110

Digitized by Google

SANCTI
PAVLI APOSTOLI
Sanctitudo ab Vtero.

LIBRI II.

CAPVT I.

SAuli ; Pauli nomenclationes. Item διγραμματία. 118

II.

Pauli vocatio extraria. 125

III.

Lapſus Pauli an ex equo? 129

IV.

Pauli vocatio interanea, ac perfecta. 133

V.

Pauli voluntas in hac conuerſione an coacta? 145

VI.

An Pauli voluntas in conuerſione à Deo praedeterminata? 150

VII.

S. Pauli caecitas. 159

VIII.

Verane Pauli caecitas. Cauſae quaeſitius. 164

IX.

An Pauli comites tunc caeci? An his comitib. Chriſtus inuiſibilis? 170

X.

Paulus Eccleſiae anima. 175

XI.

Pauli ingens animi magnitudo. 180

XII.

Paulus ad beſtias. 185

XIII.

Pauli Stigmata. 191

XIV.

Deteɛtae Pauli blaſphemiae. Quid Κάθαρμα, *ſeu Purgamentum. Quid* Περίψημα, *Peripſema.* 197

XV.

Paulus doctus humanitus, diuinitus. 202

XVI.

Paulus Doctor, Praedicator, Euangeliſtes. 210

XVII.

Cur Paulo credendum prae angelo de cœlo? Pauli item Prophetiae. 221

XVIII.

Pauli Apoſtola. 225

XIX.

Paulus orbis peruagator. 238

XX.

Paulus cur Athenas profectus: deque ignoto Deo pluſcula. 242

XXI.

Pauli *in Hiſpaniam expeditio.* 252

XXII.

Pauli *Epiſcopa.* 258

XXIII.

An Paulus *Virgo? An Inconiugus?* 265

LIBRI III.

Capvt I.

Sancti Pauli *nex.* 268

I I.
Pauli corpus vbi? Anima vbi, niſi seraphinos inter? 273
I I I.
Quid Paulo ſit Anathema. 277
I V.
Mortis tempus an Paulo neſcium fuerit? 287
V.
Paulo Feſtae luces. 291
V I.
Pauli Viſiones. 295
V I I.
Pauli Viſiones trinae. 302
V I I I.
Ad quam harum Viſionum pertineat Pauli Raptus? 310
I X.
Paulúſne diuinam viderit eſſentiam? 319
X.
In corpore, an extra corpus raptus Paulus? 334
X I.
Pauli imagines. Item, cur eius in dextera gladius? 336
X I I.
Pauli in manu Liber, aut Sol cur pingatur. Deque Pauli Epiſtolis. 343
X I I I.
Laudum Pauli breuiaria. 347
X I I I I.
Alia Breuiaria verſibus. 350

S. PAVLI

Digitized by Google

S. PAVLI APOSTOLI SANCTITVDO IN VTERO, EXTRA, IN SOLO, in coelo Libb. III. decertata, aduerſus profanae nouitatis adſertores.

LIBRI PRIMI

CAPVT I.

Culpæ Initialis virus, vireſque.

Αἰεὶ δ' ὁπλοτέρων ἀνδρῶν φρένες ἠερέθονται·
Τοῖς δ' ὁ γέρων μετέῃσιν, ἅμα πρόσσω, καὶ ὀπίσσω
Λεύσσει, ὅπως ὄχ' ἄριστα μετ' ἀμφοτέροισι γένηται.
Mens iuuenum leuior ſemper volitat velut aura:
At quibus intererit ſenior, prægreſſa, ſimulque
Euentura videt: veniant quo proſpera vtriſque.
Eſt enim in iuuenta noui animi vigor, & iuuenilis animus nouarum rerum admirator, aut reper-

Digitized by Google

tor, veterum paene contemtor. Detur huic aetati improuidae in ciuili rerum tractatione venia: vt, ſi peccare non liceat, cum excuſatione liceat errare. Senecta aetas omnis prudentiae promtuarium eſt, à qua pendet iuuentae rectio, & conſiliorum recte inſtituta ratio: ea ſi quid peccat, vere peccat. Diuinis aut ſe non ingerant iuuenes, aut a maiorum legibus ne diſcedant: ſi ſecus, vapulent. Verum, quod teterrimum dementiae genus eſt, aetate prouecta viri, & maturitate graues pronuper reperti ſunt, qui ſapiant infra aetatem, qui Eccleſiae Catholicae ſpreta canitudine malo ſerpentis exemplo ſenectam exuant, & prudentiam; iuuenilem vanitatem induant. Id genus ſunt, quibus antiqua Eccleſiae ſcita retorrida viſa ſunt, & euanida prae ſuorum dogmatum mendaci nouitate: iis vetera deſpuuntur, vt ſua commenta noua rarioris, & arcanae doctrinae ambitione veneant. Colligant omnes vanae aurae ventos: dum ne quid in Eccleſiae maieſtatem committant: dum ne nouorum ſomniorum viſis ſeſe in veri perniciem efferant: ſint ſenes, dum ne Suſannae huius caſtitatem inceſtent. Quid porro aliud agunt, qui ſanctificatorum in vtero agmina aduerſis vniuerſae Eccleſiae ſanctionibus conſcribunt? Quibus repullaſcentis Pelagianiſmi ſementem iacientibus, ne in ſegetem, meſſemque erumpat, vtque oppreſſa ſuffocetur, Eccleſiae petra obiicienda eſt. Omne hominum genus Adami ſemine proſatum Adami macula infici eſt, fuitque ſemper Eccleſiae Catholicae ſenſus: Pelagius ad neminem praeter Adamum culpam eam pertinere perſeuerauit. Hodie, quae noſtri aeui

infelicitas eſt admodum deploranda, duumviri male feriati editis codicibus, & pulpitis perſonantibus obſtrepunt, ſanctificatorum in vtero cohortem legunt, ſingulatim capita dinumerant. O Nouitas! ô hydra! quot ex te haereſeon capita pullularunt? Te non exoriente nulla nota ſit haereſis: aut ſi qua, te occidente, occaſura. Heu! quantum nouitatis inſtar in duumuiris iſtis, qui poſt Iuſtinum, Irenaeum, Chryſoſtomum, Baſilios, Gregorios, Ambroſium, Hieronymum, Auguſtinum, poſt caeteros priſci ſeculi proceres, poſt florentiſſimas toto orbe Academias, poſt vniuerſa Concilia in cauſa fidei nouas opiniones procudere non reformidarunt? Qui & Pelagiani buſti cineres manu temeraria ſpargunt ob Eccleſiae oculos. Et ſi mortalium ingenia, quibus inſitum altum ſapere, ſublimius aequo feruntur nonnunquam; tamen τοῖς θείοις παραχωρεῖν διδαϐοῖς ἂν ἀνδρὸς εἴη, καὶ σώφρονος, inquit Iuſtinus in expoſitione fidei. Eos, ne noxa laxius fundatur, ad Pontificis Max. tribunal vadari aequum eſt, & magna animi, conſtantiaeque prouiſione iam cauendum. Conſtantiae dico: neque enim aequo animo ferent vel ipſimet, vel eorum catuli, vel ferrea fronte patroni. Siquidem duumuiri ſunt vulgi opinione magni; ſed vulgi. Alter compluribus inuulgatis clarus voluminibus, alter in editiſſimo Eccleſiae faſtigio collocatus. Alterius nomen ſilebitur. *Errauerunt in fide*, inquit Diuus Hieronymus, *alij tam Græci, quam Latini, quorum non neceſſe eſt proferre nomina.* Hoc imperium eſt caritatis. ſequamur. Satis enim, ſuperque ſeipſa contenta nuda veritas prodibit. Sic dignitatis, ac modeſtiae meae ratio

Digitized by Google

eſt habenda. Nuſquam maledicta oggerentur, neuter proſcindetur. Candor ſacratum tabularum ipſis obiicietur, ac rationis lux ampla offundetur. Alter nomen ſuum ante mundi oculos proſcripſit. Tandem aggreſſurus fidei, & Catholicae veritatis hoſtem, qui palam in oculis Eccleſiae Romanae praecipiti temeritate in ſacras literas inuolauit, eaſque obtorto collo in affectatae nouitatis patrocinium interpretando contra Conc. Tridentini edicta deprauauit, neceſſe habeo in capita prima totius cauſae fundamenta iacere. Quorum quidem fundamentorum tanta ſemper lux enituit, vt Catholicorum nemo tam hebes fuerit, quin agnouerit: doctrina tam vulgaria, vt imi iuxta, atque ſummi profiteantur: veritas tam obuia, vt qui negat, aut ignorat, ſapientiae nomen deteſtari videatur, vel oblitus Fidei, vt quammitiſſime loquar. Fundamentum veritatis ἀσφαλῶν ponit Apoſtolus ad Rom. c. 5. *Sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccauerunt.* Conſimiliter Tridentina Synodus ſacrarum ſcripturarum, & ſanctorum Patrum, ac probatiſſimorum Conciliorum teſtimonia (ſic ipſa Seſſ. v. loquitur) & ipſius Eccleſiae iudicium, & conſenſum ſecuta, haec de ipſo peccato Originali ſtatuit, fatetur, ac declarat: *Siquis Adae praeuaricationem ſibi ſoli, & non eius propagini adſerit nocuiſſe, & acceptam a Deo ſanctitatem, & iuſtitiam, quam perdidit, ſibi ſoli, & non nobis etiam eum perdidiſſe, aut inquinatum illum per inobedientiae peccatum mortem, & poenas corporis tantum in omne genus humanum tranſfudiſſe, non autem*

& peccatum, quod mors eſt animae, anathema ſit. Diuus Auguſtinus ſerm. 10. de verbis Apoſtoli: *Hoc Eccleſia ſemper habuit, ſemper tenuit, hoc a maiorum fide percepit, hoc vſque in finem perſeueranter cuſtodit.* Prudentius Apotheoſi:

Exin tincta malo peccamine principis Adae
Infecit genus omne hominum, quod pullulat inde,
Et tenet ingenitas animarum infantia in ortu
Primi hominis maculas; nec quiſquam naſcitur inſons.

Ac ne in re luculentiſſima, hominique Catholico cognitiſſima pluribus immoremur, peccati Originarij vlcus homines omnes ex Adamo progeneratos inquinauit. Aliter ſenſit Pelagius, & Pelagianae haereſeos ſtolones diris Eccleſiae deuotionibus abominati, quorum ſpuria dogmata: *Solus Adamus peccauit: Adami poſteritas ab Adami peccato immaculata ſurgit: Cum primulum homo oritur, Adamicae culpae vinculis non implicatur.* Quos decreta iam poſita conuellunt, & deſignatae voces: *Omnes homines: Omne hominum genus.* Sunt enim voces ampliſſimae, quæ homines innumerabiles orbe ſuo complectuntur. Vim tamen ſuam ad Chriſtum Dominum vſque, qui de Spiritu Sancto conceptus eſt, non explicant.

Excipienda quoque perplurimis doctoribus videtur B. MARIA Dei genitrix, *de qua propter honorem Domini nullam prorſus, cum de peccatis agitur, habere vult quaeſtionem* D. Auguſt. lib. de Natura & Gratia. Alij eam infectam fuiſſe initiali culpa opinantur: eodem in gradu collocant Dei Matrem, & Ioannem Antecurſorem Domini, dum ab infectione ante exortum vtrumque mundatum decernunt. At de B. Virgine diſputationem

Digitized by Google

Pontificum ſcita reſcindunt: pareamus. Illud quæramus potius, an aliqui a ſorde primigenij criminis ante natiuitatem adhuc in anguſtiis vteri deliteſcentes mundati ſint: vt deinceps cognoſcamus, an eadem praerogatiua Paulus Apoſtolus ſit exornatus. Noſſe autem *tempora, vel momenta*, quae Pater reſeruauit, cum Chriſtus Dominus Apoſtolis ademit, rerum venturarum intellexit tempora, non iam tranſactarum, quae hiſtoriae cognoſcuntur auxilio, & in quas inquiri fas ſine fraude, ac vanae curioſitatis opinione. Cum vero de S. Paulo quaeſtio eſt, Quando ſit ſanctificatus; cum vniuerſo Theologorum choro ſanctificationem, & iuſtificationem pro vno, eodemque habemus, ac duobus maxime temporibus noſtra omnis inueſtigatio definitur. Paulus enim cum mira illa de coelo oſtenta acciderunt, aut non multo poſt, ſanctitudine a Deo eſt exornatus; aut cum adhuc materni vteri inuolucris attineretur, quae doctrinae nouitas aduerſario placita eſt: in quam ſententiam diſcutiendam, debilitandam, prorſus euertendam omnis hic tractatus, & labor noſter impenditur.

Digitized by Google

CAP. II.

A Ioanne Baptiſte, & Ieremia ante natiuitatem abſterſa culpa Initialis.

IOANNEM Baptiſten cum primum animula corpuſculo indita ſpirare coepit, & Ieremiam lectiſſimos Altiſſimi prophetas peccati primordialis virus infecit. Conformiter poſitae iam Catholicae regulae cuditur haec adſertio. Verum antequam in hanc lucem naſcerentur, an virulentia omnis illa deterſa eſt?

De Ioanne luculentum eſt Angeli ad Zachariam oraculum: *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex vtero matris ſuae.* At Spiritu S. repletus per Adami crimen non poteſt eſſe diaboli mancipium. Infuſus igitur Spiritus S. adnati in Ioanne peccati virulentiam deterſit omnem. *Certiſſime enim ſanctus Spiritus, quem repleuit, ſanctificauit.* S. Bernardi vox epiſtola 174. quod pluribus explicat S. Cyprianus epiſtola 76. *Chriſtum Dominum baptizaturus Ioannes accepit ante Spiritum S. cum adhuc eſſet in vtero matris conſtitutus.* S. Ambroſ. l. 2. c. 3. de Vocat. Gentium: *Ioannes intra Elizabeth matris viſcera ſpiritu S. repletus exultat, & vt nullus inter natos mulierum maior ſit, prius ſentit initia gratiae, quam naturae* D. Auguſtinus ſerm. 21. de Sanctis: *Solius enim Domini, & B. Ioannis dies natiuitatis in vniuerſo mundo celebratur & colitur.* Scitare de eo rationem. Dicet: Quia nati-

uitas eorum ſine peccato. Vlterius Natiuitas ſine peccato: quia in vtero ſancti euaſere. Fuit diſcrimen. Ioannes emundatus a crimine, quo iniecta anima turpificatus: Chriſtus ſemper immaculatus, & *a peccatoribus ſegregatus*. Ioannes Dei beneficentia ſanctimoniae gradum adſequitur: Chriſtus hoc a ſeipſo habet: nec modo, vt non peccet; ſed vt ſit impeccabilis. Ioannes ſanctus κατὰ συμβεβηκὸς, καθ' ὀυσίαν vero Chriſtus. Totus ordo procerum Eccleſiae hanc Ioanni prærogatiuam adſcribit: licet Hipponis praeſul alibi ſubdubitet.

De Ieremiae in vtero ſanctificatione quaeſtio his eſt dedicatiua, aliis abdicatiua, etiam Catholicis. Ieremiam enim aliter, atque aliter interpretantur. *Priuſquam te formarem in vtero, noui te, & antequam exires de vulua, ſanctificaui te, & Prophetam in gentibus dedi te.* Vox enim כרש, non modo *Sanctificare*, ſed etiam *Praeparare*, ac Praeordinare eſt ex vſu, & locutione Hebraeorum. Eſaiae c. 13. *Ego mandaui ſanctificatis meis*, Medis, ac Perſis, a quibus ſanctificatio longiſſime fuit: ſed bello praeparati a Deo, & conſecrati erant. Ierem. 6. *ſanctificate ſuper eam bellum*. Sophoniae c. 1. *ſanctificauit vocatos ſuos* Chaldaeos, quibus Iudaeos more victimae erat obiecturus. Conformiter Chaldaeus interpres in Regiis bibliis ſic reddit ſuperiora: *Antequam venires in hunc mundum, paraui te*. Pagninus: *ſanctificaui te*, vel *Praeparaui* ſecundum Thargum. Sic & Chriſtus Ioannis c. 17. *Pro eis ego ſanctifico meipſum*, id eſt, *Paro me morti*. Fauent huic interpretationi D. Chryſ. in Epiſt. ad Rom. Theodoretus, Elias Cres diſertim, D. Auguſt. Epiſt. 57. ad Dardanum, D. Hieronymus in ſuperiora Ie-

remiae verba, & doctiſſimus Maldonatus non haeſitanter, Toſtatus in c. 13. Iudicum ex occaſione *ſanctificationis* Samſonis iſta ſuccudit: *Sanctificare non accipitur ibi pro Mundare, vel Facere ſanctum, id eſt, impeccabilem: ſed pro diſponere, vel praeordinare aliquid ad aliud: vt ſiquis praeordinatur ad praedicandum, dicitur Sanctificari ad praedicandum.* Poſt: *Et hoc apparet clarius, quod ibi exponitur vnum per aliud. Nam Deus dixit Moſi quod ſanctificaret Iſraëlitas, & ipſe dixit eis: Eſtote parati in diem tertium.* D. Ambroſ. Apologia Dauidis c. 11. *Ideo in quo voluit Dominus nulla huiuſmodi originis eſſe contagia, dicit illi Dominus: Priuſquam te reformarem in vtero matris tuae, & priuſquam exires de vulua ſanctificaui te, & prophetam in gentibus dedi te.* Quae verba nequis in diuerſum ventus rapiat, iunctim accuduntur iſta: *Quis tantus, cui tam multa magna delata ſunt? Nunquid Ieremias? Sed non ille vtique in gentibus propheta propoſitus; ſed in Iudaea tunc temporis*: nunc autem etiam *in nationibus quae in* IESVM *Dominum crediderunt. Vide tamen ne illi dicatur, qui antequam naſceretur ex virgine, iamdudum erat, & erat ſemper, & operabatur in vtero Mariae conſtitutus, & ita ſanctus erat vt ſanctificaret prophetas ſuos, in quo ſolo & conceptus virginalis, & partus ſine vllo fuit mortalis originis inquinamento. Dignum etenim fuit, vt qui non erat habiturus corporeae peccatum prolapſionis, nullum ſentiret generationis naturale commercium.* Loquitur ergo propheta de Chriſto, non de ſe ex mente D. Ambroſij. Quare ex his prophetae Ieremiae ſanctificatio minime confici videtur. Idem conficias ex Macarij Alex. verbis hom. 11. Οὕτω δὴ σῶμα καινὸν, καὶ ἀναμάρτητον, ἕως τοῦ κυρίου, οὐκ ἐφάνη ἐν τῷ κόσμῳ.

Eſtius Academiae Duacenae columna in lib. 4. Sentent. d. 6. ſic concludit: *Quare verisimile non eſt praeter Matrem Domini, & eum, quo inter natos mulierum nemo ſurrexit maior, cuiquam hoc priuilegij diuinitus conceſſum fuiſſe, vt in matris vtero vſque ad originalis maculae purgationem ſanctificaretur.*

Etſi vero diſputationis huius pars dedicatiua vix e Scriptura duci poſſit; ſanctificationem tamen Ieremiae in vtero viri grauiſſimi ſunt amplexi. D. Athanaſ. ſerm. 4. contra Arianos: Πολλοὶ γοῦν ἅγιοι γεγόνασι, καὶ καθαροὶ πάσης ἁμαρτίας. Ἱερεμίας γὰρ καὶ ἐκ κοιλίας ἡγιάσθη, καὶ Ἰωάννης ἔτι κυοφορούμενος ἐσκίρτησεν ἐν τῇ ἀγαλλιάσει ἐπὶ τῇ φωνῇ τῆς Θεοτόκου. D. Hieronymus.

Praefatione in Ieremiam de eo: *Sacerdos ex ſacerdotibus & in matris vtero ſanctificatus.* Idem in Ieremiae c. 23. & in epiſtola ad Marcellam de laudibus Aſellae lib. 1. aduerſus Iouinianum. D. Auguſtini manum, & mentem etſi his ante tuli; tamen eius illa ſunt lib. 1. de Peccatorum meritis, & R. *Alij in vteru matrum, ſicut Ieremias, ſanctificantur.* S. Bernardus ſerm. de priuilegiis S. Ioannis Baptiſtae: *Ieremiae quidem admiranda ſanctificatio: qui etſi in peccato conceptus eſt, naſcitur tamen ſine peccato. Ante enim quam exiret de ventre ſanctificatus eſt. Nec poterat naſci non ſanctus qui in vtero matris erat ſanctificatus.* Tum circumſpecte addit: *Mira res, & a tranſactis ſeculis non audita, hominem conceptum in peccatis naſci ſine peccato.* Antea dixerat *neminem vnquam mortalium intra materna viſcera ſanctificatum legimus praeter Ieremiam, & Ioannem Baptiſtam.* Iterato Bernardus id ſentit, ac docet epiſt. 174. Origenes hom. 1. in Ieremiam, Iſidorus Hiſpalenſis, D. Thomas, D. Bonauentura,

Damianus, Catharinus. Denique communis eſt Patrum, Doctorumque ſententia. Origenes caeteros prophetas non in vtero ſanctificatos vni poſtfert Ieremiae: quia ipſe in eo ſanctificatus. At ſi ſanctificati nuncupatione ſolam ad prophetae, aut praeconis munus obeundum gratiam intellexiſſet, omnes eodem aeſtimatu pariter ad id electi pares fuiſſent, nec caeteris Ieremias antelatus eſſet. Altera ratio, Si ſanctificatio Ieremiae non intimam animae gratiam peccati initialis expultricem deſignaret, fruſtra ſit additum verbo continenti: *Et prophetam in gentibus dedi te.* Si igitur aliae, atque aliae ſunt iſtae prophetae commendationes, *Sanctificaui te, & prophetam dedi:* diuertent quoque propoſitiones quae eas ſignificant, ac vice verſa. Tertio & ſi prioris opinionis auctores Iudaicam vocem recte ſunt interpretati: eam tamen quoque de intranea ſanctitate fas eſt capere. Vox enim polyſema eſt, nec interpretationum ſenſa diſcordant. Potuit pari ad praedicandum gratia imbui: gratia quae aliorum ſanctificationi ancillaretur, & ſuae.

CAP. III.

Quaternio ſanctificatorum in vtero, extra quem id nemini datum.

DE Ieremia igitur verius, ac fere certum eſt fuiſſe in vtero ſanctificatum, inquit in 3. p. D. Thomae Theologiae ſuada Zuarezius : *Soli huic ab orbe condito ſanctitudo contigit vterina, nec prorſus indubitata* : Baptiſtae certiori adſcriptione B. MARIAE certiſſima, Chriſto IESV neceſſaria. Bucerus nouitiae haereſeos repertor *infantes ob diuinam praedeſtinationem in materno vtero ſanctificari* perſeuerauit, nec fidelium, & infidelium diſcrimen appoſiuit. Caluinus hoc inuſitato beneficij genere *credentium filios* ob promiſſionem Abrahamo, & ſemini eius factam exornat. Vterque vaga definitione, nec vtrius ſententia fuſior ſit, aut explicatior, facilis dijudicatio. Bucerus praedeſtinationis metis ſanctificationem in vtero concludit : Caluinus natorum ex credentibus numero. At praedeſtinati multi, qui non ex credentib. naſi : & credentib. nati multi, qui non praedeſtinati. Caluinum pronuper, aut Zuinglium, aut alium quem in ſuo conciliabulo ſecuti ſunt Dordrechtani, quos alia diſputatione fregimus. Horum autem deteſtabili, ac profanae haereſi minimo proximi ſunt interuallo, qui contra hiſtoriae fidem, renutante Scripturae facie ſereniſſima, Eccleſiae magi-

ſtratibus aliorſum tendentibus, ratione, ac Theologia refragante vniuerſa, ſanctificatorum in vtero agmen nobis obtrudunt. Ea fuit Carthagenae viri Maura de gente, ordine Theologi nouitatis affectatio, vt ſi quam propudioſam adſertionem, coniecturam vanam, dubitationem infirmam apud ſcriptores reperiret ſanctificationi quorumdam in vtero fauentem, pro oraculo arriperet, exoſcularetur, venditaret. Scriptores eos dinumerat, vt erroris communione ſe tueatur: Quaſi culpam numerus peccantium minuat, & in perſonis, non in rebus ſit accuſatio. Auditus eſt & in Belgio pari caecitatis, & nouitatis furore ardens concionator, qui in Mauri iſtius veſtigia pede poſito, fixoq. propalam vulgum ea doctrinae faece adſpergere geſtijt. Vetuſtioris igitur teſtamenti tabulis hos adſcribunt ſanctificatos in vtero belli iſti Theologi, Iacobum Eſau germanitate nobilem, Moſem, Samſonem, Dauidem: nouioris Chriſtum, MARIAM Deiparam, Ioannem Baptiſten adumbrate (quia doctrinam vulgo creditam verborum ſuorum faſtigia putant non mereri, vt in retruſioris doctrinae latifundijs latius ſpatiari liceat) expreſſiſſime Ioſephum virum MARIAE, Paulum ſynagogae catulum, Iacobum minorem, Nicolaum, Aſellam, Dominicum. Non diſparem forte numerum propediem nobis exhibebunt eorum, quas enixuriunt, lucubrationes, niſi veritatis lux ipſis lucem inuidebit. Nunc, vt errori ſumma cornua producenti obuiam eatur, ex aureolo libello Vincentij Lirinenſis proponimus fruſtulum hoc: *Annunciare aliquid Chriſtianis Catholicis praeter*

id quod acceperunt, nunquam licuit, nuſquam licet, nunquam licebit. Nouicij dogmatis iuſta haec eſt deteſtatio ad exemplum Pauli cap. 6. ep. ad Timotheum ſcribentis: *Deuitans profanas vocum nouitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiae. Quam quidam promittentes. circa fidem exciderunt,* Quo loco elaudato D. Chryſoſtomi explicatio eſt: Ὅταν γὰρ πίστις μὴ εἴη, γνῶσις οὐκ ἔστιν· ὅταν ἐκ τῶν οἰκείων λογισμῶν τίκτεταί τι, γνῶσις οὐκ ἔστιν. Ἢ τάχα τοῦτό φησι, διότι τινὲς ἑαυτοὺς ἐκάλουν τότε Γνωστικοὺς, ὡς πλέον τι τῶν ἄλλων εἰδότες. Haec ſunt: *Cum enim fides defuerit, cognitio non eſt: cum ex propria ratiocinatione quidpiam gignitur, cognitio non eſt. Aut hoc forte dicit: quia nonnulli per id tempus Gnoſticos, vt caeteris ſcientiores, ſeipſos vocitabant.* In quem Apoſtoli locum ſymbola a Vincentio Lirinenſi iſta. *Poſt haec inueniuntur aliqui tanta inueteratae frontis duritia, tanta impudentiae incude, tam adamantinae pertinaciae, qui tantis eloquiorum coeleſtium molib. non ſuccumbant! tantis ponderib. non fatiſcant! tantis malleis non conquaſſentur! tantis poſtremo fulminib. non conterantur! Deuita, inquit, profanas vocum nouitates. Non dixit Antiquitates, non dixit Vetuſtates. Imo plane quid e contrario ſequeretur, oſtendit. Nam ſi vitanda eſt nouitas, tenenda eſt antiquitas: &, ſi profana eſt nouitas, ſacrata eſt vetuſtas. Et oppoſitiones, inquit, falſi nominis ſcientiae. Vere falſum nomen apud doctrinas haereticorum, vt ignorantia ſcientiae, & caligo ſerenitatis, & tenebrae luminis appellatione fruerentur. Quam quidem, inquit, promittentes circa fidem exciderunt. Quid promittentes exciderunt? niſi nouam neſcio quam, ignoratamque doctrinam.*

Ita dum ſanctificatorum numero ſtudetur, itur in haereticorum dogmata jamjam conuellenda.

Ferunt Theologorum ſcholae ſanctificatos in vtero nullo poſthac lethali contaminari crimine. Alioqui ſanctificatio quam vitae ſanctioris firmitudo comitatur, & gratiae perennitas, fruſtra conferretur peculiari Dei beneuolentia, ſi ſtatim vaneſcere poſſet, eſſet otioſa, & effectu careret. D. Thomae Aquinatis doctrina eſt, p. 3. q. 27. a. 6. *B. Virgini praeſtitum eſt, vt de caetero non peccaret, nec mortaliter, nec venialiter: alijs autem ſanctificatis creditur praeſtitum eſſe, vt de caetero mortaliter non peccarent, diuina eos gratia protegente.* Hoc vero qui creditum? Scriptura gratia ſanctitatis parente Ioannem vel in vtero afflatum teſtis eſt: & illa ipſa, cui ſolenne eſt Sanctorum quoque lapſus Eccleſiae bono publicare, Ioannis lapſus ſilet, quin & virtutes exercitas accumulat. Tamdiu autem probitatis de aliquo alitur opinio, quamdiu de improbitate ſpecimen non ſpecitur, quae Iuriſprudentiae ara eſt. Item confirmati in gratia, ab ea diſceſſionem poſtmodum nunquam faciunt ex receptiſſima Theologorum diſciplina, quam amplectitur Quareſius tom. de Legib. lib. 9. c. 17. Credendum igitur, & cum minime fallaci veri effigie credendum, Ioannem ita coeleſti repletum gratia, vt mortaliter deinceps non peccauerit. Idem de Ieremia in altera opinionum dictat ratio. An autem veniabile delictum in illis nunquam vllum fuerit, mox intelliges ex Auguſtini ſubiecta periodo.

Obſtrepes. Adamo, principi Angelo non diſparem collatam gratiam in foediſſimos tamen ſtatim lapſus eſſe prolapſos. Fatemur, & Scripturae teſtimonio fatemur, quae ſi Ioannis Baptiſtae pro-

lapſionem aperiret, non crederemus eum ſic in gratia corroboratum, poſſet vt deinceps ſemper crimen lethale deuitare. At quamdiu id celat, ei reliquo vitae tenore gratiae conſtantia adſcribenda eſt. Neque vero Adamus, atque Angelus conſiderate ſatis adſerantur in Gratia confirmati: nam ſi hoc ſit, non ita prolapſi ſint. Sed Adamo Θεοῦ προεδρείαν, Dei praeſidium, ſeu aſſiſtentiam addit D. Baſilius M. vbi Deum peccati purgat, dicit & Deum Adamum ſuo texiſſe clypeo, ὑπερασπίζεσθαι: de confirmatione in gratia ne γρῦ quidem. Nec Patres alij diſſentiunt. Tantumdem opinor de Angelo, qui ruit, ſentiendum.

Quae cum ita ſint, niſi de Iacobo, Moyſe, Samſone, Dauide, Ioſepho, Paulo, Nicolao, Aſella, Dominico, Scripturae teſtificationem videro, non credam. Et ſi fidei res non eſſet, niſi ſufficientibus rationibus fuero condocefactus, non perſuadebor: praeſertim cum tres ex hac cohorte grauiſſimis ſceleribus contaminatos fuiſſe ſacra nos doceat pagina, cui obniti, eſt aduerſus torrentem obniti, & cautibus illidi, ſtultitiae, ac haereſeos opinionem non ſine ludibrio emereri velle. At Iacobi, Ioſephi, & caeterorum iſtorum paucorum probroſa peccata ſilet Scriptura. Satis id ſuperque eſt: nam ibi omnes clamat maculatos, etiam in vtero recubantes. Si igitur eximios iſtos in vtero non excipit, ſi non immaculatos pronunciat, nullatenus fides commodanda eſt. Ad abolendam initialem culpam valuit apud vetuſtiſſimas gentes Circumciſio: apud poſteritatem ſacra lauatio: ſed vtraque ab vtero materno diſſeparatis. Ioanni gratia ad id profuit

fuit

Digitized by Google

fuit ſingularia, & extraordinaria adhuc in vtero, omnium confeſſione. At de extraordinaria prope faciunt ordinariam, qui tantam ſanctificatorum nondum natorum multitudinem inuehunt, & nouitatis opinione eruditionis nomen exambiunt, quibus Auguſtinum libro de vtilitate credendi, c. 3. obijcio: *Qui alicuius temporalis commodi, & maxime gloriae, principatúſque gratia falſas ac nouas opiniones vel gignit, vel ſequitur, haereticus eſt.*

Imo vero Iacobus Patriarches, Ioſephus Mariae vir, Nicolaus, & ijs aſſociati, ſimileſque peccaſſe (etſi de peccati pondere nil modo definimus) indubitatum D. Auguſtino libro de Natura & Gratia: Deinde commemorat eos, qui non modo non peccaſſe, verumetiam iuſte vixiſſe referuntur, Abel, Enoch, Melchiſedech, Abraham, Iſaac, Iacob, Ioſeph, Ieſum Naue, Phineem, Samuel, Nathan, Eliam, Eliſaeum, Micheam, Daniel, Ananiam, Azariam, Miſaël, Ezechiel, Mardochaeum, Simeonem, Ioſeph, cui erat deſponſata Virgo MARIA, Ioannem. Adjungit etiam foeminas, Delboram, Annam Samuelis matrem, Iudith, Heſter, alteram Annam filiam Phanuel, Elizabeth, ipſam etiam Domini, ac Saluatoris Matrem, *quam*, dicit, *ſine peccato confiteri neceſſe eſt pietati*. Paucis deinde interſitis: *Hac ergo Virgine excepta, ſi omnes illos ſanctos & ſanctas, cum hic viuerent, congregare poſſemus, & interrogare, vtrum eſſent ſine peccato, quid reſponſuros fuiſſe putamus? Vtrum hoc quod iſte dicit, an quod Ioannes Apoſtolus? Rogo vos quantalibet fuerint in hoc corpore excellentia ſanctitatis: ſi hoc interrogari potuiſſent, vna voce clamaſſent: Si dixerimus, quia peccatum non*

habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. An illud humilius reſponderent fortaſſe, quam verius? Sed huic iam placet, & recte placet, laudem humilitatis non ponere in parte falſitatis. Itaque hoc ſi verum dicerent, haberent peccatum, quod humiliter faterentur: quia veritas in eis eſſet. Si autem hoc mentirentur, nihilominus haberent peccatum: quia veritas in eis non eſſet. Haec Auguſtinus, & Auguſtini Achates D. Hieronymus epiſtola ad Cteſiphontem. Nos in eandem claſſem redigimus S. Nicolaum, S. Dominicum, S. Aſellam, qui ab ordine communis miſeriae ſeceſſionem non faciunt, neque quiſquam id comminiſci poteſt, nec niſi ratiunculis rimoſis affirmare. At Ioſephum etiam à culpa veniali exemtum innuit Carthagena: concionator alter abſque haeſitatione, ſumma cum adſſeveratione pronunciauit, quod ex Auguſtino, & S. Ioanne Apoſtolo perfalſum eſſe vidimus. Et cum D. Thomas iuſtificatos in aluo matris culpa dumtaxat lethali liberet, quo veritatis colore poſſunt illi ſomnia ſua velare? Generatim auctoritate Synodi Tridentinae ſtamus, ſeſſ. 6. can. 23. *Si quis dixerit iuſtificatum poſſe in tota vita ſua peccata omnia, etiam venialia vitare, niſi ex ſpeciali Dei auxilio, quemadmodum de B. Virgine tenet Eccleſia, anathema ſit.* Idem ſtatuitur c. 11. & in Mileuitana c. 8. & 85. D. Bernardus Epiſt. 174. *Ego puto, quod & copioſior ſanctificationis benedictio in eam deſcenderit, quae ipſius non ſolum ſanctificaret ortum, ſed & vitam ab omni deinceps peccato cuſtodiret immunem: quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur eſſe donatum.* Poſtremo vox à D. Thoma aliena. De caeteris ſic ſtatuit D. Auguſtinus ſerm. 10. de

verbis Apoſtoli : *Qui dicit, vel Non ſum peccator, vel Non fui, ingratus eſt Saluatori.*

CAP. IIII.

Iacobus Patriarcha, Moſes an in vtero ſancti?

PRAEMISSA καθολικωτέρᾳ de ſanctificatis in vtero diſputatione, capitatim idem praeſtemus. Hoc eo maiore fiducia molimur, quod Abelum ſanctae Scripturae teſtificatione, atque appellatione cognomento Iuſtum praeteriuere aduerſarij, ac in nouo opere Simeonem Iuſtum, quos adumbrata ratione cum Chriſto Iuſto videri poterant ex cognomenti ſimilitudine iure comparare. Quod indicium eſt non tam eos rationem, aut rationis effigiem contemplari, quam quae alijs dicta obſeruare curioſe, diligenter annotare, neglectim ponderare. Iacobum Patriarcham primipilum agminis ſanctificatorum in vtero ſtatuunt. Si repoſcam a Carthagena rationem, promta parata ratio: Quia Comeſtor c. 66. historiae in Geneſin ſcribit: *Creditur in vtero ſanctificatus fuiſſe Iacob, & in colliſione Infantium praefiguratum, quod non eſſet conſenſus Chriſti ad Belial.* Similiter Dionyſius Carthuſianus in Gen. c. 28. de Iacob : *Maxime cum credatur iuſtificatus in vtero.* Qui cap. 25. D. Auguſtinum in eam ſententiam ducere molitur. Ante

Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim.

Credi hoc igitur volunt aniculis ſcilicet, aut ſenibus deliris: non exacti iudicij Theologis, non ſimpliciori fidelium popello, qui contra Scripturae definitionem, quae ad Rom. 5. *omnes homines* primordialis labis turpitudine inficit, neminem excipiendũ credat, quem non eadem excipiat pagina, & qui quidquid credit, ſic credit, vt credibilitatis ſuae rationem teneat. Alioqui ſi quidquid vlli placitum eſt, fas id aut ex fide, aut pietate credere: fides iam non ab Eccleſiae, aut Pontificis decreto pendebit, ſed ex cuiuſque voluntate, vel adumbrata pietate, aut etiam affectata. At humana credulitate, non fide diuina credi volunt. Nos humanae credulitati ſimulacrum ſaltem veri ineſſe debuiſſe contendimus, aut etiam certam rationem: alioqui fidem iſtam cum ſomnijs comparabimus. Ratiunculae ipſorum imago: quia ſupplantauit fratrem in vtero. Vires puelli iam video, & viribus eum ſupra Eſaü germanum: ſed quaero adhuc ſanctificationem in vtero, nec inuenio. Aſtruunt tamen Ambroſij viri vere diuini auctoritate, cuius etiam dignitatem, & eruditionem ſuſpexit Pelagius, Auguſtinus auxit lib. 4. de fide c. 4. Illatus Arianorum turmis Ambroſius aeternitatem Filij vt firmet, eorumque ineptiuſculas quaeſtiunculas diluat, adſerit filios eſſe antequam naſcantur, atque ex occaſione diſputationis Iacobum Sancti titulo cohoneſtat. Ambroſij verba: *Docebo homines, antequam naſcerentur, fuiſſe. Aut negent*, inquit, *Iacob ſanctum fuiſſe, priuſquam naſceretur.* Vt probet ante fuiſſe, quam naſceretur, addit: *Qui fratrem ſupplantauit in materni adhuc vteri poſitus arcano.* Quod

enim non eſt, ſupplantare quenquam non poteſt. Ex ſubjectioribus quoque verbis idem deprehendas. Ad hunc ergo modum Ambroſij propoſitio reſolui poteſt: *Sanctus Iacob fuit, priuſquam naſceretur.* Non enim de Iacobi ſanctitudine quaerebatur ab Arianis; ſed Filium fuiſſe antequam generaretur, aut naſceretur, incongruens rebantur, quod ex Iacobi hiſtoria demolitur Ambroſius. Dici eſt Bernardi verbo, epiſt. ad Canonicos Lugdunenſes: *Quia ſi praeceßit, vt eſſet, non tamen, vt ſanctus eſſet.* Carthagena ſimile quid in Ambroſij verbis deliteſcere cum animaduertiſſet, noſtrate declamatore circumſpectior ſcripſit: *In ea ferme ſententia eſt Ambroſius.* Apage dubioſum arbitrum. Dic, In ea eſt, aut Non eſt. Certe ſi ferme eſt dumtaxat, in ea ſententia non eſt. Androgyni ferme viri ſunt, non ſunt ἁπλῶς: ijdem ferme foeminae ſunt, nec ſunt. *Metaq; feruidis euitata rotis* ferme tacta erat a currente, nec tacta. Verbo: Omne, quod ferme tale, tale non eſt. Quare nec in ea Ambroſius ſententia. D. Auguſtinus, ne ſupera reſponſio noſtra tantum abdicatiua videatur, epiſtola 57. de Iacobi Patriarchae ſanctificatione dicit nihil: tantum abeſt, vt de eius in vtero ſanctificatione quidquam. Verba: *Habet quidem aliquid ſimile etiam illa in Rebeccae vtero lucta geminorum* (ſcilicet paruulis vt intelligentiae aliquid ineſſe videatur, aut videantur Deum cognoſcere) *verum & hoc vſque adeo prodigium fuit, vt diuinum propterea mulier oraculum quaereret, & audiret duobus illis infantulis duos populos fuiſſe figuratos.* Non autem audiuit Iacobum eſſe in vtero ſanctificatum, quod longe fuiſſet admirabilius. Cum ali-

quid intelligentiae ſimile loquitur Auguſtinus, quid abruptius, diſtortius, infantius, quam eum ſermonem ad ſanctificationem in vtero detorquere? Dionyſius Carthuſianus licet ipſe non vana Molani, aliorumque opinione ſanctus, deluſus eſt ab hiſtoria Scholaſtica, in qua & alij interſtrepunt errores. Vide, Lector, ipſum Dionyſium in c. 25. & 28. Geneſeos. Alij opinamentum hoc ex Gen. c. 48. fulciunt: *Angelus, qui eruit me de cunctis malis.* Nihil agunt. Id enim pertinet ad ſingulariam cuiuſque cuſtodiam per Angelos de mente D. Chryſoſt. tom. 8. ſerm. 7. de ſancto Paulo. Sanctificatis in vtero Moſes aggregatur. Vir profecto magnus, cuius & majeſtas plurimis honorata titulis. Fuit enim Moſes Rex, Legiſlator, Sacrificus, Propheta, Miraculorum opifex, populi dux, rerum diuinarum interpres, Dei ſecretarius, Pentateuchi ſtructor, mente eiuſmodi, vt diuinane eſſet, an humana, an ex vtraque conflata, ſit addubitatum: denique de eo Deus; *Conſtituite Deum Pharaonis.* Exod. 7.

Ἀλλ' οὔπως ἅμα πάντα θεοὶ δόσαν ἀνθρώποισι.

Non idcirco ex his ſingulatim poſitis, aut vniuerſim compoſitis, ſequitur ornamentum aliud particulare, Sanctificatio in vtero. Ephraem, & ipſe Magni nomenclationem ſortitus, ſic adſerit.

Denique hoc de Iacobo opinamentum carere fundamento, ac temerè adſeri pronunciat vir egregius Cornelius à Lapide Commentarijs in Geneſim.

Digitized by Google

CAP. V.

Samſon, Dauid, an in vtero ſancti?

DE Samſonis in vtero ſanctificatione Carthagena: *Samſonem quoque annumerandum illa verba ſuadere quidam putant: Erit enim Nazaraeus Dei ab infantia ſua, & ex matris vtero. Quidam, ἀορίστως.* Ecqui? ediſſere nominatim. Abjurat hanc adſertionem Abulae Antiſtes hac ſubtexta ratione: *Sanctificati in vtero non poſſunt peccare mortaliter, vt eſt doctrina communis: Samſon tamen peccauit ſaepe mortaliter.* Ergo. Ioſephus lib. 5. Antiq. c. 10. Samſonem refert elatum ſuperbia ob victoriam de Palaeſtinis mille caeſis, reliquis fuſis, fugatiſque: cumque eos aſini mandibula tam glorioſe viciſſet, id ſibi tribuiſſe, eamque Dominum animi inſolentiam ardentiſſima ſiti puniſſe, vt ad Dominum recurreret, eumque facti auctorem, perfectoremque tandem agnoſceret. Superbia ferocientis illa eſt exultatio iuuenilis, Iudicum c. 15. *In maxilla aſini, in mandibula pulli aſinarum deleui eos, & percuſſi mille viros.* Ioſephi teſtimonium: *Τὴν δ' ἰδίαν ἀρετὴν ἐπέγραψε τῷ γεγονότι.* Quid Samſonis meretricios amores Gazae commemorem? Quid furtiuos, ſaepiuſque repetitos cum Dalida concubitus? Nec praetereunda legis Iſraëli datae praeuaricatio, qua alienigenarum vetiti congreſſus, ab eo indeuitati. Cum Thamnathaea tamen quod actum, non culpamus; quia diuino priuilegio actum.

At Nazaraeus fuit. Nazaraeus non eſt, quod volunt, *ſanctificatus*. Quod quid ſit, ſi quaeritur, aptior nulla expoſitio, quam quae eſt c. 16. Iudicum: *Nazaraeus, id eſt conſecratus Deo ſum de vtero matris meae.* Non idcirco *ſanctificatus* in vtero, non magis, quam caetera Nazaraeorum turba. Hunc locum aduerſarij ſi ſubnotaſſent, veriſimilius eſſent locuti, quam in collato priore. At neque Scripturam, neque Patres antiquos ruſpantur id genus homines. Conſecratio autem in capillo indetonſo conſiſtebat, in vini, ac ſicerae imbibeſia, abſtinentia a vitis fructu, abſentia ab exſequijs, intactu mortui, inque ſimilibus caeremonijs. Quod pertinacius quis *Nazaraeum ſanctificatum* eſſe contenderit, conſentiam, dum *ſanctificari* mihi *conſecrari* interpretabitur, vti fit Numerorum c. 6. *Vir ſiue mulier, cum fecerint votum, vt ſanctificentur, & ſe voluerint Domino conſecrare.*

Cur ſanctum Dauidem tacitum relinquit ſeu Carthagena, ſeu nuperus in Belgio concionator? An quia rhapſodos ſcriptores pariſſimi rhapſodi volunt, & D. Bernardi lectionem nimis ſuperciliose adſpernantur? Seculo ſuo ſuper Dauidis in vtero ſanctificatione nonnullis dubitatum D. Bernardus adſerit epiſtola ad Canonicos Lugdunenſes: *Videris etiam tu, an & de S. Dauid idipſum liceat opinari pro eo, quod dicebat Deo: In te confirmatus ſum ex vtero: de ventre matris meae tu es protector meus.* Pſal. 70. Item: *De ventre matris meae, Deus meus es tu: ne diſceſſeris à me.* Pſal. 21. Millenis infantuli in vtero ſunt vitae periculis obnoxij (nec eorum intereadum animula innoxia) niſi Deus ſeruet prouidentia ſua catholica, pereant. Dum in lucem

Digitized by Google

quoque effunduntur, aut proxime effundendi praeſentiores eos circumſtant περιστάσεις, a quibus liberatio a Deo eſt: Πάντα γὰρ ἐξευμαρίζει Θεός, ἃ ἂν ἐθελήσῃ, καὶ τὰ δυσκατόρθωτα. Philo de vita Moſis. Et vox Iudaica גוזי, non tam *Protectorem*, quam *Eiectorem* denotat, vt egreſſio de ventre Dei ope perfecta cognoſcatur. Nec praeſidiarias angeli tutani excubias praetermiſerim, quae cum ei a Deo non ſolum natiuitus commendentur; ſed ſtatim ab animato foetu, quod olim in Academia Duacena non parce defenſitauimus, hoc quoque miniſterio Deus infantulorum Deus eſt, & Dauidis. Secundo allegati pſalmi vox ad Chriſtum tota pertinet; quam ſi ad Dauidem Chriſti typum explicaueris, non repugnabo: ſed ad eandem expoſitionem cum priore reuoluetur oratio. Memineris, Lector, horum pſalmorum, cum de S. Pauli in vtero ſanctificatione tractatio erit ex loco Pauli ad Galatas.

Reſpondeo ſecundo ex fundamentali ratione, Dauidem non ſanctum in vtero, non elotum a ſorde culpae proauitae: qui mortiferis ſeſe ſceleribus implicauit. Eccui enim ignota eius rapacitas, ſuperbia, adulterium, homicidium? Maxima paucis impedimenta verbis eloquimur, ſacris libris ſic adſtructa, noſtrae vocis vt non egeant. Profecto ſi Carthagena dignatus eſſet D. Bernardi folia ruſpari, non eum in partes traheret Dauidis in vteri latebris ſanctificatione: id enim aperte reſpuit. Quin & ipſe Dauid fictam laudem vera criminis proauiti confeſſione amolitur pſal. 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum: & in peccatis concepit me mater mea.* Legit Auguſtinus

libro 4. ad Bonifacium: *In delictis peperit me mater mea.* Sic legit etiam Iſidorus Hiſpalenſis lib. 2. de Differ. ſpiritualib. 10. differentia. D. Ambroſ. in Apologia Dauidis c. 8. S. Cyprian. ad Quirinum lib. 3. c. 54. Hieronymus tom. 3. Ambroſius autem in pſal. 118. de Dauide: *Corpus ſuum, quod erat ante limoſum, & coeno haereditariae colluuionis obſtructum, vt oleum ſpiritale recipere poſſet, Chriſto parauit, vt luceat.* Ecquod *coenum haereditariae colluuionis*, niſi peccatum originarium?

CAP VI.

Iacobus Minor, DD. Nicolaus, Dominicus, Aſella an in vtero ſancti?

BIGAS geminas iam ex vetere inſtrumento adornauimus: placet modo quadrigas ex nouo producere. Euge. Iacobo Minori ſunt, qui in vteri conceptaculis deliteſcenti ſanctitudinem adjudicent, & gentiliciae praeuaricationis infamiam depellant. Eorum meminit Antoninus 3. p. Hanc opinionem Hegeſippo tribuunt, cuius verba retulit D. Hieronymus in catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum: *Iacobus de vtero matris ſanctus fuit, vinum, & ſiceram non bibit.* Trahuntur in partes Euſebius Caeſarienſis, Simeon Metaphraſtes in ſermone de hoc Apoſtolo, Petrus Epiſcopus Aguilinus, Thomas de Trugillo. At profecto hiſtorijs, ac ſcriptis recte perpenſis omnes iſti aliud nil vo-

lunt, quam egregie ad Nazaraeorum moremque modumque Iacobi probitatem, ac viuentis ſanctitatem delineari. Atque adeo. vti de S. Nicolao ferunt, adhuc infantem certis per hebdomadem diebus labra non admouiſſe maternis vberibus: ſic Iacobum volunt a primis vitae cunabulis Nazaraeorum ad exemplum Deo conſecratum, ac deinceps idem vitae inſtitutum tenuiſſe. Ab originaria turpitudine adhuc in vtero expiatum, ac inibi ſanctificatum dicit nemo veterum, aut claſſici generis ſcriptorum. *De vtero* vero etiam primos a natiuitate de vtero dies deſignare poteſt.

Aliqui hoc etiam credunt de D. Nicolao, qui natus ſtetit rectus, & de B. Dominico, quia iam in cunis, egrediens lectum iacebat in terra, inquit D. Antoninus. Carthagena, nuperuſque concionator haec verba pro oraculo arripiunt. Quae ſi Antonini fuiſſet, & non aliorum ſententia, ſeu potius opinio, aut vana credulitas, quam ſe magnifice circumſpicerent iſti duumuiri! Cur obſecro non eadem ſanctitatis opinio placuit de Zoroaſtro magiae conſultiſſimo, qui recens natus riſit, teſte Plinio, caeteris mortalibus vitae miſerias ploratu, gemitu, vagitu vociferantibus? Profecto qui ratiuncularum iſtarum vanitate luſi ſunt, hoc vt putarent, proxime a ſtipitibus abſunt. Rem vide, Lector. S. Nicolaus recens natus ſtetit rectus, ſanctificatus ergo eſt in vtero. Peruadamus argumento contrario. S. Dominicus νεογνός non ſtetit rectus: iacebat enim in terra: ergo non fuit in vtero ſanctificatus. Neque hic ſtandum. Ordinem vertamus. S. Dominicus iacebat in terra: ergo in vtero eſt eorum opinione ſanctificatus. Vl-

terius: S. Nicolaus non iacebat in terra: ergo non eſt ſanctificatus. Parcant mihi viri ſanctiſſimi Nicolaus, & Dominicus, ſi non eos vltra verum laudo. Dignitatem eorum tam in excelſo ſitam ſcio, vt mendacijs noſtris minime commendari velint. Neque vero rectum eſſe, aut iacere recens natis ſanctitudinis certa ſunt indicia; ſed indifferentes corporum poſiturae, quas & millenis puellis alijs obtigiſſe non dubitandum abſque vllius rei magnae ſignificatione. Vanae, & nonnunquam ſuperſtitioſae futuri diuinationes iſtae ex poſitu naſcentium, aut natorum. Agrippam naſci putauit antiquitas infauſtum, ac breuis aeui indicium. Quoties diuinationem iſtam fefelliſſe ſcimus? Sic, ergo natus germanis decem ſuperſtes ſum ſexagenarius. Prorſus itaque de huius opinionis adſertore dicendum:

——— *Furit in ſtipula ſine viribus ignis.*

De Aſella Carthagenae penicillum exprimemus: *D. Hieronymus S. Aſellam affirmat in vtero matris ſanctificatam, id referente Card. Baronio in ſuo Martyrologio.* Magni viri nomen obijcitur, cum Baronij. Praetuliſſe tamen Carthagena debuerat ipſius D. Hieronymi verba, & ad fontem recurriſſe. Vicariam ei praeſtemus hanc operam. D. Hieronymus epiſtola ad Marcellam de laudibus Aſellae: *Praetermitto, quod in matris vtero benedicitur ei, antequam naſcatur: quod in phiala nitentis vitri, & omni ſpeculo purioris patri virgo traditur per quietem.* Viſum patri per quietem oblatum futurae ſanctitudinis argumentum non obſcurum eſt. Aliud autem eſt in vtero *benedici*, aliud *ſanctificari*. Sanctificatio, quae diuinum eſt animae ornamentum,

nullam ſecum culpam conſiſtere patitur: benedictio autem, (quae diuinae, aut humanae voluntatis eſt pium in animam deſiderium verbo, aut ſigno extraneo teſtatum) quandoque mundiciem animi praeinuentam conſequitur, nunquam confert, ſi ab homine eſt; rarenter, ſi a Deo. Neq; conferri immundiciem impuris a Dei benedictione putandum, niſi ſignis exteris id ſit teſtatiſſimum. Vt autem Benedictio a ſanctificatione diſpeſcitur, non omnino pugnat cum gratia, & ſanctimonia: gratiam autem animabus refractarijs non elargitur Deus, neque benedictionem peccati expultricem, iuxta illud: *Noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.* Deinde foetus in vtero benedici poteſt, cum a periculo conſeruatur impendente, cum ad ſingulare munus aliquod deſtinatur Dei beniuolentia. Non obſcurum id ex S. Germani geſtatione in vtero, ad quem exſtinguendum mater ictu ſaepius repetito vterum ſilice dura conquaſſabat: cum Deus ſua benedictione eum ſeruaret in vita vel ἀμέσως per ſe, vel Angeli praeſidiaria ope, & ad Epiſcopi Pariſienſium dignitatem eodem tempore, vt antea, deſtinabat. Sic olim rebus magnis, & admirandis Aſellam vel vtero clauſam Deus parabat, ſeu benedicebat.

Scitor praeterea, ſitne Aſella ſacri baptiſmi vndis adſperſa, aut lota ipſa ex Chriſtianis orta? Si negas, crediderim potius in vtero, maledicto impetitam. Terrificat namque iſta Chriſti vox: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Si affirmas, voti nos paene compotes ſumus. Tunc enim quid in ea

ſacramentum operabitur? Indubitanter primarium effectum ſuum producet, Peccati remiſſam: quandoquidem aliunde per ſigna congruentia neſciamus id eueniſſe. Nec interim negitamus iuſtis baptiſmi beneficium conferre poſſe, quod forte Cornelio centurioni datum.

Scitor iterum, cur a Carthagena Baronium tibicinem opinamenti tui nobis nominas! An ab eius ſplendore lucem mutuari artes tuae ſunt? Ampliſſimus, & literatiſſimus Baronius ſexto Decembris Aſellae meminit, & meminit ampliter: at de eius ſanctificatione ne γρῦ quidem. Martyrologij autem, quod nominas, editio mea eſt a Gymnico Coloniae Agrippinae Anno Domini M.DC.III. Quod ſi editiones anteriores id complectuntur, poſteriori iſta retractata, & reuocata videbitur opinatio. Conſueuere enim viri ſapientes quotidie ſeipſis ſapientiores fieri, cum curae ſecundae prioribus ſint meliores, & nonnunquam parum circumſpecte tradita emendant, corrigunt, limant etiam mordacius. Fidem huius faciunt Cratynteria Democriti, quod volumen eſt ἐπικριτικὸν πάντων τῶν χαριέντων αὐτοῦ βιβλίων, inquit Suidas. Idem teſtantur Auguſtini Retractationum libri.

Denique *Benedici* Aſellam, *Conſecrari* Nazaraeos, aut Samſonem, alios *Sanctificari* exorciſmis fieri videtur poſſe. Nam infantes puſilli ante ſanctificationem baptiſmatis ope inuectam, maledictioni ſunt obnoxij, non culpae ſolius; ſed quatenus ſunt ſub poteſtate maledicti Satanae: eximantur, iam benedicti ſunt, conſecrati, & ſanctificati dici poſſunt. In D. Auguſtino libr. 1. de

peccat. meritis, & R. latet neſcio quid non prorſus abſimile: *Quem non moueat*, inquit, *quem non in tanta altitudine exclamare compellat, quod alij paruuli ſpiritu immundo vexantur, alij nihil tale patiuntur, alij etiam in vteris matrum ſicut Ieremias ſanctificantur?* Ecce Spiritu immundo vexari, & Sanctificari inter ſe componit. Sic ergo *benedici*, ac *ſanctificari* potuit Aſella, abacto ſcilicet daemone vel exorciſmis, vel ſuppari aliqua vi. Poſtremo *benedici* Aſellam, eſt ipſam εὐλογίαν, & phialae de vitro nitidiſſimo futuram aequalem praedicari.

CAP. VII.

Ioſephus MARIÆ *vir an in vtero ſanctificatus?*

PRO Ioſephi in vtero ſanctificatione ſtudijs acrioribus velitantur. Decertanda veritas. Gerſon ſermone de Natiuitate B. Virginis: *Sicut decuit, vt virgo ſumma puritate niteret; ſic decuit, vt haberet ſuo modo parem ſponſum puriſſimum, qui cum perpetua virgine virgo permaneret. Vterque regali progenie illuſtris, vterque ſanctificationem in vtero recipiens: cum* MARIA *plena gratia fomitem reprimente manſit Ioſeph repletus gratia peccatum mortale quodlibet ſuperante.* Illephonſus Giron Hiſpanus concione de S. Ioſepho, pari delirio: *Imo aliqui ſatis rationabiliter exiſtimant in vtero fuiſſe ſanctificatum: vt quos diuina bonitas in nuptiarum conſortium eligebat, mutuus amor virginitatis, puritas, & gratiae ple-*

Digitized by Google

nitudo, atque ſanctificatio copularet. Gerſoni conſociat Carthagena Iacobum de Valentia in canticum Virginis, & Echium, cui, inquit, ratio ſuffragatur. Quia ſi Ieremias ad vaticinandum, & praedicandum de Chriſto, & Ioannes Baptiſta ad eum baptizandum, & digito commonſtrandum ſanctificati fuere in vtero materno, non eſt a ratione alienum, vt qui manibus frequenter per multos annos contrectaturus eſſet ſacratiſſimum corpus Chriſti, ſanctus eſſe inciperet ab vtero matris ſuae. Haec ille in concione habita in Concilio Conſtantienſi. Nec mirandum, addit Carthagena, quod D. Ioſephum Dei genitricis ſponſum pie credamus in vtero ſanctificatum, cum & idem ſingulare priuilegium de alijs permultis ſanctis a grauiſſimis auctoribus creditum fuerit. Nubilas iſtas, inerteſque rationes a Carthagena mutuatas inconſultus concionator Belgio ſparſit in vulgum, non voce ambigua, nulla dubitationis ſignificatione, nulla veriſimilitudinis: ſed tanquam ex oraculo, & tripode certiſſima cum adſeueratione pronunciauit, S. Ioſephum, cuius tum natalem celebrabant, ſanctificatum in vtero.

Aedes ruinoſas, & male materiatas qui reconcinnare cogitant, a culmine ſcienter incoeptant: & nos. Extrema Carthagenae verba, *creditum fuit, pie credamus.* Fidei diuinae, & Catholicae ſubeſſe problema hoc nullus dicet. Humana fide credi poſſunt paene incredibilia: ſed non ea fide humana, cui conſtet ratio. Neque vbi defuerit ratio, colendum pietatis nomen eſt, aut ſimulacrum. In re adſimili D. Bernardus ad Canonicos Lugdunenſes: *Libenter glorioſa* [MARIA] *hoc honore*

nore carebit, quo vel peccatum honorari, vel falſa induci videtur ſanctitas. Ante: *Non eſt hoc virginem honorare, ſed honori detrahere.* In Ioſephum, & Carthagenam eadem conueniunt omnia.

At de alijs Sanctis permultis id creditum voluit. Contra pertendit mellitiſſimus, pientiſſimuſque Bernardus: *Paucis filiorum hominum datum eſt cum ſanctitate naſci.* Sed aeui noſtri pietas maiora monſtra alit, ac parturit. Nec praetermittendum iſtam ſanctificatorum in vtero multitudinem, Pelagio, & Pelagianis fauere mirifice. Paſſim in Auguſtini myrothecijs res ea claret. Quid tandem? Baptiſta eſt inibi ſanctificatus, aut Ieremias, aut eorum opinamento alius: ergone Ioſephus vir MARIAE? Cur haec potius valeat conſequentia in Ioſepho MARIAE, quam in Ioſepho Aegypti dominatore? Prima de arte diſputandi rudimenta vetant ex vno ſingulari procedi ad alterum. Toties violantur, quoties vel iſti, vel Iacobus, vel Samſon, vel alius praecipitur ad conficiendam Ioſephi ſanctificationem. Baptiſta ſanctificatus eſt: cur non Carthagena? cur non Belgi noſtri concionator? Par in omnibus eſt conſequentiae vis, hoc eſt, euanida, nulla.

At, nequid temere, rationem ſuccudunt. Quia Ioſephus manibus frequenter per multos annos contrectaturus erat ſacratiſſimum corpus Chriſti. Ratio hauſta de promptuario ebrioli cerebelli, quod cum in Echio animaduertiſſet Romanae Pontifex Eccleſiae, Docta beſtia, inquit. Primulum dico S. Ioannem non ad contrectandum Chriſti verticem in vtero ſanctificatum. Satis,

Digitized by Google

ſuperque ad id ſufficiebat ſanctitas a natiuitate. Tota autem ſanctificationis ratio, eſt voluntas ſanctificantis, cuius arcana conſilia nobis noſſe negatum eſt. Deinde ſi ad Chriſtum manu adulandum repetenda eſt vel ab vtero ſanctimonia, non iam cum permultis, ſed cum millenis, ac millenis ea communicanda ſanctimonia. Viderint ſane in quam ſe conſiliorum voraginem hac aperta via coniecerint. Tunc namque ſanctificandi, aut ſanctificati forent ab vtero omnes ſacerdotes, qui Chriſti corpus attrectant manu. Quid ſacerdotes? In primitiua Eccleſia omnibus Chriſti fidelibus quotdiebus ſolemne fuit Chriſti corpore participare, atque etiam contrectare non ore dumtaxat, dentibus, lingua, labijs, verum & manu domum reportaturis, qui mos ex hiſtoria Eccleſiaſtica pernotuit. Anne igitur iſta fidelium infinitas idcirco fuit ab vtero ſanctificanda? *omnibus* dico Chriſti fidelibus, etiam infantib. quod pateſcit ex D. Cypriano epiſtola de lapſis, & ex D. Auguſtino epiſt. 23. ad Bonifacium.

Nihilominus Cancellarius Pariſinus ſic dictat de filia, de parente, de MARIA, de Ioſepho: *Vterque ſanctificationem in vtero recipiens.* Scimus virum iſtum pro ſeculo doctum habitum plura deliria deliraſſe. Ac ne moremur, legatur liber eius de Abuſibus Eccleſiae, & conſputabis hominem non ſemel.

Eſt tamen in Gerſone hoc loco, quod ſuſpicias. Belgicus declamator nunquam peccaſſe Ioſephum, non lingua (quam de mente S. Iacobi *nullus hominum domare poteſt*) non verbulo inutili,

non cogitatione leuiſſima, nullo prorſus peccato, ne paruiſſimo quidem adſeuerauit. Gerſon animi praeſentioris accuratione: *Ioſephus repletus gratia, peccatum mortale quodlibet ſuperante.* Idq. conforme eſt D. Thomae p. 3. q. 27. a. 6. vti praemonſtrauimus, & D. Bernardo epiſtola 174. *Sed & vitam ab omni deinceps peccato cuſtodiret immunem* [MARIA] *quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur eſſe donatum.* Non igitur Ioſepho, quod ſine mente ſtatuitur. Et cum veriſſime dictet Syneſius epiſt. 67. ad Theophilum: Τὸ μὲν γὰρ ἀναμάρτητον θείας εἰλικρινῶς ἐστὶν καὶ μοίρας, καὶ φύσεως: *Impeccabilitas contra diuinae eſt & ſortis, & naturae.* Nonnihil etiam euidentius Clemens Alexandrinus lib. 1. Paedag. c. 2. non peccare proprium eſſe Dei ſolius (multo id eſt expreſſius illo Demoſthenis: Οὐδὲν ἁμαρτεῖν ἐστὶ θεῶν) ex eo neceſſario conſequitur omnem peccare, & peccato obnoxium eſſe hominem; quod ex manifeſtiſſimis Scripturis ſciunt quantum eſt Theologorum, & docendus eſt iſte concionator, ne cum Pelagianis, alijſque haereticis ſentire videatur. Tertij Reg. c. 8. *Non eſt homo, qui non peccet.* Pſal. 31. *Pro hac* [iniuſtitia] *orabit ad te omnis ſanctus in tempore opportuno.* Danielis 9. *Peccauimus, iniquitatem fecimus.* Matth. 6. *Dimitte nobis debita noſtra*, criminum vtique perpetratorum. Iacobi 3. *In multis offendimus omnes.* 1. Ioan. 1. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Hic poſtremus locus exceptionem non patitur, vti ex Auguſtino de Natura & Gratia praeſtruximus cap. 3. At neque caeteri ſacrarum quoque interpretes literarum, aut ipſae, neminem eximunt: cur

eximitis Ioſephum, o boni? Non exemit Ambroſius in Eſaiam: *Videmus impoßibile eſſe, vt perfecte quis immaculatus eſſe poßit in corpore conſtitutus.* Pelagio pro haereſi damnata objectauit Auguſtinus, Abel iuſtum nunquam omnino peccaſſe, cap. 10. de geſtis Pelagij: Item illud, c. 11. *Ante aduentum Chriſti fuiſſe homines ſine peccato.* De Abelo autem magna contentione ita diſputat S. Auguſtinus contra Pelagianos, qui eum a peccato omni liberabant, in id Scripturae ſilentium rapientes: *Ita nec commemorandum fuit,* inquit, *ſi Abel quamuis merito iuſtus appellatus eſt, paulo immoderatius aliquando riſit, vel animi remiſſione iocatus eſt, vel vidit aliquid ad concupiſcendum, vel aliquando immoderatius poma decerpſit, vel pluſculo cibo crudior fuit, vel cum oraret, cogitauit aliquid, vnde eius in aliud auocaretur intentio, & quoties illi iſta, ac ſimilia multa ſurrepſerint.* Idem exiſtimo de Ioſepho viro MARIAE. Si de illo Pelagiani quaeſtionem commoſſent, & ſapientum opinione tunc peccati liber eſſet habitus, Ioſepho dogmatum ſuorum impietatem fulciuiſſent Pelagiani. At nihil ſciuere Pelagiani prae noſtris aduerſarijs.

Nec diſſimulandum, concionatorem, quem monitu noſtro iutum imus, ſeſe in contradictionis laqueos induiſſe. Nam cum ab omni delicto veniabili, etiam a verbo otioſo, Ioſephum primitus liberaſſet, Ioſepho moribundo affinxit *peccata occulta, & adoleſcentiae peccata:* nec illa facile venia digna: ſed ob quae Ioſephus Angelo praenuncianti deſcenſum in ſinum Abrahae praeproperum, conſcientia peccatorum occultorum, & in adoleſcentia admiſſorum reclamante non ſit

auſus credere. Indubitanter *peccata occulta* peccata ſunt, & apertis, cognitiſque nonnunquam atrociora. adeo vanitate concionator iſte abreptus fuit, vt cum primis vltima non comparauerit.

Imo velut torrens per praerupta exundans impetu ruit, obuia profternit coërceri impotens: ita ille doctrinam iam impugnatam cum praecipitanter effudiſſet, adjecit aeque inconſulto fomitem in Ioſepho extinctum, aut ligatum fuiſſe. Scilicet quia pares veniunt ad aratra iuuenci: ſponſum ſponſa Ioſephum MARIA noluit deteriorem. Sed profecto nimia iſta laus, ac ſupereffluens deterenda eſt. Neſciebat, opinor, B. MARIAM a fomite vindicare, quam edecumatis Theologis arduum ſit. Satis itaque ex anteriori commate, quo Ioſephus ſecundum literarum ſacrarum veritatem peccatoribus annumeratus eſt, Fomitem retinuiſſe, notum iam factum eſt. Nam ſi in eo Fomes fuit in actu ſecūdo ex inclinatione actuali ad peccandum, quanto magis in actu primo? Nihilominus vt in Chriſto perſona diuina non ferebat hoc onere naturam grauari, atque etiam ipſamet natura ſuo ingenio, quod ex Adami ſatu non eſſet progenerata, Fomitem reſpuit: ſic in Ioſepho, qui ſationis Adamicae ramus fuit, Fomes haeſit. A MARIA autem ex praerogatiua matris, ex Dei priuilegio Fomes abſuit. Vos vero docete, cuius indulgentia Fomes in Ioſepho ſit obligatus; cuius potentia extirpatus: Auctorem dignitatis alicuius in id laudate, aut ſilete. In partes noſtras vel inuocatus ſuccurret Thomas de Aquino 3. p. q. 27. a. 3. *Inconueniens*

Digitized by Google

eſſe videtur, quod ante Chriſti carnem, in qua nullum fuit peccatum, caro Virginis matris eius, vel cuiuſcunque alterius fuerit abſque Fomite, qui dicitur lex carnis, ſiue membrorum. Quod de Virgine tradit, conforme eſt eius doctrinae de ſanctificata MARIA in vtero quidem ante exortum, ſed non in ipſa conceptione, quod modo non excutimus.

Dicere praeterea diſcretim Fomitem in Ioſepho ſublatum, vel ligatum, eſt non habentis exactum, quod loquatur, & forte quid Fomes, non intelligentis. Quod ſi Fomitem exſtinctum affirmare in MARIA (quamquam aliter opinentur alij) eſt ſecundum D. Thomam Chriſti dignitati derogare, quid ſi Ioſepho idem arrogari audiret, dicturus eſſet?

Denique addendum Fomitis impediti, aut deſtructi tempus. In vtero? Iam Ioſephi ſanctificationem ab vtero abegimus. Dum ſponſam cepit, dum retinuit, dum circumduxit? quando? Dum natum Saluatorem adorauit, dum Magorum praeſentia puellum νεογέννητον circumſpexit? quando? Quidquid erit reſponſi, diuinationis erit. De tempore iure quaerimus, quia dies Ioſepho ſacer, & natalis feſtinam iſtam concionem excuſſit, & omnis illa ſanctificatorum in vtero turba ea fini excita eſt, vt ex ſingulis nominatis faſtigiaretur bella iſta concluſio: Ergo Ioſephus vir MARIAE ſanctificatus eſt in vtero. Eodem pertinebat de S. Pauli ſanctificatione ſomnium, cui iam nunc ſacrarum literarum faces, rationiſq. lumina offundemus, & ſanctorum Eccleſiae Patrum pondera.

Digitized by Google

CAP. VIII.

Paulus Apoſtolus an ſanctificatus in vtero?

AD ſanciendum Ioſephum iam tum in vtero ſanctum, exemplum de Paulo capiunt. Paulus fuit in vtero ſanctus: ergo Ioſephus. Hanc colluuiarem argumentandi inſcitiam anteriore capitulo deterſimus. Rationem ſuggerunt ex epiſtola ad Galatas c. 1. *Cum autem placuit ei, qui me ſegregauit ex vtero.* Hanc Carthagenae dictatoris ſententiam magiſter equitum excepit, & publica in concione ediſſertauit. Ambo negitant huic obeſſe ſententiae, quod perſecutus fuerit Eccleſiam Dei: quia ipſe inquit: *Ignorans feci.* Audiui. Τί πρότερον, τί δ' ὑστάτιον καταλέξω;

Arma meus capio: ſatis eſt rationis in armis.

Fuga praecipitata Dauidi excuſſerat curam de armis. Petit ab Abimelecho: negat ſibi eſſe praeter Goliathae gladium. Huius auidus Dauid: *Non eſt huic ſimilis alter: da mihi eum.* 1. Reg. 21. Vnde mihi? Ex D. Paulo. Non eſt huic ſimilis alter. Ille contra inimicos ſuos bellabitur hodie, quem ſcimus, quamuis coelitem per viſum, B. Franciſco gladium in manum dediſſe. Prima eſto petitio Pauli manu, 2. ad Epheſ. 3. *Nos aliquando conuerſati ſumus in deſiderijs carnis noſtrae, facientes voluntatem carnis & cogitationum. & eramus natura filij irae, ſicut & caeteri.* Non ſolum aetatis grandiuſculae

peccatis adobrutum ſe D. Paulus dequeritur; ſed & ſe tunc *natura filium irae, ſicut & caeteros*. Natura, ſiue φύσει, ὅτι φύονται, Cum oriuntur, naſcuntur. Quo ex dicto non opinor Paulo mendacium impingendum. *Non enim dicerentur filij irae, niſi iram, id eſt peccatum primiplaſti, qui peccando, Deum ad iram primus in genere noſtro prouocauit, traherent ſeminati*, inquit D. Auguſtinus l. 5. ὑπομνηστικῶν, qui tract. 44. in Ioan. *Si filij irae, filij vindictae, filij poenae, filij gehennae.* Quod ſi Paulus ita de ſe ſentit, ac praedicat; ſi Auguſtinus conſentit, ac pariter explicat: cuius erit oris reniti, & Paulum ab illuuie primi peccati immaculatum pro dogmate ſtatuere ſiue ſcripto, vt Carthagena, ſiue voce, vt bellus ille praeco? Ferrei, impudentis, haeretici.

Paulum praeterea ſacra lauatione lauatum credo D. Chryſoſtomo ſer. 7. de Paulo: Ὁμοῦ δὲ ἀνέβη ἀπὸ τῆς ἱερᾶς τῶν ὑδάτων πηγῆς. Hauſtum id ex Ananiae verbis, & facto. Actor. c. 22. *Baptizare, & ablue peccata tua inuocato nomine ipſius.* Qui ſcis, Anania, in Paulo haerere peccata? ex ingenti fama. Actor. 9. *Audiui a multis de viro hoc, quanta mala fecerit ſanctis tuis in Ieruſalem.* Sciuit etiam ex communi naſcentium onere, neminem ſceleris purum, nec infantem, *cuius eſt vnius diei vita ſuper terram*, vt loquitur Iobus. Paulum eodem aggrauatum onere, cenſet *abluendum à peccatis*, hoc eſt, ab haereditario, & perpetratis. Eſt enim primarius baptiſmatis effectus, haereditarium crimen detergere. Paulus baptizatus eſt: ergo a proauita culpa tunc enituit: non igitur in vteri latebris.

Praeſertim ex D. Thomae doctrina capite tertio a nobis propoſita, qua ſanctificati in vtero

deinceps non peccaſſe, ſaltem mortaliter, affirmantur. Paulum vero grauiſſimis obſtrictum ſceleribus, multa docet Scripturae pagina, & Patrum multa. Ipſemet 2. ad Epheſios 3. *Nos aliquando conuerſati ſumus in deſiderijs carnis noſtrae, facientes voluntatem carnis.* Ad Romanos 7. *Peccatum occaſione accepta per mandatum ſeduxit me, & per illud occidit.* Fuit ergo tempus, quo Paulus peccato ſit occiſus. Ibidem: *Peccatum, vt appareat peccatum, per bonum operatum eſt mihi mortem: vt fiat ſupra modum peccans peccatum per mandatum.* Scilicet haec ſunt facinora gratiae, ac vitae ſpiritualis per ſanctificationem in vtero acceptae. Ita diuinarum literarum aut ignari, aut oſores ſunt, aliter qui ſentiunt, aut docent. Non velat crimina ſua Paulus; & homines inconſulti velis mentitis prioris vitae turpitudinem non ſolum tegere moliuntur, ſed & in vtero ſanctificatum iactare non erubeſcunt. Alibi Paulus *miſericordiam Dei conſecutum ſe*, 1. ad Timoth. c. 1. & alibi, gloriatur: At primarium *miſericordiae* objectum eſt peccatum. Neque vero *miſericordiam conſecutus* eſſet, niſi miſer fuiſſet, & quidem miſer peccando.

Neque vero peccatoribus dumtaxat ſe Paulus aggregat, a quibus iſti eum pro libidine ſua ſegregant: ſed vociferatur *Chriſtum veniſſe peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum*, inquit ad Timoth. At belli iſti duumuiri, quaſi profeſſi ſint Scripturae tabulas exſcindere, primis ſanctorum Paulum, hoc eſt, ſanctificatis in vtero adſociant. Ita dum nouellae doctrinae iactantia docti nomen exambiunt, ignorantiae ſuae fidem manifeſtiſſimam edunt. D. Aug. to. 10. ſer. 9. de verbis

Digitized by Google

Apoſtoli Pauli primatum ſic elucidat: *Ante illum non fuerunt peccatores tot Iudaei? Ante illum non fuerunt peccatores in genere humano? Ante illum in omnib. hominibus non peccato tenebatur Adam? Quid eſt, quorum primus ego ſum? quia omnibus pejor ſum. Ergo peiorem voluit intelligi primum. Quomodo illi in arte primi, ſic iſte in iniquitate primus.* Sermone decimo: *Primum ſe dixit, non peccatorum ordine, ſed peccati magnitudine.* Paucis poſt: *Nemo acrior inter perſecutores: ergo nemo prior inter peccatores.* Radulphus Ardens ſermone quodam de Matthaeo explanans illud Pauli: *Viuit vero in me Chriſtus*, inquit: *Ac ſi aperte dicat: Malitia prior exſtincta eſt in me, & Chriſti gratia viuit in me.* Prius igitur fuit in Paulo malitia, quae cuiuſmodi fuerit, imus partitim explicatum.

CAP. IX.

S. Pauli olim peccata.

NE tumultuariam ineamus pugnam, regiones deſignemus, capita conferamus, certa capiamus arma; ſed de Pauli armamentario. Interea mihi, Paule, ignoſces, ſi per latus tuum, Chriſti IESV gloriam amplifico. Ignoſces, ſi quae ipſemet tu ſcelera tua mundo publicaſti, reſcribo. Tu eorum commemoratione animam tuam IESV ope (quem inuitus amaſti, quem voce conſtantiſſima, & nece honeſtiſſima praedicaſti) a portis mortis ad aeternam lucem fruendam reuocatus gloriaris. Factum tuum

probat Eccleſia ſanctorum, quis improbet, niſi demens? Tanta ſcelera, aut ipſe exaraſti, aut Lucas tuus: ambo a Dei prouidentia χειραγωγούμενοι. Hic quoque dexteram votis tuis commodo; tu dirige. Crimina in Paulo multa agnoſcunt Paulus ipſe, ac Patres. Iſidorus Hiſpalenſis exhortatione ad Poenit. *Paulus fidelis ex infido factus, cunctis caret criminibus, quae impie geſſerat olim.* Iſychius l. 4. in Leuiticum: *Peccauit & Paulus: ſed cum vlcus ſanatum fuiſſet.*

Ordinatior futura eſt acies, ſi dixero primum homicidam fuiſſe Paulum, blaſphemum, Eccleſiae perſecutorem. Lucas Euangeliſta Actor. c. 8. aut 7. ſic interſecantibus alijs: *Saulus autem erat conſentiens neci eius*, Stephani. Inibi Pauluſmet c. 22. *Cum funderetur ſanguis Stephani, teſtis fui: ego adſtabam, & conſentiebam, & cuſtodiebam veſtimenta interficientium illum.* Conſenſus autem ex rationis ac Theologiae dictamine raptat hominem in eiuſdem ſpeciei turpitudinem, in qua haeret, qui in crimine eſt. Planum ex eo: *Qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, iam moechatus eſt in corde ſuo.* Furi conſulens, aut conſentiens, furatur. Mendacium comprobans mentitur. Nullae hic ambages. Interpretatiue autem, non realiter in Stephanum tot ſaxa congeſſit Paulus, quot lapidantium veſtimentis adſeruandis deſtinatus erat. Vnde illa D. Auguſtini ſerm. 1. de Stephano: *Vt tanquam in manibus omnium ipſe lapidare videretur.* Quibus repoſitis in ſermone de conuerſione S. Pauli addit: *Magis ſaeuiens omnes adiurando, quam ſuis manibus lapidando.* Item homil. 15. lib. 50. homil. Ante quoque D. Chyſoſtomus in cap. 22.

Actorum: Οὐκ αὐτὸς ἦν ὁ ἐλαύνων, καὶ οὐκ ἐλαύνων μόνον, ἀλλὰ καὶ μυρίαις χερσὶν ἀναιρῶν τὸν Στέφανον, ὑπερηκόντισεν αὐτοὺς μιαιφονίας χαλεπῆς.

Nec vnius Stephani caput furoris Paulini mucro petebat: Chriſtianorum petebat agmina, Eccleſiam vniuerſam. Actorum nono capitulo: *Saulus adhuc ſpirans minarum, & caedis in diſcipulos Domini, acceßit ad Principem Sacerdotum, & petijt ab eo epiſtolas in Damaſcum ad Synagogas, vt ſi quos inueniſſet huius viae viros, ac mulieres, vinctos perduceret in Ieruſalem.* Ineſt aculeus in primis vocibus: Ὅτι ἐμπνέων ἀπειλῆς, καὶ φόνου. Adhuc a Stephani lapidatione animatior, crudior, inſatiabilis erat lupus, adſpectu trux, *minas ſpirans*, continuam vt eius rabiem Lucas expingat. Sic Poëtarum princeps Iliade 2.
——— Μένεα πνείοντες Ἄβαντες: *Vires ſpirantes* pro virium praeſentaria oſtentatione poſuit. Sic Dionyſius comtiſſimi oris lib. 7. Antiq. Rom. Αὐθαδείας, ἧς πολλῆς ἔπνει τότε. *Inſolentiae, quam frequens ille tum ſpirabat.* Sibyllina pari voce de Nerone:

Δεινὸς ὄφις φυσῶν πόλεμον βαρύν. ———
Immanis ſerpens ſpirans bellum graue. ———

Sic vt paene quoties Paulus ſpiraret, caedem diſcipulorum anhelaret. Lucae penicillus: *Et caedis in diſcipulos Domini.* Hoc ſecundum. Tertium: *Acceßit ad Principem Sacerdotum.* Pedem mouebat? ad vaſtandam Eccleſiam, ad *Principis* Sacerdotum auctoritatem conciliandam, quo graſſaretur impunius, & furioſius lupus rapax. Itus, reditus, ecquae finis? *Et petijt ab eo epiſtolas in Damaſcum ad Synagogas.* Hoc quartum. Eblandiri commendatitias; vt ex hoc velut gradu eius ſaeuitia in Chriſtianorum ceruices incumbat. Vnde quinto ſug-

Digitized by Google

geritr: *Vt ſi quos inueniſſet viae huius viros ac mulieres, vinctos perduceret in Ieruſalem.* Ferre, raptare vinctos, in carcerem dare, Pauli artes, ac ſtratagemata quantis paraſangis diuertuntur ab rebus ſanctificatorum in vtero bene geſtis? Haereamus tantulum in hoc veſtigio. Ipſe Paulus Actor. 22. *Ipſi ſciunt, quia ego eram concludens in carcerem, & caedens per Synagogas eos qui credebant in te. Caedens*, δέρων, hoc eſt, *decorians*. Plut. συμπο. decados 8. c. 6. Τὸ δὲ Καίδερε, δέρειν. Paulus aut aliena, aut ſua manu eos tam valenter flagellabat, vt *decoriaret*. Non id ex lege Iudaïca: legem forte omnem fregit in vitam Chriſtianorum coniurata, & conſpirata mens. Quare *Caedens*, etiam *Occidens* eſt Bedae. Nobis leuius acerbitatem interpretantibus: *Flagellans*. Actor. 5. *Caeſis denunciauerunt, ne loquerentur in nomine IESV*. Vbi nota eſt Chryſoſtomi: Ὅρα μετὰ τόσα μαστίζονται θαύματα. *Animaduerte tot patratis miraculis flagellari.* Scio fuſtuarij apud Romanos nimia acerbitate quandoque ad mortem actos, etiam ex edicto praetorio. Iudaeis lex alia: niſi eam ardentiore vindicta ſupergreſſum Paulum dixerimus. At ſanctas animas non excutimus ſupra Scripturae modum. Lucas autem capitibus quinto, ac viceſimo ſecundo, Δέρειν, pro *Flagellare* vtitur. Tantum autem eſt homicidij crimen, vt vipera de manu Pauli pendente, non in grauioris delicti ſuſpicionem barbaris venerit. Actorum c. 28. *Vtique homicida eſt homo hic, qui cum euaſerit de mari, vltio non ſinit eum viuere.* Supra haec, Actor. 26. *Cum occiderentur, detuli ſententiam.* In *multos ſanctorum* ſuffragij dictione, ſeu ſententiae latione rabiem effudit. Quemuis opprimere, graue parri-

cidium: *ſanctos* Eccleſiae, abominatum, ac deteſtabile. Vidit hoc Auguſtinus l. 1. ad Simplicianum, q. 2. *Quid volebat Saulus, niſi vt inuaderet, & traheret, & vinciret, & necaret Chriſtianos? Quam rabida voluntas? quam furioſa? quam caeca?* D. Chryſoſtomus: Τὸ αἷμα τῶν ἁγίων ἐκχέων. Neque haec Pauli crimina in occulto: ſed propalam notiſſima. Anterius Iudaeos ipſe teſtatur: *Ipſi ſciunt.* Effigiem autem Pauli ſpirantis Ioanni Chryſoſtomo fuiſſe ſcribit Damaſcenus in tertio contra Iconomachos. Metaphraſtes eam Ioannis oculis perpetuo teſtatur obuerſatam.

CAP. X.

Paulus Eccleſiae perſecutor.

MALE ominatis parcite verbis. Horret paene animus, cum Paulum virum ſanctiſſimum glorioſa martyrij purpura renidentem, Euangelij, & gratiae buccinatorem, ingredimur dicere Perſecutorem Eccleſiae, ac in Deum blaſphemum. Male ominatis parcite verbis. Scio ego, ſcio ſanctos, qui veritatis lineam vbique tenuerunt, veritatis demonſtrationem aegre ferre non poſſe. Magis homines vereor, & iniquos rerum aeſtimatores. Quos aduerſum de Auguſtino mutuabor aduocationem, qui in Pelagij geſtis his ſe in Apoſtoli beniuolentia defigit: *Quocirca, o beate Paule, magnae gratiae praedicator, dicam, nec timeam; quis enim mihi minime ſuccenſebit, iſta dicenti, quam tu, qui ea dicenda di-*

Digitized by Google

xiſti, & docenda docuiſti? Paucis poſt: *An hoc me dixiſſe poenitebit? Abſit. Eius enim teſtimonio ab hac inuidia defenſabor: nec me quiſquam vocabit audacem, niſi qui fuerit auſus ipſum vocare mendacem. Ipſe clamat, ipſe teſtatur*, quae propalatum imus, 1. ad Corinth. c. 15. *Ego enim ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus: quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei.* Euge Paule. Tu es maximus Apoſtolorum. Nam ex eo ordine aut nullus, aut vnus in cauo vuluae ſanctus fuit. Haec tua praerogatiua: hoc tuum inter Apoſtolos priuilegium. Hoc decernunt, ſanciunt, iurant laudum tuarum praecones. Ijs tamen contra decreta tua, contra animi tui ſententiam nihil credere mihi deliberatum eſt. Vere igitur ſanctus Bernardus ſerm. 3. de Petro, & Paulo: *Quis non audiuit quanta mala fecerit in Ieruſalem? Nec ſolum in Ieruſalem, ſed & per totam Iudaeam inſaniae ferebatur habenis, vt Chriſti membra laniaret in terris. Denique hac furia vectus ibat.* Tantum aceti ex Bernardi melle exprimi! Ideo notat D. Auguſtinus loco proxime laudato: *Non ſolum nulla ſe habere dicit merita bona, vt Apoſtolus fieret: ſed etiam mala merita ſua dicit, vt Dei gratiam manifeſtet, & praedicet.* Quod ſi Paulum dixeris, vt nonnemo, eorum, qui ad populum concionantur, more, ſeipſum in flagitioſorum hominum turba collocare, Paulum mendacem facies. Scio in Vlpiani commentarijs datum Demoſthenis prudentiae, vt erranti populo annumeraret ſe. Sed generatim id, ac ſine dedecore, aut infamia. Catholicus autem, & Chriſtianus orator, etſi popularibus erratis, ac puſillis ſe poſſit adſpergere reliquis ſimul: non tamen atra peccatorum fuligine vitae

ſuae, & famae candorem. In eos, qui libidinantur, qui vſuris creſcunt, alieno ſanguini inhiant, in atrocia quaeque ſcelera verbi gladium diſtringit. Vis talium in claſſem referre ſe? Aut mentitur, aut verum effatur. At mentiri non ſolum ab ore probi; ſed a concionantis dignitate debet eſſe alieniſſimum. Aut verum effatur, concionantium miſerrimus. Verum, ne quod aedificare molitur, dedecorum ſuorum foeditate commemorata deſtruat, aut gloriolae affectetur inanias, talia ſubticeat neceſſe eſt.

Redeamus ad Auguſtinum lib. 1. contra Iulianum: *Quid enim debebat eidem ipſi Paulo, cum adhuc Saulus perſequeretur Eccleſiam? nonne ſupplicium?* Et ſerm. 17. in lib. 50. homil. *Date mihi merita eius. Si merita quaeris, damnationis ſunt, non liberationis.* Neque damnatio, neq. ſupplicium debetur ſanctificatis in vtero, quod vni culpae debitum eſt: debetur autem Eccleſiam Dei perſequenti, cuius facti conſcientia, ſcripſit 1. ad Galatas: *Supra modum perſequebar Eccleſiam Dei, & expugnabam illam.* Vide in haec D. Hieronymi commentarium. Deſignanda ſingula. Non perſequitur tantum, ſed *ſupra modum*, domito pudore. Vnus in eo modus nullum tenere modum perſequendi, expugnandi, exſtinguendi, euertendi Eccleſiam, ex rerum natura tollendi. Hoc enim valent illa Chryſoſtomi: σβέσαι τὴν Ἐκκλησίαν, καθελεῖν, ἀφανίσαι. Conformiter illi 22. Actorum: *Qui hanc viam perſecutus ſum vſque ad mortem, alligans, & tradens in cuſtodias viros ac mulieres.* Anterius cap. 8. *Saulus autem deuaſtabat Eccleſiam.* Vnam, eandemque rem vocibus ſignificantiſſimis aeque Lucas, aeque Paulus

profitentur.

profitentur. Neutrum pudor tenuit: vtrumque veri amor acuit. Iudaei plurimi, Synagogae plurimae per Iudaeam fuſae, per exteras oras rabie in Chriſtum IESVM ferebantur, eiuſque Eccleſiam: Paulus vnus ardebat, raptabat, ferebat, vaſta dabat inſtar torrentis, inſtar omnium. Paulus his omnibus caput. Chryſoſtom. ſerm. 8. de Paulo: Τὸ δὲ κεφάλαιον τῶν πολεμίων ἦν ὁ Παῦλος. Eapropter neque Apoſtolorum Acta, neque Pauli literae tantas turbas in Eccleſiam Dei excitas a Synagoga (quanquam ab ea) commemorant, quantas a Paulo, qui paene vnus fluctuum iſtorum concitor.

At quia *ſupra modum* perſequebatur Eccleſiam, modum introſpiciamus. Actor. 8. *Per domos intrans, & trahens viros ac mulieres, trahebat in cuſtodiam.* Non oblatos, non forte incurrentes, non ſponte obuios, non accuſatos, non in iudicium actos: ſed fama pro Chriſtianis habitos, quod vnum crimen illis apud gentiles ac tyrannos capitale fuit. Viros viris concurrere alias honeſtum, hac in cauſa tolerabile: Paulum animo ſupra virum etiam in ſequiorem ſexum ferocire, fuit *molle metu*, *mutumque pecus* a rabido lupo inuadi. *Per domos intrans.* Et hoc *ſupra modum* perſequentis eſt, & inſanum in modum perſequentis, ex notatione Chryſoſtomi. Sic feris captandis caua terrarum canes venatici ſubeunt. Neque hic ſtetit, non domos ſcrutari, non omnia excuſſiſſe ſatis fuit furenti; non in vincla dediſſe, aut carcerem: ſed vſque *ad mortem* Chriſtianos eſt perſecutus, Actor. 22. non meditatam, non intentatam, ſed illatam, ſupra cap. 9.

Digitized by Google

Has ob res talis, ac tantus circumlatus eſt Pauli terror, vt impauidae animae eum exhorreſcerent. Ananias, quamuis Chriſti viſo bene animatus eſſe debuerat, fama tamen terroris fit ſegnior, & cum Chriſto diſputat: *Domine, audiui a multis de viro hoc, quanta mala fecerit Sanctis tuis in Ieruſalem. Et hic habet poteſtatem a Principibus Sacerdotum alligandi omnes, qui inuocant nomen eius.* Ananiae vlteriori fiducia opus fuit. Quid Ananiam commemoro? Die Pentecoſtes, quos Spiritus S. aura compleuerat, ad Pauli nomen horrore perfunduntur. Venit Paulus Ieruſalem, Actor. 9. mentemq. animumq. benignum accipit in Diſcipulos; & ipſi a Paulo auerſiſſimi: *Tentabat ſe iungere diſcipulis, & omnes timebant eum, non credentes quod eſſet diſcipulus.* Et hodie, quibus non eſt ſanum ſinciput, credunt eum in vterò ſanctificatum, credunt in vita non peccaſſe Paulum. Somnia, deliria.

CAP. XI.

Paulus blaſphemus. Quid Blaſphemia.

PAVLVS olim Synagogae adſertor, nec in Chriſtum IESVM credebat, nec in eius Eccleſiam. Sed *miſericordiam conſecutus ſum*, inquit; vt *fidelis eſſem*: non ait; *Quia fidelis eram*, notante id D. Auguſtino lib. 1. Retract. cap. 23. Diſertim ipſe Paulus cap. 3. ad Titum: *Eramus enim aliquando & nos inſipientes, increduli, errantes, ſeruientes deſiderijs, & voluptatibus varijs, in malitia, & inuidia agentes, odibiles, odientes inuicem.* Atque

vt tacuiſſet, facta clamant. Vt autem fides cognitionis parens eſt, ac magiſtra; ſic incredulitas erroris, & ignorantiae. Chryſoſtomus ſerm. 3. in epiſt. 1. ad Timoth. Διὰ τοῦτο τὴν ἄγνοιαν ὁμολογεῖ, ἣν ἡ ἀπιστία ἔτικτε: *Ideo fatetur ignorantiam, quam infidelitas pariebat.* Infidelitas igitur ignorantiae mater fuit in Paulo, ignorantia blaſphemiae, blaſphemia zelo efferbuit. Blaſphemiae inde ortum eſſe non obſcure Iudas index eſt cap. 10. *Qui quaecunque ignorant, blaſphemant.* Blaſphemia propritim eſt *Famae laeſura*, vt habetur in Etymologico, vtque ex compoſiti membris noteſcit. Βλάσφημον εἰδὼ εἰπεῖν, inquit Demoſthenes 3. in Philippum. Paulus ad Titum cap. 3. Μηδένα βλασφημεῖν, *Neminem blaſphemare*, verbo, aut conuicio laedere. Quia vero Deus Opt. Max. omnes omnium perfectionum numeros in ſe vnus complectitur; neque precario ab alio, ſed ſuapte natura: maxime vnus rerum omnium famam, gloriamque meretur, in quam qui inuolat, *Blaſphemus* a fide bene initiatis iudicatur. Cuius enim famam, aut nomen non laedet, qui Dei? Peluſiota epiſtola ad Anatolium: Οὐ δὲ βλάσφημος ὁ εἰς Θεὸν ἐξυβρίζων, καὶ εἴρηται, καὶ γενόνται, οὐδεὶς ἠγνόησέ ποτε. Neſtorij *Blaſphemiae* in Eccleſia Graecanica increbruerunt. Cap. 2. ad Romanos: *Nomen enim Dei per vos blaſphematur inter gentes.* Et ἁπλῶς βλασφημεῖν, pro *Deum blaſphemare*. 1. ad Timot. 1. *Vt diſcant non blaſphemare*, μὴ βλασφημεῖν. Ea re Lucianus Suidae, ἐπικληθεὶς βλάσφημος ἢ δύσφημος, ἢ ἄθεος μᾶλλον. Paene igitur aequis frontibus pugnant Εὐδοξία, ſeu Δόξα, & Βλασφημία. Lucae 2. Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ a puris mentibus accinitur. E diuerſo Dei gloriam qui deterunt, adulterant, corrumpunt

verbo, factove, *Blaſphemi* ſunt, & nominantur. Fauet his Ariſtoteles Rhetor. lib. 1. cap. 5. Εὐδοξία δ' ἔστι τὸ ὑπὸ πάντων σπουδαῖον ὑπολαμβάνεσθαι, ἢ τοιοῦτό τι ἔχειν, οὗ πάντες ἐφίενται, ἢ οἱ πολλοί, ἢ οἱ ἀγαθοί, ἢ οἱ φρόνιμοι. *Fama glorioſa eſt ab omnibus bonum aeſtimari, aut tale quid habere, quod omnes appetant, aut multi, aut boni, aut prudentes.* Et de diuina eſſentia, ac bonitate dicit Dionyſius loco laudando proxime: Αὐτὸ πάντα ἐφίεται. Εὐδοξία igitur vt Deo maxime conuenit, ſic *Blaſpemia* directim inuadit. D. Thomae 2. 2. q. 13. a. 1. doctrina eſt, *nomen blaſphemiae importare videri quandam derogationem alicuius excellentis bonitatis, & praecipue diuinae.* Deus autem, vt dicit Dionyſius 1. cap. de diuinis nominibus, eſt ipſa eſſentia verae bonitatis, eſt αὐτοτἀγαθόν. Vnde quidquid Deo conuenit, pertinet ad bonitatem ipſius; & quidquid ad ipſum non pertinet, longe eſt a ratione perfectae bonitatis, quae eſt eius eſſentia. Quicunque ergo vel negat aliquid de Deo, quod ei conuenit; vel adſerit de eo, quod ei non conuenit, derogat diuinae bonitati, *blaſphemus eſt.*

Blaſphemia igitur ex vſu, & diſciplina Theologorum, Deum petit. Paulus autem blaſphemus, 1. ad Timoth. *Qui prius blaſphemus fui, & perſecutor contumelioſus.* D. Chryſoſtomus homil. 3. in epiſt. ad Cor. & ad Timoth. pag. 261. ſcribit haec de Paulo verba: Πολλὴ τῆς βλασφημίας ἡ μανία. *Multa blaſphemiae inſania.* An Paulus in Deum blaſphemias vomuit? Non opinor tantas in illius animo tenebras fuiſſe, vt Dei bonitatem, infinitatem, immenſitatem, immutabilitatem, aeternitatem, omnipotentiam, αὐτοαλήθειαν, αὐτοσοφίαν, ſanctitu-

dinem, prouidentiam, miſericordiam, iuſtitiam mente, verbo, factove detereret, obſcuraret, male tractaret, minus integre crederet, aut minus in Deum afficeretur recte. Melior, diuiniorque Paulo mens, vel ex Tarſenſium ſchola, vel Iudaeorum inibi Synagoga, vel ex Gamalielis ſanctiſſimi, prudentiſſimique magiſtri monſtratis. Imo Paulo vel ante conuerſionem Dei partes, gloriam adſerere ſtudium fuit, etiam in media perſecutionis flamma. *Blaſphemus* igitur in Chriſtum *dicens eum ſeductorem*, inquit Eſtius, Academiae Duacenae lumen: dicens non eum IESVM, non Deum. Hinc illa IESV in Paulum probroſa increpatio, & illecebroſa monita: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Multis locis Auguſtinus, Patreſque alij diſertim ad membra Chriſti orationem accommodant. Lib. 17. de Ciuitate, cap. 9. *Propter quod etiam ipſe de coelo, cum corpus eius, quod ſunt fideles eius, Saulus perſequeretur: Saule, inquit, Saule, quid me perſequeris?* Item tom. 10. ſerm. 1. de conuerſione Pauli: *Non dicebat: Quid perſequeris fideles meos? ſed, quid me perſequeris?* Et tractatu 28. in Ioannem: *Nam ſi ipſi non eſſent membra eius, non diceret Saulo: Quid me perſequeris? Non enim Saulus ipſum, ſed membra eius, id eſt, fideles eius in terra perſequebatur. Noluit tamen dicere Sanctos meos, Seruos meos, poſtremo honorabilius, Fratres meos: ſed Me, hoc eſt, Membra mea, quibus ego ſum caput.* Bona, legitimaq. explicatio haec, rationi, ſacriſque literis congruens, atque hominum moribus. Nam qui regni inquilinos vexat; regem infeſtare dicitur: qui militem, ſtrategum ipſum: qui filijsfamilias moleſtiam obijcit, & patrifamilias. At non per

omnem modum bona. Etenim interrogantis increpatione, & pronunciantis adſeueratione vnus idemque eſt, quem Saulus perſequitur: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Scitatur Saulus: *Quis es, Domine?* Indubium eſt rogare de loquentis perſona. Quare iſte loquens ad Sauli interrogata reſpondet: *Ego ſum IESVS, quem tu perſequeris.* Non ſubjecit: *Ego ſum Eccleſia, Ego ſum membra illa*, quae tu perſequeris: ſed, *Ego ſum IESVS.* Ac ſi dicat: Tu, Saule, omni hora, vbique locorum, Ieroſolymis, Damaſci, in via, in Synagoga me crucifixum negas IESVM, qui ſalutem mortalibus attuli. *Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare.* Mihi non credis: Apoſtolorum aedificationes demoliris: fidem debilitas: Euangelium eneruas. S. Ignatius huic ad literam declarationi viam aperuit epiſtola ad Philadelphos: Σκληρὸν γὰρ πρὸς κέντρα λακτίζειν, σκληρὸν τῷ Χριστῷ ἀπιστεῖν, σκληρὸν τὸ ἀθετεῖν τὸ κήρυγμα τῶν Ἀποστόλων. Ac IESVM de ſe, non de Eccleſia locutum potiſſimum fides ex eo Chryſoſtomi: Τί με διώκεις; τί μικρὸν, ἢ μέγα ἐγκαλεῖν ἔχων ἐμοί; τί παρ' ἐμοῦ ἠδικημένος; Ὅτι τοὺς νεκροὺς ὑμῶν ἀνέστησα; ὅτι τοὺς λεπροὺς ἐκάθηρα; ὅτι τοὺς δαίμονας ἀπήλασα. Haec Chriſti IESV fuere facinora. IESVM igitur Saulus hoc loco dicendus eſt perſecutus eſſe, non membra. Erant hae Sauli in IESVM, in Filium Dei blaſphemiae. Deum igitur Sauli confeſſione agnoſci, coli, praedicari fidei pars fuit. IESVM interim Dei Filium ab eo negari, Saulum fuit eſſe incredulum, ignorantem, blaſphemum. Hoc Antiochenſibus diſſuadebat Ignatius Martyr: Πᾶς οὖν ὅστις ἕνα, καὶ μόνον καταγγέλλει Θεὸν, ἐπ' ἀναιρέσει τῆς τοῦ Χριστοῦ θεότητος, ἔστι διάβολος, καὶ ἐχθρὸς πάσης δικαιο-

Digitized by Google

σιώνης. Paulum tantumnon δακτυλοδεικτεῖ. Haec eſt primaria, legitima, & ad literam verborum Chriſti expoſitio. Altera ſecundaria.

Verum mirari ſubit de aduerſariorum ſententia, cur tantum probri miſellus Saulus non diluat? cur non ceruiculam iactans, & calces non oggerat Chriſto IESV? Sancte IESV, non te perſequor. Is enim ſum, quem tu in vtero matris ſanctificaſti. Is ego ſum, cui tu de ſpiritu oris tui ſanctitudinem inhalaſti tam benigniter, vt lethaliter peccare nequeam. Saltem quidquid actum, ab ignorante actum eſt. Quid me humo affligis? Quid hos oculos mergis tenebris? Quid lucis nimietate lumina mea perdis? Si pecco, ignorantiam excuſa. Si non pecco, ſed in maternis conceptaculis aequaſti me antecurſori tuo: quorſum tantae minaciae, terrores, ludificationes? Nihil horum ille nec auſus, nec voluit: niſi ſi impiamenta ſtetiſſet exaggerare. Fuit & aliud in Saulo blaſphemiae genus, Apoſtolis conuicijs obniti, Eccleſiam deterere, negitare, Synagogam verbis cohoneſtare, Iudaeorum in ea doctrinam extollere. S. Bernardus epiſt. 77. *Si quod praeconi veritatis negamus, contra praeconium veritatis alteri damus; hoc non tantum iniuria, ſed & blaſphemia eſt.* Nec blaſphemijs mente conceptis, ore partis, facto corroboratis Saulus contentus: vt torrens, vt tempeſtas, vt in IESVM, & eius Eccleſiam iuratus, conſpiratuſque, *per omnes Synagogas frequenter puniens eos, compellebat blaſphemare,* Actorum cap. 26. Vincula, carceres, varia mortium genera, tormenta a Paulo intentata, eo ferebantur omnia, vt de Chriſtianorum animis

Chriſtus ab radicibus vſque auelleretur, negaretur IESVS, & blaſphemijs impeteretur. Mollior hic interpres fuit: Lucas voce vſus eſt magis aculeata: Ηνάγκαζεν βλασφημεῖν. Non *compellebam* dumtaxat: etiam *blaſphemandi neceſſitatem afferebam tormentis.*

Neque ij ſoli in IESVM blaſphemi, qui Paulinam rabiem minime ferebant, neque in Iudaeis ſolus Paulus; ſed Synagogae totae. Apocal. c. 2. *Blaſphemaris ab his, qui ſe dicunt Iudaeos eſſe, & non ſunt: ſed ſunt Synagoga Satanae.*

Huius delicti grauitas ex Leuitici cap. 24. cognoſcetur: *Qui blaſphemauerit nomen Domini, morte moriatur: lapidibus opprimet eum omnis multitudo, ſiue ille ciuis, ſiue peregrinus fuerit.* Verum adeo gliſcebat Pauli violentia, vt in zelum erumperet.

CAP. XII.

Quid Zelus. Quid Pauli Zelus.

ZΗλον παρὰ τὸ ζέειν, Zelum ex feruentia dici volunt. Indicinam facit Chryſoſtomus ſerm. de SS. Iuuentio, & Maximino, vbi cum dixiſſet, ζῆλον πεπυρωμένον, καὶ θερμὸν, ſubjecit: Οὕτω γὰρ ἔχειν τὸν Χριστοῦ Θεὸν πόθῳ. Iure merito id volunt. Nam vtvt paſſionem aliquam notificet zelus, in ea eſt feruor, aut comitatur, aut paſſionem accendit. Latine *Zelus*, eſt *Aemulatio* Tullio, & Ariſtotelis interpretibus in Rhetoricis. Vox eſt ambiguae ſignificantiae. Tul-

lius Tuſculan. 4 *Aemulatio autem dupliciter illa quidem dicitur, vt & in laude, & in vitio nomen hoc ſit. Nam & imitatio virtutis Aemulatio dicitur. Et eſt aemulatio aegritudo, ſi eo, quod concupierit, alius potiatur, ipſe careat.* D. Auguſtinus lib. 20. ad Marcell. c. 12. *Sicut enim zelus in bono poſitum eſt, vbi legitur: Zelus domus tuae comedit me*, Pſal. 78. *ita e contrario in malò, vbi dicitur: Zelus occupauit plebem ineruditam.* D. Chryſoſtomus in epiſt. ad Galatas: Ἔστι γὰρ καὶ ζῆλος ἀγαθὸς, ὅταν τις οὕτω ζηλοῖ, ὥστε μιμήσασθαι τὴν ἀρετήν· ἔστι δὲ ζῆλος πονηρὸς, ὥστε ἐκβάλλειν τῆς ἀρετῆς τὸν κατορθοῦντα. Idem tradit Iſidorus Hiſpalenſis in libro Differentiarum. Tzetzes in Heſiodi ἔργα, Ἡ ἀγαθὴ ἔρις καὶ ζῆλος λέγεται· ἡ δὲ φαύλη, φθόνος.

Commode autem *Zelum*, *ſeu Aemulationem* in notiones ſuas partiemur, ſi a cognitioribus ordiemur. Primum itaque Inuidiae flammam *Zelus* accendit. Addatur ſuperioribus Heſychius: Ζηλοῖ, φθονεῖ. Grammatica Major: Ζῆλος ὁ φθόνος, ὁ φλεγμαίνειν, καὶ ἐκκαίεσθαι τὴν ψυχὴν ποιῶν. Horat.

Vrit enim fulgore ſuo, qui praegrauat artes
Infra ſe poſitas: exſtinctus amabitur idem.

Demoſth. Orat. 2. in Macedonem: Ζῆλος, εἴ τις εἴληφέ τι. *Inuidia ſi quis quid acceperit.* Actor. 5. *Saducaei impleti ſunt zelo.* Actor. 13. *Iudaei repleti ſunt zelo*, inuidentia. Niſi ſi mauis, indignatione, ſeu nemeſi acti. Sic Pſal. 72. *Zelaui ſuper iniquos, pacem peccatorum videns.* Vbi interpres ad vnguem, hoc eſt, Genebrardus: *Zelaui, commotus ſum ardenter. Zelus feruor quidam animi propter res indigne factas.* De Zelo, & Liuore Cypriani liber eſt. Iſidor. lib. 2. Syn. ca. 8. *Quid zeli referam ignem? Inuidia cuncta virtutum germina concremat: inuidia cuncta bona ardore pe-*

Digitized by Google

ſtifero déuorat. Item, Ἄζηλοι τελευταὶ τῶν βίων, lib. 2. Dionyſij Halicarnaſſei ſunt *mortes non inuidendae,* non deſiderabiles, infauſtae.

Item pro *Amore torrentiſſimo* Zelus, vulgo Zelotypiam vocant. Chryſoſt. in 2. ad Cor. Ζηλῶ γὰρ ὑμᾶς Θεοῦ ζήλῳ· οὐκ εἶπεν, Ἀγαπῶ γὰρ ὑμᾶς, ἀλλ' ὃ πολλῷ τούτων σφοδρότερον ἦν ἔθηκε. ζηλότυποι γάρ εἰσιν αἱ ψυχαὶ τῶν ἐρωμένων περικαιόμεναι· καὶ οὐκ ἂν ἄλλως τεχθείη ζηλοτυπία, ἀλλ' ἢ ἀπὸ σφοδρᾶς φιλίας. Plutarchus in vita Luculli: Ἴδιον φησι τῆς Ἀκαδημίας ἐξ ἀρχῆς, ἔρωτα, καὶ ζῆλον ἔχειν. Vertas ſic licet: *Erat in eo pridem Academiae amor, & quidem ardens amor.* Ἔρως, καὶ ζῆλος. Tullius: *Illa vitioſa aemulatione, quae riualitati ſimilis eſt, aemulari, quid habet vtilitatis?* Alludit huc D. Auguſtinus in Pſalmum 78. *Nomine Zeli, exactio caſtitatis* [intelligitur] *ne anima legem Domini ſui contemnat, & a Deo ſuo fornicando diſpereat.* Plenius, ac planius tom. 10. hom. 49. *Non dico viris, vt in hac cauſa zelent vxores ſuas. Scio, quia faciunt. Noui. Quis ferat vxorem adulteram, & imperatur foeminae, vt ferat adulterum virum ſuum? O iniuſtitia!* Modico interuallo: *Zelas: non vis, vt ruat illa: time tu, noli ruere.* Ex eo fit, vt quemadmodum ſacra pagina *Fornicari, Adulterari* vſurpat denſiſſime pro ſeceſſione a lege diuina, aut etiam pro *Odio legis*, ac deteſtatione: ſic *Zelandi* nomine legis, ac Dei ardentiſſimum amorem complectatur: immo *Impetum* mentis, ac *Stimulum* ad verae religionis, verique Dei culturam. Hic eſt Eliae thyrſus, Reg. lib. 3. ca. 19. *Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum*: etſi non incongruenter *Iram* ex verborum ſerie interpreteris, de qua proxime. At priorem expoſitionem adamantino clauo figit caput ſecundum libri prioris Machabaeorum:

Digitized by Google

Elias dum Zelat Zelum legis, receptus eſt in coelum. Inibi: *Omnis, qui habet Zelum legis, ſtatuens teſtamentum, exeat poſt me.* Quo dicendi genere non ſegne deſignatur legis deſiderium; ſed inflammata quaedam legis ſartae tectae cupido. Pſalmo 68. *Zelus domus tuae comedit me*, quo ſuper i ad Auguſtinum tomo 9. tractatu 10. in Ioannem. Exodi 34. vbi legimus: *Dominus zelotes nomen eius, Deus eſt aemulator*: D. Auguſt. tom. 4. qq. lib. 2. legit: *Dominus enim Deus zelans nomen, Deus Zelator eſt: id eſt, ipſum nomen, quod Dominus Deus dicitur, Zelans eſt: quia Deus zelator eſt.* Addito: *Dictum eſt enim verbum a tropo metaphora, a zelo maritali.* Dionyſius cap. 4. de diuinis nominibus: Ζηλωτὴν αὐτὸν οἱ τὰ θεῖα δεινοὶ προσαγορεύουσιν, ὡς πολὺν τὸν εἰς τὰ ὄντα ἀγαθὸν ἔρωτα, καὶ ὡς πρὸς ζῆλον ἐγερτικὸν τῆς ἐφέσεως αὐτοῦ τῆς ἐρωτικῆς, καὶ ὡς ζηλωτὴν αὐτὸν ἀποδεικνύντα· ᾧ καὶ τὰ ἐφιέμενα ζηλωτὰ, καὶ ὡς τῶν προνοουμένων ὄντων αὐτοῦ ζηλωτῶν.

Non eſt autem Deus humanae perturbationis vitio zelator, cum ſemper, atque omnimodo incommutabilis ſit, & tranquillus ex ore, ac mente Auguſtini loco proxime dicto, & Chryſoſt. in 2. ad Cor. Καὶ γὰρ ὁ Θεὸς λέγεται ζηλοῦν, οὐχ ἵνα πάθος ὑποπτεύσῃ τις (καὶ γὰρ ἀπαθὲς τὸ Θεῖον) ἀλλ' ἵνα μάθωσιν ἅπαντες, ὅτι δι' οὐδὲν ἕτερον, ἀλλ' ἢ δι' αὐτοὺς ζηλοτυπουμένους πάντα ποιεῖ. Eum vide tom. 6. p. 237.

Tertio, *Zelus* cum ſit, vti produximus, *Feruor*: haut mirum *Iram* eo deſignari, quae Euſtathio, Ζέσις eſt περικαρδίου αἵματος. Ratio ex Baſilio M. Ὀργιζομένοις γὰρ αἱ πλυπήσεως περιζεῖ μὲν τῇ καρδίᾳ τὸ αἷμα, ὥσπερ βίᾳ πυρὸς κινούμενον, καὶ παφλάζον. Irati *ex oculis micat acribus ardor*, apud Lucretium; & in Iliade prima, Agamemnoni ira percito:

Ὅσσε δέ οἱ πυρὶ λαμπετόωντι ἐΐκτην.

Pſalmo 78. *Accendetur velut ignus Zelus tuus.* Genebrardus: *Vehemens ira tua.* Eſaiae 42. *Accipiet armaturam zelus eius.* Ex eo ſubinde vocis vtriuſque ac rei coniugium. Eccleſiaſtici 30. *Zelus, & iracundia minuunt dies.* Ezechielis 16. habes *ſanguinem furoris, & zeli.* Prouerb. 6. *Zelus, & furor viri.* Pſalm. 78. *Vſquequo, Domine, iraſceris in finem? accendetur velut ignis zelus tuus? Effunde iram tuam in gentes, quae te non nouerunt.*

Denique *Zelus* eſt *Aemulatio* proprie dicta, cum quis quae in alio praeclara, bona, & quae in precio ſunt, non inuidet; ſed habere ipſe ſtudet. Quo ſenſu Ariſtoteles lib. 2. Rhet. multa de *Zelo*, quae nobis prudentibus praetermittuntur, ſicut & aliae zeli formae, ne hac in parentheſi nimia de zelo dicamus. Sic 1. ad Corinth. 12. *Aemulamini chariſmata meliora, Feruide perſequimini.* Heſychius: Ζῆλος, μῖμος, μεταδίωκε. 1. ad Galatas 4. Καλὸν δὲ τὸ ζηλοῦσθαι ἐν καλῷ πάντοτε. *Bonum autem aemulamini in bono ſemper.* Quare Ariſtoteles ſuperiori capite: Διὸ καὶ ἐπιεικές ἐστιν ὁ ζῆλος, καὶ ἐπιεικῶν. *Quamobrem & bona eſt aemulatio, & bonorum:* Τὸ δὲ φθονεῖν καὶ φαῦλον, καὶ φαύλων· ὁ μὲν γὰρ αὐτὸν παρασκευάζει, διὰ τὸν ζῆλον τυγχάνειν τῶν ἀγαθῶν· ὁ δὲ τὸν πλησίον μὴ ἔχειν διὰ τὸν φθόνον. Contra Iſocrates ad Demonicum: Μηδένα ζήλου τῶν ἐξ ἀδικίας κερδαινόντων. Haec ſunt: *Ne zelaueris quaeſtum ex iniuria facientem.* Aemulatur quis? exemplum capit de re in altero commendabili, aut optabili: hinc *Aemulari*, eſt *Imitari.* Plautus: *Aemulari quia non licet, inuidet.* Sed modus eſto.

S. Paulus cuiuſmodi *zelo* ictus eſt? ad Galatas

Digitized by Google

decimo quarto : Περισσοτέρως ζηλωτὴς πατρικῶν παραδόσεων : *Abundantius aemulator exſiſtens paternarum mearum traditionum.* Sartas tectas maiorum traditiones diſcupiebat. Hoc oeſtro percitus, quia longe, lateque Eccleſiae nouiter adoleſcentis nomen, & famam ſpargi animaduertebat, in Eccleſiae demolitionem totus incumbebat, ne in nihilum Synagogae prolaberentur. Eadem ſuper re Actor. 22. Ζηλωτὴς ὑπάρχων τοῦ Θεοῦ. Sic tres mei accuratione ſumma editi codices Graeci: tres autem alij Latini non τοῦ Θεοῦ, ſed τοῦ Νόμου. Sic ex vtroque textu intelligis Paulum legis adſertorem acerrimum adſpectu Dei, cui ſe ſeruire perſuaſiſſimum habebat, eumque de eorum numero fuiſſe, de quibus Veritas ait, Ioannis 16. *Venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe praeſtare Deo.* Verum Deum, Hebraeorum Deum, Synagogae Deum altiſſime animo combiberat Paulus; Deum de Deo, Dei Filium IESVM Chriſtum neſciebat, & huius ignoratione in rabiem contra Chriſtum, eiuſque Eccleſiam efferebatur. *Aemulationem* autem Pauli *bonam* vocat D. Ambroſius in cap. 2. epiſt. ad Galatas. Qui *bona?* Reſpondeat: *Audacia conſcientiae, non adulatione cuiuſquam. Videns Deus*, inquit Ambroſius, *aemulationem eius bonam; ſed ſcientiam ei deeſſe.* Nunc ergo de Pauli ignorantia tempus dicere. Quare elidenda negatio ex homil. S. Macarij Alex. 44. vbi de Paulo: Ἐπὶ ζήλῳ Θεοῦ καὶ ἀγνοίᾳ ἐποίει, ὡς ὑπὲρ ἀληθείας ἀγωνιζόμενος οὐ παρεωράθη.

CAP. XIII.

Ignorantia, an omnem peccati foeditatem diſpulerit a Paulo.

PAVLVS ergo *Aemulationem* [ζῆλον] *Dei habebat; ſed non ſecundum ſcientiam*, quod pro ſua prudentia ſcribit ad Romanos, cap. 10. de Iſraëlitis, quibus ſe capite vndecimo annumerat: *Et ego Iſraëlita ſum, ex ſemine Abraham, de tribu Benjamin.* Hoc autem tam blande de Iudaeis ſtatuit Paulus, eorum vt ſeſe infirmitati attemperet: non quod zelus ignorantia comitatus eos perpurgare poſſet, quemadmodum nec ipſum Paulum. Nam Iuſtinus Martyr qu. 108. ad Orthodoxos de loci ſuperioris ſententia ſic pronunciat: Γεγυμνασμένως εἴρηται τῇ τοῦ λόγου συγκαταβάσει, ἀσθενὴς τοῖς ἀσθενέσι γινόμενος, ἵνα κατὰ τὸ εἰρημένον σώσῃ τοὺς ἀσθενεῖς. Immo vero rerum grauioris momenti, quas ſcire debeas, ignorantia, peccatum eſt manifeſtarium. 1. ad Corinth. cap. 14. *Si quis autem ignorat, ignorabitur.* Auguſtini interpretatio iſta epiſtola 102. ad Euodium: *Hoc eſt, improbabitur. Non enim Deus, ſi ad ſcientiam referas, ignorat eos, quibus dicturus eſt, Non noui vos: ſed eorum improbatio hoc verbo inſinuata eſt. Improbatio* vero haec diuini iudicij opus eſt, & aeternae damnationis ſententia. Quare ſecunda ad Theſſalonicenſes, cap. 1. Dei Filius vindex dicitur venturus in die iudicij, *in flamma ignis dantis vindictam ijs, qui non nouerunt Deum, & qui non*

Digitized by Google

obediunt Euangelio Domini noſtri IESV *Chriſti*. Ecce tibi ignorantes aeque cum ſcientibus, ſed per Euangelij tubam imperata non facientibus vindicta infligitur *in flamma ignis*. Quare Auguſtinus lib. ad Valentinum, cap. 3. *Sed & illa ignorantia, quae non eſt eorum, qui ſcire nolunt; ſed eorum, qui tantum ſimpliciter neſciunt, neminem ſic excuſat, vt ſempiterno igne non ardeat, ſi propterea non credidit, quia non audiuit omnino quod crederet: ſed fortaſſis, vt mitius ardeat. Non enim ſine cauſa dictum eſt: Effunde iram tuam in gentes, quae te non cognouerunt*, Pſalm. 78. Quare cum gentibus, ad quas Chriſtus minime venit, quaeque eius aduentu priores exſtitere, infeliciſſime agetur. Nam ſic ſtatuit Auguſtinus tractatu 89. *habere illos excuſationem non de omni peccato; ſed de hoc peccato, quo in Chriſtum non crediderunt, ad quos non venit, & quibus non eſt locutus*. Et concludit eos excuſationem habere poſſe: ſed *non ideo poſſe effugere damnationem. Quicunque enim ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt*, Ad Rom. cap. 2. Adde: *Et quicunque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur*. Tales Iudaei, quibus lex data; talis Paulus, legis prudentiſſimus pro tempore. At Lucae 23. Iudaei videntur excuſabiles, & ore Chriſti excuſati: *Pater, dimitte illis: non enim ſciunt quid faciunt*. Reſpondeo, aliquam haeſiſſe in Iudaeis facti ignorantiam: *Si enim cognouiſſent, nunquam Dominum gloriae crucifixiſſent*, inquit Apoſtolus 1. ad Corinth. 2. Non enim credebant illum eſſe Meſſiam, IESVM, Filium Dei Patris (licet in ſumma luce doctrinae, & miraculorum Chriſti verſarentur) ſed dicentem ſe Dei Filium, mendacem, & blaſphemum arbitrabantur. Ideoque, *excuſa-*

tionem non habebant de peccato ſuo, Ioan. 15. Paulus autem videtur excuſabilis: nam 1. ad Timoth. c. 1. *Miſericordiam Dei conſecutus ſum: quia ignorans feci in incredulitate.* D. Thomas 1. 2. 76. a. 4. *Quidquid eſt ratio remiſſionis peccati, alleuiat peccatum: ſed ignorantia eſt huiuſmodi, vt patet 1. ad Tim. 1. Miſericordiam, &c. Ergo*, inquit, *ignorantia minuit, vel alleuiat peccatum.* Quaerit autem D. Chryſoſtomus, cur & caeteri Iudaei miſericordiam non ſunt conſecuti? Ὅτι οὐκ ἐξ ἀγνοίας, ἀλλὰ καὶ εἰδότες, καὶ σφόδρα ἐπιστάμενοι ἔπραττον, ἅπερ ἔπραττον. At licet ſe *miſericordiam conſecutum* grata animi recordatione Paulus fateatur, quia ignorans fecerit: non ideo ſanctum ſe, aut innocentem dixit, aut in vtero ſanctificatum, quae ſunt aduerſariorum figmenta. Immo *miſericordiam conſequi*, hoc ipſum eſt peccatorem eſſe, & peccata commiſiſſe. Eſt enim peccatum primarium miſericordiae objectum. Neque *miſericordiam* eſſet *conſecutus*, niſi ante miſer fuiſſet, & quidem miſer peccato iniuriarum, crudelitatis, blaſphemiae, aliorum. Deinde concedo per ignorantiam Paulum excuſari a grauiſſimo peccato, non tamen a peccato abſolute, ne quidem a graui.

Verum huic diſputatiunculae vires ſufficiat D. Bernardus, qui miris, veriſſimiſque rationibus ignorantiam deteſtatur, & inſectatur epiſtola 77. ad Magiſtrum Hugonem de S. Victore: *Veritatis proinde teſtimonijs paucis, & manifeſtis manifeſtum mendacium confutetur. Is forſitan, qui adſerit non poſſe peccare per ignorantiam, nunquam pro ſuis ignorantijs deprecatur, ſed potius Prophetam irrideat deprecantem, & dicentem: Delicta iuuentutis meae, & ignorantias*

meas

meas ne memineris, Pſal. 24. *Forſitan & reprehendet Deum, exigentem pro peccato ignorantiae ſatisfactionem. Loquitur enim in Leuitico ad Moſem*, cap. 4. *Anima, ſi peccauerit per ignorantiam, feceritque vnum ex his, quae lege Domini prohibentur, afferet arietem immaculatum de gregibus Sacerdoti, iuxta menſuram, aeſtimationemque peccati. Et rurſum: Qui orabit pro eo, quod neſciens fecerit, & dimittetur ei; quia per errorem deliquit in Domino. Si ignorantia nunquam peccatum eſt; cur dictum eſt in epiſtola ad Hebraeos*, cap. 9. *quia in ſecundo tabernaculo ſemel in anno ſolus Pontifex intraret, non ſine ſanguine, quem offerret pro ſui, & populi ignorantia?* Quibus ita generatim poſitis, ſic in aduerſarios fidei, & veritatis infertur: *Si peccatum ignorantiae nullum eſt: non ergo peccauit Saulus, quod perſecutus eſt Eccleſiam: quoniam quidem ignorans hoc fecit, manens in incredulitate. Bene itaque faciebat, quod erat blaſphemus, & perſecutor, & contumelioſus, quod erat ſpirans minarum, & caedis in diſcipulos Domini; in hoc ipſo quippe abundanter aemulator exſiſtens paternarum ſuarum traditionum. Non ergo debuit dicere: Miſericordiam conſecutus ſum: ſed, Mercedem recepi: quippe quem ignorantia a peccato reddebat immunem, inſuper & aemulatio remunerabilem iudicabat. Si, inquam, ignorantia nunquam peccatur: quid ergo cauſamur aduerſus occiſores Apoſtolorum, quia quidem non ſolum malum eſſe neſcierunt interficere illos: ſed inſuper quoque id faciendo arbitrati ſunt obſequium ſe praeſtare Deo?* Ioan. cap. 16. *Sed & fruſtra in cruce Saluator pro ſuis orabat crucifixoribus, quippe neſcientibus, ipſo teſte*, Luc. cap. 23. *quid facerent, & ita nequaquam peccantibus? Neque enim fas eſt vllatenus ſuſpicari mentitum fuiſſe Dominum IESVM, aperte perhibentem eos ignorare quid facerent.*

Alexander Halenſis aliter opinatur qu. 129. membro 7. quaerens, an ignorantia excuſet a peccato? *Ignorantia, quae non excuſat a toto; ſed a tanto, quae fuit in Apoſtolo Paulo. Arbitrabatur ſe obſequium praeſtare Deo, legis aemulator exſiſtens: & ideo peccatum eius veniale fuit, cum ad miſericordiam confugit, licet eſſet in genere mortalis.* Veniale: hoc eſt, *veniam conſecutū eſt.* Claudamus cū Molina in Cōcordia Diſput. 11. *Dicendum namq. eſt eos lethaliter peccare, non ſolum, ſi dum gratia praeueniuntur, & interius vocantur, vocationi non conſentiant, fidem amplectendo, adſenſumve illius eliciendo: ſed etiamſi, antequam gratia praeueniantur, ſua nequitia Euangelio contradicant, aut attendere non velint ad ea, quae proponuntur, reſque tanti momenti, ex quibus pendere ipſorum, caeterorumque hominum ſalutem edocentur, expendere non velint; vt veritate comperta, ſaltem ex ſuis naturalibus viribus conentur Euangelicae doctrinae adſentiri; ad quae omnia cum ſolo concurſu Dei generali libertatem arbitrij habent.* Non ex hoc numero Saulus. Imo etiam magis: quia fax ipſe, & caput creſcentis in Eccleſia ſeditionis. Sicut vero in re militari belli ius, rectumque militum ſingulos noſſe nihil eſt neceſſe: at in belli principes, auctores, & capita redundat tota bellorum, vaſtationum, caedium, rapinarum iniuria, & dijudicatio: ſic innocentiae Chriſtianae ſanguis, Eccleſiae deuaſtatio, tota denique funeſtiſſima iſta ſcena a Paulo erat tanquam a capite, & ratio, ſcientia, cognitioque repoſcenda: quam ſi ignorauerit, etiam ignorantia ipſi peccatum fuit, cui alia, atque alia ſcelera coaceruata ſunt. Tantum abeſt, vt ignorātiae velo obnubi queant tam immania facinora.

Digitized by Google

CAP. XIIII.

Ignorantia illius, qui ſuperiora de Paulo concionatus fuit, an peccato careat?

PROVIDE Timotheum Paulus commonefecerat epiſt. 2. cap. 2. *Solicite cura teipſum exhibere Deo operarium inconfuſibilem, recte tractantem verbum veritatis.* Alioqui auerſi a recta tractatione *verbi veritatis, conuerſi ſunt in vaniloquium: Volentes eſſe legiſdoctores, non intelligentes neque quae loquuntur, neque de quibus affirmant.* 1. ad Timoth. c. 1. Quod alicui eueniſſe animaduertentibus domeſticum dolorem inurit, & inteſtinam συμπάθειαν ſincera praeſcribit caritas, non ſannis agit. Eadem tamen caritas, ne doctrinae primae ſuboles in plurium perniciem adoleſcat, ſumma accuratione praecauet, & publico bono conſulit; licet cum vnius, alteriuſve dedecore. Eſto, ſacerdos praui doctor, & increpandus, & dedocendus eſt. Hoc libro ſecundo de viſitatione infirmorum legimus inter Auguſtini opera, cap. 7. *Melius eſt quoque ignorantiae Presbyterorum conſulere, quam ignorantes in ignorantia ſua incaſtigatos remanere.* Poſt pauca: *Multorum ſiquidem eſt vocari Sacerdotes: ſed non eſt omnium eſſe Sacerdotes.* Quod conſilium non abhorret a Pauli inſtitutis ſupra: ἵνα παραγγείλῃς τισὶ μὴ ἑτεροδιδασκαλεῖν. Timotheo ſic praecipit: *Vt denunciares quibuſdam, ne aliter docerent.* Aliter mihi, tibi. Quibus? Vtique Sacerdotibus, & Doctoribus,

quorum eae partes. *Aliter docere* vocat Ioannes oris aurei, παραχαράγματα, καὶ παράσημα δόγματα. A quibus Chriſtianũ praeconẽ officij ratio longe ſummouet: *Labia enim Sacerdotis cuſtodient ſcientiã, & legẽ requirent ex ore eius.* Malach. c. 2. Verũ vbi pro ſcientia regnat ignorantia, pro veritate hypocriſis, pro officio officij ſimulatio: quomodo a Sacerdote *legem requirent* gentes, veritatem animae per lauationem ſacram Deo ſacratae? quomodo debitum impetrabunt officium mentes ad Deum iturae? Si loquatur Sacerdos ignorantia hebes, *caecus caeco*, miſeroque popello *ducatum praebebit, & ambo in foueam cadent*, & deploratiſſimam ruinam. Forte negabunt Sacerdotes officij ſui eſſe populum docere, ſuamque ignorantiam nulli officere, non verebuntur affirmare. Cauſentur hoc, qui vagas ſolitudines colunt, quos arctant clauſtra coenobiorum. Eadem iactare Sacerdotes, quibus tanta animarum cura incumbit, vt non niſi pro ouibus oppigneratam animam trahant, ſummum nefas eſt. Diſcant tandem quanta curarum, & officij pondera ſubiuerint, ſi forte ſe aut impares, aut imparatos vel officio intruſerint, vel populo impoſuerint. Concilium Lateranenſe ſub Leone X. mandat omnibus Sacerdotibus, qui docendi, ac praedicandi *onus ſuſtinent, quique in poſterum ſuſtinebunt, vt Euangelicam veritatem, & ſanctam Scripturam iuxta declarationem, & interpretationem, & explanationem Doctorum, quos Eccleſia, vel vſus diuturnus approbauit, legendoſque hactenus recepit, & in poſterum recipiet, praedicent, & explanent: nec quidquam eius proprio ſenſui contrarium, aut diſſonum adijciant: ſed illis ſemper inſiſtant, quae ab ipſius ſacrae*

Digitized by Google

Scripturae verbis, & praefatorum Doctorum interpretationibus rite & ſane intellectis non diſcordant. Scilicet concionator iſte, cui verba facere de iure competit, cum Apoſtolum Paulum ab omni ſcelere vociferatus eſt immunem, non παράχαραγμα pro vero dogmate publicauit? Clamat Lucas, Act. 8. *Saulus autem erat conſentiens neci eius*, Stephani. Concionatoris reclamat echo diſcordioſa: *Saulus nunquam peccauit.* Tunc ſcilicet ſanctam Scripturam iuxta declarationem, interpretationem, & explanationem Doctorum Eccleſiae eructatus eſt. At mihi perſolum vnum cede de Graeciae proceribus Doctorem, aut de Latio claſſicum auctorem, cuius de mente Paulus nunquam peccauit. Scilicet error huiuſmodi *proprio Scripturae ſenſui non eſt contrarius, aut diſſonus.* Error eſt: haereſis eſt exertis cornibus in prominentes Scripturae artus violenter inuadens. Inuaſit & iſte concionator hiantibus faucibus in Concilij Tridentini majeſtatem. In eo, ſeſſion. c. 25. decretum de Purgatorio ſic edicit: *Apud rudem vero plebem difficiliores, ac ſubtiliores quaeſtiones, quaeque ad aedificationem non faciunt, & ex quibus plerumque nulla fit pietatis acceſſio, a popularibus concionibus ſecludantur.* Quorſum apud mulierculas, mentis infirmioris ſexum (quae concionis prima pars fuit) quorſum tanto ambitu Pauli iuſtificationem nondum ſecundinis exuti proponere? Ea quidem apud ſemidoctos quaeſtio *nec difficilior, nec ſubtilior* (hactenus Tridentini Patres ignoſcant) ſed *ad aedificationem non facit:* ſed *ex ea nulla pietatis acceſſio*: quare *a populari*, ac muliebri *concione ſecludenda* fuit: quare praedicatione illi interdicendum ex ſententia eiuſdem Triden-

tini, ſeſſ. 6. c. 2. *Si vero, quod abſit, Praedicator errores, aut ſcandala diſſeminauerit in populum, etiamſi in monaſterio ſui, vel alterius ordinis praedicet, Epiſcopus ei praedicationem interdicat*. Publice autem declamitare de cathedra, Paulum in vtero ſanctificatum, nunquam peccaſſe, conſenſum eius in caedem Stephani, ac aliorum, perſecutiones, blaſphemias non eſſe peccata, quantum offenſionis animis veritate imbutis obtulit? quantum apud foeminas, aniculas, aut iuuenculas ſcandali offudit? Nec ſcandalum ex opinione vulgi definio ſtuporem illum in auditorum animis contractum, aut indignationem animorum, aut querimonias murmurantium: ſed verum ſcandalum, cum exemplo deterioris facti alij in idem, aut in deterius ruunt. Pariat iſta nominis, & gloriolae ambitio parem in alijs Doctoribus rara, ſiue abſurda praedicandi aemulationem: non quilibet quidlibet effutiet? Non error errorem, haereſis haereſim procreabit? Tametſi *haereſes praedicauerit: contra eum ſecundum iuris diſpoſitionem, aut loci conſuetudinem procedat: etiamſi Praedicator ipſe generali, vel ſpeciali priuilegio exemtum ſe eſſe praetenderet*, Trident. ſupra. Hi ſunt fraeni, quib. Patres, qui Tridentum coiuere, concionatorum cohibent inſolentiam, immodeſtiam, ignorantiam, ardores inconſultos ſe, non Chriſti crucem praedicandi. Popularis aurae vilia mancipia!

De mendacijs iſtarum propoſitionum quid dicam? Magni Oratoris libro de Vniuerſitate verba: *Itaque in virum bonum non cadit mentiri emolumenti ſui cauſa, criminari, praeripere, fallere*. Nam quodcunque partum mendacio emolumentum

Digitized by Google

turpe Theognidis iudicio: licet adſpectu primo puſilla gratia ſit comes:

Ἀρχῇ ἐπὶ ψεύδους ὀλίγη χάρις, ἐς δὲ τελευτὴν
Αἰσχρὸν δὴ κέρδος, καὶ κακὸν ἀμφότερον.

Lucrum autem hoc vnum mentientes referunt, vt verum locuti non credantur, inquit Cynicorum familiae auctor. Inſignem itaque & atrocem Euangelio facit iniuriam concionator Chriſtianus mendacibus verbis. Nam qui in alijs mentiri cognoſcitur, cum Euangelij veritatem pandit, non cognoſcitur: & apud hos Euangelium falſi opinione laborat, aut etiam arguitur, vel vnius ob culpam, mendacij. Quid vero cum in Euangeliſtae Lucae ſcripta toto robore infertur ad veritatis ſubuerſionem? Quid cum Paulum ipſum de ipſo ſe conteſtantem caedem, blaſphemias, perſecutiones, iras, furias deteſtantem, quiritantem, miſericordias Domini ore Chriſtiano buccinantem legit, audit, recordatur, & horum nihil verum clamitat, non primicerium veritatis videtur odiſſe? Non aliter ſtatuant, qui ex iurium praeſumtione de rebus, aut reis dijudicant. Pudicitia, fortunae, vita ipſa periclitatur: nec tamen ad horum tuitionem mentiri fas. Non credit hoc futilis concionator. Ego credo Auguſtino, Innocentio, Theologorum ſcholis. Pulcerrime ab Hipponis antiſtite dictum ad Conſentium, libro contra Mendacium: *Nihil iudicandus eſt dicere, qui dicit aliqua iuſta eſſe mendacia, niſi aliqua iuſta eſſe peccata: ac per hoc aliqua iuſta eſſe, quae iniuſta ſunt.* Altius combibenda Sapientia haec: *Os quod mentitur, occidit animam* Paria leguntur Exodi 23. Leuitici 19. Pſal. 5. Eccl. 7. Quod ſi

mali, prauique ratio in mendacio generatim clauditur; quanto turpius, ac pernicioſius in fidei, & ſacrarum literarum dedecus, ac demolitionem mendacium cuditur?

Quaeres, Quanti ſit mendacium iſtius concionatoris? Quis e Catholicis, qualem me profiteor, id diffiniat? D. Thomas de talibus indiſtincte loquens, dicit eſſe *mortale mentiri in iudicio, vel in doctrina*, id eſt, in praedicatione, vt exponunt Archiepiſcopus, & Silueſter ℣. *Mendacium*, §. quarto. Cuius ratio: quia perſonam Dei gerit, & in perſona Dei loquitur. Exple. Et ne tunc quidem mentiri erubeſcit. Alexander Halenſis 2. p. q. 139. m. 7. *Si autem aliquis magnus literatus mentiatur ex ignorantia, peccat primo genere mendacij; nec excuſatur per ignorantiam, cum ad omnia ſcienda teneatur.* Fribolarius autem orator iſte eſt Alpha literatorum. Ergo.

Quantum autem peccarit, curioſitate, ſuperbia, vanitate, praeiudicatum eſt a D. Bernardo, tractatu de gradibus humilitatis. Quid, quantumve peccarit iſta peruicacia, qua iamdudum negligit ſua peſſime dicta, ad exemplum SS. Auguſtini, Bernardi, ac Democriti Abderitae retractare, in facili eſt iudicare.

Excuſatio ab ardore dicendi nulla in eo eſſe poteſt, in quo conglaciabant omnia. Non ab incogitantia, quae ab oratore profano, aut ſacro exulare debet. Et vero rationum vmbras in id contulit, veras tractare arbitratus; & diuerſa ſentientes propoſita Pauli ignorantia ſibi diffregiſſe viſus eſt. Meditato igitur omnia poſita, firmata, refutata; licet intra conatum.

Reliqua eſt vnica ſimplicitatis purgatio, & forte ficti amici impoſtura, qui verbis delenificis, & in ſpeciem obſequioſis, Carthagenam illi imitandum propoſuit; ac ne furto publico, publiceque cognito vteretur, potuit illi ad oſtentationem reliquum omne vanitatis in dicendo choragium ſubminiſtraſſe. Perſonata amicitia,

Quantum malorum fronte quam blanda tegis? Seneca.

CAP. XV.

Quid hoc: Qui me ſegregauit ex vtero matris, 1. *ad Galatas.*

PAVLI innocentiae per omnem vitam, vel in ardentiſſima perſecutionis tempeſtate murus fuit ignorantia. In hoc propugnaculo velitantur aduerſarij. Quae defendendi ratio prius iam diſſipata in ruinam, & cineres abijt. Pauli in vtero ſanctificati fundamentum ne reſtet, modo conuellendum eſt. Fundamentum locant in capite primo ad Galatas: *Qui me ſegregauit ex vtero matris meae.* Alieniſſimum vero interpretamentum. Nam *ſegregari ex vtero* a Deo, eſt Dei munere *exire de vtero*, venire in mundum, naſci. Sic interpretantur Irenaeus lib. 5. aduerſus haereſes, cap. 12. & 14. D. Thomas Aquinas, Caietanus, Eſtius. Omnino vt linguae Latinae ſit ignarus, hoc qui minime intelligit. Hoc autem Deo tribuitur, vt alia innumerabilia ordinariae Dei prouidentiae ſubjecta. Inter quae tamen

proſpere, atque abſque incommodo naſci, peculiare Dei munus agnoſcitur, ob ingentia quae foetum circumſtant pericula, ne videlicet pereat anima interliſa, alimenti inopia, caſu, violentia hominum, aut voluntate mala. Sic in vtero, Dei prouidentia S. Germanum ſeruauit, eduxitque contra importunos matris conatus, quae ſilice dura ſaepius impacta, partum molita eſt internecare. Sed Deo placuit Germanum *ex vtero matris ſuae ſegregare*, & Gallicanae Eccleſiae in columnam ferream dare. Hinc apud Medicos, ἐμβρυουλκός, ἐμβρυορέκτης, aliaque inſtrumenta extrahendis foetibus ex iſto ſecreto carcere exanimatis apparata. Hinc Iacobo, qui cum Eſaü collidebatur olim in vtero, non ſine inſigni matris tortura, dicitur ab Eſaïa, cap. 44. *Ab vtero auxiliator tuus.* Hinc in ea depraedicanda gratia creber Dauid, Pſalmo 21. *In te proiectus ſum ex vtero: de ventre matris meae Deus meus es tu.* Ante: *Tu es, qui extraxiſti me de ventre.* Eadem pene verbotenus reloquitur Pſalmo 70. Pſal. 138. *Suſcepiſti me de vtero matris meae. Segregatio* ergo Pauli ex vtero, notat ſecretionem loci a loco: puta ex vtero in cunas, in lecticulam, in ſolum, in faſcias, in quid ſimile. Nec aliud ſonat vox Graeca ἀφορίσας, quae termini a termino diuiſionem ſignificat. Loci autem terminis ſuis, & res quaeque ab altera diſſeparatur. Segregari quoq. *ex vtero*, non eſt ab alijs hominibus inquinatis ſeparari. Hoc nimis redolet Phariſaeorum fermentum. Et vero Paulus in vtero conditus dum, potius ſit ſegregatus ab alijs extra poſitis. *Talis enim decebat, vt eſſet nobis Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus a peccatoribus, &c.*

Digitized by Google

excelſior coelis factus, ad Hebraeos cap. 7. Obſecro autem noui dogmatis artifices, ne vnigenito Filio Dei IESV Chriſto Paulum eluuie proauitae culpae lutatum temeraria praeſumtione audeant pariare. Non enim dicit Paulus: *Qui me ſegregauit a peccatoribus*: & quae frons ſedeat hoc audentibus?

Atqui iſta nobis poſita interpretatio elementaris eſt, & bona. Compages tamen literarum Apoſtoli alium quoque literalem ſenſum conuoluit. Redintegranda ſeries. *Cum autem placuit ei, qui me ſegregauit ex vtero matris meae, & vocauit per gratiam ſuam; vt reuelaret Filium ſuum in me, vt euangelizarem eum in gentibus; continuo non acquieui carni, & ſanguini.* Dei igitur cõſilio ad praedicationem Euangelij Paulus ſegregatus eſt iam tum ex vtero. Euidentiſſime 1. ad Romanos: *Segregatus in Euangelium Dei.* Vnde 1. ad Cor. cap. 4. *Miniſtris Chriſti, & diſpenſatoribus myſteriorum Dei annumerat ſe.* Eadem phraſis eſt Actor. 13. *Segregate mihi Paulum, & Barnabam in opus, ad quos aſſumſi eos.* D. Hieronymus tom. 3. q. 10. Hedibiae: *Ipſe Apoſtolus Paulus praedeſtinatur in Euangelium, antequam naſcatur.* Non, inquit, vt ſanctificetur in vtero. Sic Eſaias c. 49. *Dominus ab vtero vocauit me, de ventre matris meae recordatus eſt nominis mei. Et poſuit os meũ quaſi gladium acutum: in vmbra manus ſuae protexit me, & poſuit me ſicut ſagittam electam: in pharetra ſua abſcondit me.* Quibus omnibus graphice vatis, aut praeconis Dei officia deſcribuntur.

Tertiam explicationem non accudo, vt Paulus *ſegregatus ſit ex vtero matris*, ſeu de medio Synagogae hactenus matris, aut verius nouercae. Nam ſi

cuį bono ſit illa ſegregatio quaeratur, reſponſari poteſt, Eccleſiae Chriſti adoleſcentis. Atque hac ratione coit haec cum priore explicatio, quae prior Zuareſij eſt, Eſtij, aliorum grauiſſimorum virorum, & Origenis tractatu ſuper hoc peculiari in Philocalia.

Pugnacius inſtabis. Cur igitur Paulus tam pridem lectus, & *ſegregatus ex vtero*, non maturius Euangelij praedicationi accingitur? Cur non cum duodecim viris connumeratur? Cur non cum ſeptuaginta diſcipulis? Cur non ſaltem cum Stephano condiſcipulo copulatur? Cur non tot, ac tanta facinora plena turpitudinis, atque infamiae Deus anteuertit? Reſponderi poteſt ex Ambroſio lib. 2. de vocatione Gentium, c. 1. *Vnde locum non habent contumacium murmura querelarum?* Ratio: *quia quod Deus fieri voluit, conſtat non aliter fieri debuiſſe, quam voluit.* Paucis poſt: *Cur corrigendi tamdiu ſinantur errare, & quod ſenibus in fine praeſtandum eſt, per tam longam non tribuatur aetatem?* Summa & inexplanata hominibus ratio: Ad Rom. c. 11. *Quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viae eius? Quis enim cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit?* Anne diuinationi locus, ſi forte quid explanatius cuiuſquam tinniunt aures? Id tamen non vſque explanatum. Vt adimpleretur ſermo, qui ſcriptus eſt Geneſeos cap. 49. *Beniamin lupus rapax: mane comedet praedam, & veſpere diuidet ſpolia.* Paulus ex tribu Beniamin oriundus. Ad Philippenſes cap. 3. *Circumciſus octauo die ex genere Iſraël, de tribu Beniamin.* Paulus igitur *Mane*, hoc eſt, in primae adoleſcentiae vere *lupus rapax comedebat praedam*, dum vaſtabat Eccleſias, viros,

ac mulieres in vincla raptabat, in carcerem, in mortes, dum erat *ſpirans minarum, & caedis in diſcipulos Domini. Veſpere diuiſit ſpolia*, dum mutata in melius mente , Diabolo ſpolia detraxit plurima, dum egit de perfidia Synagogae , de Gentium infidelitate triumphum, iam ſerioris aetatis, iam exoleſcente adoleſcentia , dum opima ſpolia Eccleſiae propylaeis glorioſus affixit. Sic Auguſtino viſum lib. de Benedictionibus Iacobi : *Quia de Apoſtolo Paulo , quae dicta ſunt , manifeſtiſſima ſit Prophetia , omnibus patet , quod in adoleſcentia perſecutus ſit Eccleſiam , in ſenectute Praedicator Euangelij fuerit.* Improprie *Senectus* [ea Pauli aetas. Sic Ambroſius, ſic Cyrillus Alexandr. tractatu de Beniamin ; ſic Ambroſius lib. de Benedictionibus Patriarcharum , cap. 12. Auguſtinus iterum ſer. 2. de Pauli Conuerſione , D. Hieronymus in Tradit. Beda, Rupertus.

Quaeſitum fuerat quoque D. Chryſoſtomo ſerm. 4. de Pauli laudibus : Cum vidit Paulus in nomine IESV ſurrectos mortuos, cur non credidit ? Cum claudum inambulantem vidit , daemonas fugitantes , adſtrictam paralyſin , cur fructum nullum tulit ? Haec enim , qui tam curioſe in Apoſtolos inquirebat, ignorare minime potuit, inquit Chryſoſtomus. Certe cum Stephani lapidatio fieret, & praeſens, & ſpectator, ex eius ore Angeli inſtar radiato , lucri nihil retulit. Quid ita ? ὅτι οὐδέπω ἦν κεκλημένος , reſpondet Chryſoſtomus. At ſi quaeras, cur tunc vocatus non fuerit, ad priora reſponſa reuoluitur oratio. Ideo ad Corinthios , *Abortiuum ſe* dicit : *quia extra tempus natus Chriſto in coelos recepto in carne*, inquit D.

Ambroſius. Denique, qua Pauli opera Iudaeos Eccleſiae conciliare Dei fuit conſilium, D. Chryſoſtomus in c. 9. Actor. Ἐμοὶ δοκεῖ οὕτως ἐπίτηδες ἀναβληθῆναι, δι' ἅπερ εἶδον προλαβών, πανταχόθεν βουλομένου ἐπισπάσασθαι τοὺς Ἰουδαίους τῷ Χριστῷ. Quaerunt denique haec problemata, cur Paulus vir tantus labi ſit permiſſus, in quam diſputationem imus.

CAP. XVI.

Cur Paulus labi permiſſus?

VRINATORES ima profundi ſubituri margaritorum ſpe ſolitant oleum prius ore concipere, quod deinde exſpirent, atque exſputent nouae reſpirationi viam aperturi: id nobis exemplo eſt, vt Spiritus S. vnctionem prius neceſſariam diſcamus, quam doctrinam tam altis merſam nubilis tentemus conlucare. Hanc vnctionem optare licet, arrogare non licet: Eccleſiae proceribus communicatam fuerit pretium operae publicare. D. Auguſtinus lib. de Corr. & Gratia, cap. 9. *Per illa enim* [peccata] *humiliores redeunt, atque doctiores, vt Dauid, & Petrus.* Adde Paulum, qui in ſuperbiolam propenſionem queritur, 2. ad Cor. cap. 12. *Ne magnitudo reuelationum extollat me.* Graece miſeria eius eſt apertior: *Ne magnitudine reuelationum extollar.* Id ne ſit: *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meae, angelus Satanae, qui me colaphizet.* Sic virgines depudicari Deo placuit ſuperbiae poena, vel metu, arbitrante Auguſtino lib. 1. de Ciuit. cap. 28. *Illarum tumori oc-*

curſum eſt immanenti: iſtarum occurſum eſt imminenti. Quare generatim idem Auguſtinus lib. 14. c. 13. *Audeo dicere ſuperbis vtile cadere in aliquod apertum, ac manifeſtum peccatum: vnde ſibi diſpliceant, qui iam ſibi placendo ceciderant. Salubrius enim Petrus diſplicuit, quando fleuit, quam ſibi placuit, quando praeſumpſit. Hoc docet ſacer Pſalmus: Imple facies eorum ignominia, & quaerent nomen tuum, Domine.* Eadem eſt & Bedae in Eſdram doctrina, & explicatior ratio: *Multis, qui in pace Eccleſiae negligenter vixerant, ſubito erraſſe, & in flagitia aliqua cecidiſſe profuit: Dum poſt caſum poenitendo erecti, vigilantius Domino ſeruire coeperunt; & qui pigri, ac deſides in innocentia ſtare videbantur, per accidentem ſibi ruinam admoniti ſunt ſolertius erga ſuam cuſtodiam contra omnes antiqui hoſtis inſidias accingi.*

Sapiens profecto in hoc negotio Dei poteſtas, & potens ſapientia. Sapiens, potenſque, ac faberrimus artis opifex ille, qui non ex auro, argentoque dumtaxat opera daedala produceret; ſed qui de ſcoria metallorum opus duceret pulcrius, nobilius, elaboratius, honoratius. Sic Deus in peccatoribus reuocandis, atque in nitorem nouum dandis ſapientiam cum pari copulatam poteſtate mundo exhibet.

Iterum ſuper his cogitanti mihi Eccleſiae facies occurrit, quae quamdiu in terris neque ſine ruga, neque ſine macula. Vt in arbore ſpacioſa rami nitent plurimi, poma proueniunt vberrime: ſed & aridi ramuſculi penduli in ea, poma item vieta, ac vermibus ſemeſa hinc inde offeruntur. Sic Eccleſia Chriſti, licet ſponſa formoſiſſima: haerent tamen in artubus naeui, & alijs in membris vulnera ſunt, atque cicatrices pu-

gnae cum hoſte non feliciter impugnatae indi-ces. Quis naeuos eradat? quis ſanet vulnera? Parum ad hanc rem appoſita ſit medici auſteritas, aut tanta rectorum ſua de ſanctitate confidentia, vt parum ſanos artus tractare detrectent. Opus igitur indulgentia, clementiaque, quae commiſerationem ſequatur tam ex propriae imbecillitatis conſideratione, quam alienae. Vidit hoc Pauli oculus, qui ſe lapſum, & a lapſu *miſericordiam conſecutum*, quaſi praeconio clamat, 1. ad Timoth. c. 1. *Vt in me primo oſtenderet Chriſtus IESVS omnem patientiam ad informationem eorum, qui credituri ſunt illi in vitam aeternam.* Alioqui nimia iſta quorundam ſanctitudo, praeterquam quod lapſis, ac ſuae conſcijs infirmitatis odioſa eſt, perquam oneroſa ſolet eſſe, rigida, inflexibilis, acerba, violenta. Ecce tibi Petrus, impulſu naturae praeferuidae, & ex aliqua infirmitatis ignoratione ſcitatur de Chriſto, Matth. 18. *Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? Vſque ſepties.* Aequum ſcilicet cenſet aliquoties erranti indulgere: at ſaepiſſima vice peccanti ſaepiſſime veniam fieri cum minus probaret, experitur Domini conſilium. Ergo *dixit illi IESVS: Non dico tibi, vſque ſepties: ſed vſque ſeptuagies ſepties.* Docendus erat mititatem, & clementiam verbo: docendus & facto; ſed ſuo, ſed pudendo, ſed a Deo permiſſo: vt coniectis in miſeriam fraternam oculis, leni potius mulcedine ſaniem, ac vulnera tractaret, quam igne, ac ferro candenti: Hinc illae Petri lacrimae toties profuſae, quoties ad eum peccator itaret. Narrat Clemens. Hinc illa ex intimo ſenſu Pauli συμπάθεια. *Quis infirmatur, & ego non vror?*

νον? Alioqui iſtis e grege ſecretis ſanctulis in facili eſt iactatio : *Non ſum ſicut caeteri hominum.* Et cum lapſis perquam ſeuere agunt.

Praeterea, ne quis ad criminum magnitudinem, aut numerum caliget, aut deſperatione obruatur, ſtaturos olim in primo ſanctimoniae gradu, primulum Deus in vitiorum voraginem rapi, & iacere ſinit, non obſorberi. Hoc Paulo contigit, D. Chryſoſt. in cap. 1. ad Galatas, iudicio : *Διὰ τοῦτο ἐγώ, φησιν, ἠλεήθην, ἵνα μηδεὶς ἀπογνῷ ὡς τοῦ πάντων ἀνθρώπων κακίστου φιλανθρωπίας ἀπολελαυκότος. Ideo, inquit, miſericordiam conſecutus ſum, vt deſperet nemo; quia qui mortalium omnium peßimus eram, illius in homines amoris fructum tuli.* Scriptum enim eſt cap. 8. ad Romanos: *Diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum* : Ipſa quoque peccata, D. Thoma interprete, 3. p. qu. 89. a. 2. ad 1. Non quod peccata diſpoſitionum in morem hoc faciant: ſed quia eorum agnitione repercuſſa mens tanto valentius, atque animoſius in virtutis ſtudium fertur, quanto ante ſceleribus depreſſa, grauius afflicta erat. Quod in humanis accidit. Demoſthenes ſimili propoſita ratione Athenienſibus, ob iacentem Reip. ſtatum, moerentibus, & tantumnon collapſis animos reddere contendit: Πρῶτον μὲν οὐκ ἀθυμητέον, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοῖς παροῦσι πράγμασιν, οὐδ' εἰ πάνυ φαύλως ἔχειν δοκεῖ· ὃ γάρ ἐστι χείριστον αὐτῶν ἐκ τοῦ παρεληλυθότος χρόνου, τοῦτο πρὸς τὰ μέλλοντα βέλτιστον ὑπάρχει. Non haec ita diſputamus, ac ſi homo ſolus, ſuiſque ſolis viribus ad honeſti proſecutionem impetum capiat, & feratur: ſed eius indubitanter incitabulum eſt gratia Dei, cuius hac in re partes ſunt potiſſimae. Quare S. Augu-

ſtinus Enchiridio ad Laurentium, cap. 98. *Quis porro tam impie deſipiat, vt dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, vbi voluerit, in bonum non poſſe conuertere?* Item ſerm. 9. de verbis Apoſtoli: *Si Paulus ſanatus eſt, ego quare deſpero?* Serm. 10. *Faciunt hoc medici, quando ad ea loca veniunt, vbi ignoti ſunt; quos curent primitus eligunt deſperatos, vt in eis & beneuolentiam exerceant, & commendent doctrinam, vt vnuſquiſque in illo loco dicat proximo ſuo: Vade ad illum medicum, ſecurus eſto, ſanat te, &c. Vade*, dic aegrotis, clama deſperatis. Vide D. Gregorium lib. 4. in ca. 10. l. 1. Regum, p. 347.

Cur autem Paulo vindiciae datae ſint ſecundum libertatem a peccato: Lucifero autem ſecundum ſeruitutem in peccato: Quidquid attuleris cauſae, tandem ad ſummam, iuſtiſſimamque Dei voluntatem prouocandũ eſt. Niſi ſi mauis ex Damaſc. l. 2. de Fide, c. 4. Χρὴ δὲ γινώσκειν, ὅτι ὅπερ ἐστὶ τοῖς ἀνθρώποις ὁ θάνατος, τοῦτο τοῖς ἀγγέλοις ἡ ἔκπτωσις· μετὰ γὰρ τὴν ἔκπτωσιν οὐκ ἔστιν αὐτοῖς μετάνοια, ὥσπερ οὐδὲ τοῖς ἀνθρώποις μετὰ τὸν θάνατον. Scio D. Thomae ſuper hoc ſenſum, nec in eum inquiro. Lectoris bono fuerint haec Iobij, cap. 222. apud Photium: Ἀλλ' οὖν τοῖς ἑξῆς ἅπασι τὸ ἐκείνων πτῶμα κοινωφελὲς παράδειγμα πρόκειται κήρυκος δίκην ἀναφωνοῦν πολλῆς ἀσφαλείας ἔχειν πρόνοιαν, μὴ τοῖς αὐτοῖς περιπεσεῖν, μήτε στέργειν, δι' ὧν ἄν τις ὀλισθήσειεν· ἀλλὰ παντὶ τρόπῳ, καὶ πάσῃ δυνάμει τὴν παρακοὴν, καὶ τὴν δι' αὐτῆς ἁμαρτίαν βδελύττεσθαι.

Digitized by Google

CAP. XVII.

Pauli innocentiae imagines aliae.

OMNIA ab aduerſarijs propoſita hactenus argumenta, glacies ceu futilis, diſſiluere. Solidiora poterant, & grauiora de ſacrarum literarum cortina promi, ſi non lubricas maluiſſent temere ſcribentium apothecas inuadere, quam Pauli, ac Lucae membranas excutere, quibus in membranis fulgor multus Pauli innocentiae, legentium oculis olludit: ſed an gemina veri facies ſe oſtentet, diſpiciendum. Actorum 23. *Ego omni conſcientia bona conuerſatus ſum ante Deum in hodiernum diem.* Incertis, dubijſq. hominum conſilijs ſe non tuetur: ſed in hac cauſae dictione Numen ipſum conteſtatur, quod abſtruſiſſima animorum arcana peruadit, & in cuius praeſentia *conſcientiam bonam* non vana, opinor, iactatione exponit. Nec temporariam, aut interruptam; ſed iugem. *In hodiernum diem.* Dionyſius a Carthuſia conſcientiae bonitatem conuerſionis Pauli initio, & vitae concludit exitio. Sic nullo negotio ſteterit vita prius acta cum dedecore, & poſterius vita decore, ac probitate reparata. At D. Chryſoſtomus, & Caietae Pontifex coccinatus, in omnem vitae curſum iſtam conſcientiam bonam porrigunt. Ab his non abeo diuerſus. Haec autem conſcientiae bonitas non eſt ex omnifaria innocentia per omnem vitam in Paulo reperta, & agnita: ſed innocentia ab

ſtinus Enchiridio ad Laurentium, cap. 98. *Quis porro tam impie deſipiat, vt dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, vbi voluerit, in bonum non poſſe conuertere?* Item ſerm. 9. de verbis Apoſtoli: *Si Paulus ſanatus eſt, ego quare deſpero?* Serm. 10. *Faciunt hoc medici, quando ad ea loca veniunt, vbi ignoti ſunt; quos curent primitus eligunt deſperatos, vt in eis & beneuolentiam exerceant, & commendent doctrinam, vt vnuſquiſque in illo loco dicat proximo ſuo: Vade ad illum medicum, ſecurus eſto, ſanat te, &c. Vade*, dic aegrotis, clama deſperatis. Vide D. Gregorium lib. 4. in ca. 10. l. 1. Regum, p. 347.

Cur autem Paulo vindiciae datae ſint ſecundum libertatem a peccato: Lucifero autem ſecundum ſeruitutem in peccato: Quidquid attuleris cauſae, tandem ad ſummam, iuſtiſſimamque Dei voluntatem prouocandũ eſt. Niſi ſi mauis ex Damaſc. l. 2. de Fide, c. 4. *Χρὴ δὲ γινώσκειν, ὅτι ὅπερ ἐστὶ τοῖς ἀνθρώποις ὁ θάνατος, τοῦτο τοῖς ἀγγέλοις ἡ ἔκπτωσις· μετὰ γὰρ τὴν ἔκπτωσιν οὐκ ἔστιν αὐτοῖς μετάνοια, ὥσπερ οὐδὲ τοῖς ἀνθρώποις μετὰ τὸν θάνατον.* Scio D. Thomae ſuper hoc ſenſum, nec in eum inquiro. Lectoris bono fuerint haec Iobij, cap. 222. apud Photium: *Ἀλλ' οὖν τοῖς ἑξῆς ἅπασι τὸ ἐκείνου πτῶμα κοινωφελὲς παράδειγμα προέκειται κήρυκος δίκην ἀναφωνοῦν πολλῆς ἀσφαλείας ἔχειν πρόνοιαν, μὴ τοῖς αὐτοῖς περιπεσεῖν, μήτε στέργειν, δι' ὧν ἄν τις ὀλισθήσειεν· ἀλλὰ παντὶ τρόπῳ, καὶ πάσῃ δυνάμει τὴν παρακοὴν, καὶ τὴν δι' αὐτῆς ἁμαρτίαν βδελύττεσθαι.*

Digitized by Google

CAP. XVII.

Pauli innocentiae imagines aliae.

OMNIA ab aduerſarijs propoſita hactenus argumenta, glacies ceu futilis, diſſiluere. Solidiora poterant, & grauiora de ſacrarum literarum cortina promi, ſi non lubricas maluiſſent temere ſcribentium apothecas inuadere, quam Pauli, ac Lucae membranas excutere, quibus in membranis fulgor multus Pauli innocentiae, legentium oculis olludit: ſed an gemina veri facies ſe oſtentet, diſpiciendum. Actorum 23. *Ego omni conſcientia bona conuerſatus ſum ante Deum in hodiernum diem.* Incertis, dubijſq. hominum conſilijs ſe non tuetur: ſed in hac cauſae dictione Numen ipſum conteſtatur, quod abſtruſiſſima animorum arcana peruadit, & in cuius praeſentia *conſcientiam bonam* non vana, opinor, iactatione exponit. Nec temporariam, aut interruptam; ſed iugem. *In hodiernum diem.* Dionyſius a Carthuſia conſcientiae bonitatem conuerſionis Pauli initio, & vitae concludit exitio. Sic nullo negotio ſteterit vita prius acta cum dedecore, & poſterius vita decore, ac probitate reparata. At D. Chryſoſtomus, & Caietae Pontifex coccinatus, in omnem vitae curſum iſtam conſcientiam bonam porrigunt. Ab his non abeo diuerſus. Haec autem conſcientiae bonitas non eſt ex omnifaria innocentia per omnem vitam in Paulo reperta, & agnita: ſed innocentia ab

Digitized by Google

ijs integra vitijs, quae nunc in Paulum iacieban-
tur, cap. 21. Actorum: *Clamantes, Viri Iſraëlitae, Ad-
iuuate: hic eſt homo, qui aduerſus populum, & legem, &
locum hunc, omnes vbique docens, inſuper & gentiles in-
duxit in templum, & violauit ſanctum locum iſtum.*
Inibi Tribunus Paulo: *Nonne tu es Aegyptius, qui
ante hos dies tumultum concitaſti, & eduxiſti in deſertum
quatuor millia virorum ſicariorum?* Totum hunc ca-
lumniarum apparatum diſijcere dum molitur
Paulus, vociferationibus obmurmurantium in-
terrumpitur, abducitur, clauditur, reducitur,
iterumque fari orſus: *Viri fratres*, inquit, *ego omni
conſcientia bona conuerſatus ſum ante Deum, vſque in ho-
diernum diem.* Et *conſcientiae bonae* allegatione de-
pellit inimicorum crimina. Nil ſibi actum ſcilicet
aduerſus populum, legem, locum: doctrinam
ſuam a ſanie vindicat: templi ſanctitatem im-
miſſu peregrinorum pollutam negat, Aegyptium
ſe, tumulti concitorem, ſicariorum ſocietatem,
ducatum Denique ob haec dignum ſe vinculis
negat, interprete D. Chryſoſtomo: Ὃ δὲ λέγει, τοῦτό
ἐστιν, Οὐ συνοίδα ἐμαυτῷ τι ἠδικηκὼς ὑμᾶς, οὐδὲ ἄξιον τῶν
δεσμῶν τούτων πράττων. In his modo *conſcientiam
bonam* ſtatuit: non in omnimoda iuſtitiae abſo-
lutione: non vitae ſpatia abſque vllo prorſus pec-
cato decurſa pronunciat. Talis & eius *conſcien-
tia pura*, 1. ad Timoth. 1. *Gratias ago Deo meo, cui
ſeruio a progenitoribus, in conſcientia pura.* Ratio Chry-
ſoſtomi hoc loci: Ὅτι τὸ συνειδὸς αὐτοῦ οὐκ ἦν βλαβέν.
Quia conſcientia eius non erat laeſa: non enim obla-
trantem expugnabat. Error tamen conſcientiae
fuit, & quidem vincibilis. Similiter cum Chry-
ſoſtomus Paulo tribuit βίον ἄληπτον, *vitam irrepre-*

Digitized by Google

henſam, ſerm. 3. in epiſt. 1. ad Cor. & de totius vitae tenore accipies, & de eo, qui iudice, ac cenſore nihil dignum geſſerit. Sic paſtor, gubernator, ſtrategus in oras exteras abituro vel millenis onuſto criminibus, dum nihil tale in iudicio pareat, probitatis teſtimonium non grauate dant. Iuuerit haec locus ille ad Philippenſes, cap. 3. *Secundum aemulationem perſequens Eccleſiam Dei, ſecundum iuſtitiam, quae ex lege eſt, conuerſatus ſine querela.* His omnibus, ſimilibuſque dicit Paulus a maioribus ad ſe transfuſa religione Deum colere ſe, & neque ſe planum, neque ſimulatorem, aut animo duplici: ſed actum *pura conſcientia*, quidquid actum vel in Iudaiſmo, vel in Chriſtianiſmo. Et haec apud Feſtum, Agrippam, apud iudices grauiſſimum habere momentum debuerant: niſi aliunde turbellae. Claret Actor. 22. *Qui hanc viam perſecutus ſum vſque ad mortem. Sicut Princeps Sacerdotum mihi teſtimonium reddit, & omnes maiores natu.*

CAP. XVIII.

Auctoris excuſatio.

CONCIONATOR iſte amicum mihi profecto caput. Serio teſtor. Facto indolui, & dolor mihi diu ſilentium imperauit. Verum vti adulatione nullae perículoſiores amicitiae tenduntur inſidiae: ſic tam nulli hominum bono poteſt eſſe veritatis ſuſcepta defenſio, quam amico, qui eam minus explorate perſpe-

Digitized by Google

xerit. Ergo, etſi amicus Plato, vt Galenus inquit; quia veritas amicior, fateor me ad eam partem acceſſiſſe concionis ſubleuandae, quae maxime laboraret. Ad hanc porro diſputationem perpurgatis ſenſibus, ac defaecato animo acceſſi. Mentis enim acies offuſa, affectuum nebula caligat ad verum, & ad falſi a vero diſcretionem, quod διορατικὸν appellitant. Confido itaque magnam, ac ſingularem me ab amico initurum gratiam, vt qui erranti comiter monſtrat viam. Eoq. magis, quod Fidei Catholicae res eſt. Quod ſi eo ipſe eſſet ingenio, qui veri demonſtratione fieri poſſet offenſior, aut obſtipo ſtudio falſi partes defendere, parum cate, parum faceret prudenter, pro quo tandem ſola peruicacia depugnaret, ad quam debellandam tunc nulli cordato queat animus defuiſſe. Vt taceam *παραίφασιν ἑταίρου*, *Salubre amici monitum* Homeri de mente, ideoque ſano cerebro acceptum, atque optatius eſſe debere. Inimicorum autem conſilia, artes, conatus, omnia merito veniunt in fraudis ſuſpicionem. In eum vero, qui certiſſimae, notiſſimaeque Fidei cauſam tuetur, nulla iuſta cadit ſuſpicio; ideoque plenus animorum, & confidentiae, me ad hoc negotium appuli. Neque tectae hominum cogitationes, aut rumuſculi, vanaque iudicia (quae vtinam falſus augurem!) dimouerint.

Etſi vero hanc cauſam tam idoneam, tam illuſtrem, tam grauem habeo: pulſat animum neſcio quae religio, ne in Diuos iniuriam torquere videar, qui Iacobum Patriarchen, Moſem populi ducem, Samſonem diuinitus fortem, Dauidem Propheten, Iacobum Apoſtolum, Nicolaum Sau-

Digitized by Google

μαζυργόν, Dominicum ſui Ordinis procerem, Ioſephum virum MARIAE, Paulum Gentium Apoſtolum, Praedicatorem, Doctorem, vt reos vadari non erubeſcam. Parcite animae coelo receptae. Non ego vos ſolicito. Huius ego culpae ſum integer: vtinam caetera tam purus. Scopulus reorum eſt Adamus: Vos Adami ſanguis ordinarius propagatione ordinaria deriuatus; hinc conſimiles maculae vos infecerunt, quibus deraſis, atque exſtirpatis, gratia Saluatoris in conſimilem omnes nitorem rediuiſtis. Haereditariam igitur in vobis maculam aliquando fuiſſe ſi praedico, non tam honorem, famamque veſtram detero, quam Chriſti IESV Saluatoris benignitatem elaudo, atque exaggero. Parcite, ſanctae animae, qui ſacrarum literarum auctoribus maculae veſtrae notandae mentem a Deo iniectam perſpectiſſimum habetis. Ac tu mihi ante omnes parce, tu Euangelij tuba, ſanctiſſime Paule, ſi quid hoc ſuſcepto labore pecco: quia cum proxime

——— *portum tetigere carinae,*

quandoque molibus objectis ludibrium debent, aut vorticibus implicantur, aut procella diſturbantur. Sic in his mundi tenebris, in hac rerum caligine, qui digito verum tentat proxime, quandoque tentat longo proximus interuallo. Id autem in hoc negotio euenire non poteſt: quia ſalutis tabulas ἀπρὶξ vtraque teneo. Tabulas, inquam, ſacri codicis, vero inſcriptas, a Deo adſertas, ab vniuerſa Eccleſia comprobatas. Hic naufragium nullum eſſe poteſt, vbi Pauli ipſius ſuffragium mihi velificatur. Hic ego plagam nul-

Digitized by Google

Iam verebor, vbi Lucas Medicus ſua pandit myrothecia. Ad quodcumque tribunal vadimonium obiuero, prius Lucae Euangeliſtae cauſa dicenda eſt. Ipſius cauſa perorata, & victoria mea eſt. Ipſe namque Lucas toties in Actis Apoſtolorum Pauli reponit crimina, aliquam vt ex eo velle videatur Paulo iuſtificato gloriam exambire, aut in Paulo Deum magnificare. Quid trepidem? quid deprecer? Paulus ipſe facinorum ſuorum eſt buccinator vberrimus, locupletiſſimus, veraciſſimus. Ille ipſe nationes ignaras ad criminum ſuorum cognitionem ſolicitat epiſtolarum miſſu. Haec eſt clauis Pauli aurea, qua Dei miſericordiarum theſauros populis reſerat. *Audite, inſulae; attendite, populi de longe*, Iſaiae 49. *Venit Chriſtus peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum. Sed miſericordiam Dei conſecutus ſum.* 1. ad Timoth. 1. Eadem vobis offertur; adeſte, adeſte. Nullae ſunt ſcelerum veſtrorum tam inſignes cicatrices, quas IESVS meus non ab vltimis vſque fibris perſanet. Ego vobis in exemplum propoſitus. Haec cauſa vna, cur Paulus morbos, & vulnera ſua tam frequenter retractet. Altera, vt Deum Saluatorem ſuum agnoſcat, fateatur, gratiam perpetem reponat. Pacis ergo ſpem certam concipio, ſanctiſſime Paule: ſi eadem tecum communia ſcribendi iura teneo: ſi idem tecum loquor, ſcribo, ſentio, & cum diſcipulo tuo Luca. D. Chryſoſtomus pertractato eo: *Saulus adhuc ſpirans minarum*, & Pauli vita, atque factis in medium productis, eandem mecum conſilij ſui rationem attulit: Ἵνα ὅταν ἴδῃς τὴν πολλὴν προθυμίαν, τὴν ὑπὲρ τῆς Ἐκκλησίας, θαυμάσῃς τὸν ποιοῦντα πάντα καὶ μετασκευάζοντα,

Deinde addit Lucae veſtigia inſtitiſſe ſe. D. Auguſtinus tract. 8. in Ioan. *Amat Paulus dici a nobis peccata ſua, vt glorificetur ille, qui talem morbum ſanauit. Magnitudinem enim vulneris manus medici ſecuit, & ſanauit.* Verum ſicubi forte in commemoratione Pauli aut hallucinatus eſſem, aut indormiſſem, Steſichorum imitari mihi bonum factum futurum viſum eſt, qui Helenae vituperationi, ex qua caecitatem praemio retulit, Helenae ſubjecit encomium, quo facto reluminatum volunt. Itaque ſic iam de S. Paulo παλινῳδήσω, vt Sauli obliuiſcar: niſi ſi quid aliud neceſſitas. Ratio. Iuſtificante Domino, quis eſt, qui tantum dijudicet virum? *Quod Deus mundauit, tu ne commune dixeris.* Actor. cap. 10.

CAP. XIX.

Paulus irae purgatus.

ETSI mortalium fragilitas torrentis more omnes in ruinam agat, & in peccati foueam nullo prorſus eximio facto (quod ſi quis eximius, vnus, aut alter eſt prius in ordine ſuo collocatus) Diuos tamen coelo inaltatos, atque inſitos criminibus onerare, niſi ex certiſſima ſcientia nefas eſt. Paulum igitur a culpa liberum ire iubeo, vbi Scripturae oraculum non refragatur. Quare modo non tam mihi res erit cum D. Hieronymo, quam ſtudium Paulo libertatem ſuam adſerendi, atque eum a linguae petulantia vindicare. D. Hieronymus libro tertio aduerſus

Pelagianos: *Laeditur Apoſtolus a miniſtro, & contra Pontificem, qui caedere imperauerat, ſententiam dirigit: Percutiet te Deus, paries dealbate. Vbi eſt illa patientia Saluatoris, qui quaſi agnus ductus eſt ad victimam, non aperuit os ſuum, ſed clementer loquitur verberanti: Si male locutus ſum, argue de malo; ſi autem bene, quid me caedis? Non Apoſtolo detrahimus: ſed gloriam Domini praedicamus, qui in carne paſſus, carnis iniuriam ſuperat, & fragilitatem.* D. Hieronymi voluntati indubitare non poſſumus. quae non fuit detrahendi Apoſtolo voluntas; ſed gloriam Domini depraedicandi. Nec mea voluntas eſt Hieronymo detrahendi, nec iurgandi:

Ἀνδράσι γὰρ προτέροισιν ἐριζέμεν οὐκ ἐθελήσω.

Praeclarum in Saluatore fulſit manſuetudinis exemplum, cum alapam ſibi valide infringi tam modeſte tulit, vt voce contentus ſit, qui ſumma vſus poteſtate mox percuſſorem orco damnare poterat. Verum vt leoni ineſt aculeus in cauda, quo latera diuerberans iras in pugnam nouas excitat: ita in pede verborum Chriſti quantumuis mitia ſunt, ineſt vox aculeata. *Si autem bene,* (Chriſtum autem locutum *bene* quis dubitat?) *quid me caedis?* Hoc enim eſt omnem iuſtam caedenti cauſam eripere, idque in concilio publico, & interrogationis viribus velut amento contortum agnoſco ſpiculum, nec opinor abſque pronunciationis emphaſi. Faciamus tamen quammitiſſime haec a Chriſto effata: retundamus huius dictionis ſentes, aut abijciamus. Ideo ſanctorum nulli tyrannorum violentiam, iudicum inſolentiam, apparitorum proteruiam verbo liceat deſignare? Suos oues eſſe voluit in medio

luporum : ſed balatum non ademit, qui acerrime Phariſaeos tam frequenter increpuit. Vnus ad hoc docendum Matthaeus ſatis, cap. 23. *Vae vobis, Scribae, & Phariſaei hypocritae : quia decimatis mentham, & anethum, & cyminum; & reliquiſtis, quae grauiora ſunt legis, iudicium, & miſericordiam, & fidem. Duces caeci.* Iterumque : *Vae vobis*, &c. *Phariſaee caece, munda prius quod intus eſt calicis, & paropſidis, vt fiat, quod deforis eſt, mundum.* Non ſunt illa plenis eructata faucibus conuicia? Eſt enim Chriſtus & famae illorum dominus, & iuſtus criminum vindex, & prouidus ſuturi praemonſtrator. Ex quibus capitibus alijſque omnis iniuſta a Chriſto increpatio remouenda, etiam iſta Matthaeo ſubjecta. *Serpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis a iudicio gehennae?* Faciamus haec ab alio, quam a Chriſto in eos iacta : potuit quidquam acerbius dici, aut mordacius? Sic Cychreum ob murum aſperitatem, ὄφιν dixit antiquitas, teſtibus Euſtathio, ac Stephano in vrbibus. De nequiſſimo Arrianus : Ὄφις ἀντὶ ἀνθρώπου. Epiphanius haereſi 42. de Marcione, & alias de Cerdone, Μέγας ὄφις. Quo probro quia cum animalium teterrimo homo comparatur, tam graue eſt, aegerrime vt grauius inuenias. Atqui idem iaculum in Phariſaeos Chriſtus diſtrinxit. Immo vero Pauli increpatio eſt ad Chriſti exemplum compoſita. Chriſtus : *Vae vobis Scribae, & Phariſaei hypocritae : quia ſimiles eſtis ſepulcris dealbatis, quae aforis parent hominibus ſpecioſa; intus vero plena ſunt oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitia.* Paulus: *Percutiet te Deus, paries dealbate*, Actor. cap. 23. Intellige parietem ſepulcri decalcatum, & Chriſti

verba Paulus vſurpauerit. Addit: *Et tu ſedens iudicas me ſecundum legem, & contra legem iubes me percuti.* Quae expreſſa videntur ex illis: *Si male locutus ſum, argue de malo,* hoc eſt, *ſecundum legem* iudica. *Sin autem bene, quid me caedis?* hoc eſt, *contra legem* me percutis.

Verum ex omni Chriſti dicto tollamus acerbitatem (etſi abſque illa omnis alget caſtigatio) non putas hauſtum de coelo illud ad Timoth. 2. cap. 4. *Argue, obſecra, increpa?* Hoc aliquando res, & locus poſtulant. Poſtulabat certe in praeſens delictum Ananiae publicum animaduerſionem publicam. Homini immerenti, indicta cauſa iubet os percuti. Ergo ardore iuſtitiae flammatus Petrus iſta protulit. Iuſtitiae adſpectu locutum clamant illa: *Iudicas me ſecundum legem, & contra legem iubes me percuti.* Alio tempore longe atrociora Paulus ſuſtinuit, abſque contradictione, ſuſurro, increpatione. Scripſit autem prudentiae monitum hoc Timotheo, 1. epiſt. cap. 5. *Peccantes coram omnibus argue, vt caeteri timorem habeant.* Conſulatur Auguſtinus tom.10. ſerm.16. in Euangelium Matthaei.

Offendit, inquies, ea res adſtantes, *qui dixerunt: Summum Sacerdotem Dei maledicis?* Pariſſimum illud in IESVM ſcomma: *Sic reſpondes Pontifici?* Non peccauit tunc Chriſtus ſuapte natura, *ἀναμάρτητος*, neque opinor Paulus, cuius in hoc modeſtiam dilaudant Cyprianus, & Auguſtinus.

At dictum excuſauit Paulus. Scilicet, ne qua in adſtantium animis reliqua eſſet offenſio vel iniuſta, neve ſilentio aegreſcerent odia.

Tertio, cum S. Auguſtino de ſermone in Mon-

Digitized by Google

te, reſponſum hoc dicimus, *Minus intelligentibus conuicium ſonare, intelligentibus prophetiam eſſe.* Necem Ananiae a Deo vindice afferendam tanto ante praedicit. Ergo & Paulo hanc Deus mentem injecit, eiuſque reuelationibus haec quoque poteſt accenſeri. D. Ambroſius in Pſal. 36. *Sciuit profecto referire, qui grauiore pugno Pontificem repercuſſit. Ipſe enim corporaliter caeſus eſt: illi retulit quod in animam percuteretur a Chriſto:* D. Chryſoſtomus ſer. 6. de Paulo: Οὕτω δὴ καὶ ἐνταῦθα ὁ Παῦλος ὁμοῦ καὶ τὸ ἀξίωμα διετήρησε, καὶ τὸ μέλλον ἔσεσθαι προανεφώνησεν. *Sic profecto hic etiam Paulus & dignitatis retinens fuit, & futurum praedixit.*

Quarto, alias mititer Paulus egit, reſponditque: hic aliter ei faciendum viſum. Sic Spiritus vbi vult, ſpirat, cuius dona varietate non minus, quam mundus commendantur.

Quinto, admitto Chriſti exemplum ſupra Matth. 23. propoſitum; & alterum Lucae cap. 18. At non omne Chriſti exemplum legem inducit, aut legis vinculum. Par Martyrum plurimorum cauſa. Sanctus Vincentius apud Prudentium his tyrannum affatur:

Quem tu maligne myſticis
Minaris ignem literis?
Flagrabis ipſe hoc iuſtius.
Rhomphaea nam coeleſtium
Vindex erit voluminum:
Tanti veneni interpretem
Linguam peruret fulmine.

Poſtea: *Exemplar hoc ſerpens tuum eſt.*

Ita Dacianus, *ſerpens* ſanctiſſimi Martyris ore, cuius Vincentij ore dicit Spiritum locutum S.

Digitized by Google

Auguſtinus tom. 10. ſerm. 1. Dic & Pauli: dicemus poſtea pluribus. Veniat iterum de loco ſuperiore D. Auguſtinus: *Tam cito enim manſuete reſpondit, quod ab indignantibus, & perturbatis fieri non poteſt.*

Profert ibidem D. Hieronymus altera D. Pauli verba, quibus inclementior videri poſſit: *Alexander Aerarius multa mihi mala oſtendit: reddet illi Dominus in illa die iuſtus iudex.* Pace tanti viri, aliter mihi viſum. Iniuriam, conuicium, contumeliam, verbera paſſus, a quo, niſi a iudice, ius pio repoſcet ore? Cur non igitur apud ſummum iudicem Deum, ſi te hominum maliuolentia infeſtat, tanquam ad aſylum confugiens, cauſam tuam, & querelas deponas? cur iurium dicendorum auctorem non appelles? Hoc fecit Paulus (ſi modo quid optauit) quis incuſitat? Quid quod D. Iuſtinus Martyr ad qu. 125. Pauli verba vaticinij honore dignatur? Οὐκ ἔστιν οὔτε κατάρα, οὔτε λοιδορία, ἀλλὰ προῤῥήσεις πρέπουσαι ἀνδρὶ Ἀποστόλῳ μὴ ἐκδικοῦντι ἑαυτὸν, ἀλλὰ διδόντι τόπον τῇ ὀργῇ. *Non eſt*, inquit Iuſtinus, *imprecatio, non conuicium; ſed vaticinia viro Apoſtolo decentia; non ſeipſum vindicanti, ſed irae locum danti.* S. quoque Auguſtinus lib. 1. de ſerm. Domini in monte, cap. 42. *Apoſtolus non ait, Reddat: ſed, Reddet illi Dominus iuxta opera eius: quod verbum praenunciantis eſt, non imprecantis.* Inibi plura Diuus Chryſoſtomus laudatione Pauli ſexta: Οὐ γὰρ θυμοῦ τὸ ῥῆμα ἦν, ἀλλ' ὀδύνης τῆς ὑπὲρ τῆς ἀληθείας· οὐ γὰρ δι' ἑαυτὸν ἤλγει, ἀλλ' ὅτι ἀνθίστατο τῷ κηρύγματι. *Non enim irae vox erat, ſed doloris pro veritate. Non enim propter ſe dolebat: ſed quia Fidei promulgationi obſiſtebat* Alexander.

Notandum porro D. Hieronymum, dum paulo acrius in Pelagianos diſputando infertur, Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos non ab omni prorſus labe immunes adſeueraſſe, idque cum adſenſu bene, recteque iudicantium: ſed interim parum idonea de Pauli peccatis teſtimonia combinaſſe.

Ἀλλ' οὐ γάρ πως ἔστιν ἀΰπνους ἔμμεναι αἰεὶ
Ἀνθρώπους. ———
Non etenim inſomnes ſemper mortalibus eſſe
Fas eſt. ——— Odyſſ. 19.

Humanae, curtaeque conſiderationis & illud ex eodem libro tertio: *Putaſne Apoſtolum Paulum eo tempore, quo ſcribebat: Lacernam, ſiue Paenulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer, ac libros, & maxime membranas; de coeleſtibus cogitaſſe myſterijs, & non de his, quae in vſu communis vitae, vel corporis neceſſaria ſunt?* Perſuaſum habeo Paulum, *de his, quae in vſu communis vitae, vel corporis neceſſaria ſunt, cogitaſſe.* Res ipſa loquitur. Verum huic cogitationi comitabatur alia quaedam longe nobilior. Lacernatum non aeque frigus vexabat, non tam madide imbres hiberni pulſabant, ita vt obeundis in praedicando Euangelio prouincijs, laborem conſtantius perferret, ac minus fatigatus minus quieſceret, eaque re proximorum ſaluti indeſinenter inuigilaret.

Libros, & Membranas quis non videt in vſum ſanctarum epiſtolarum ad populos, genteſque varias erudiendas, in Fide poliendas, omnibuſq. animae ornamentis inſtruendas poſtulari? Hanc ſibi finem praeſtituebant Pauli imperata: *Paenulam affer, libros, membranas.* Haec autem coeleſtia

Digitized by Google

myſteria ſunt. Sic deſideria iſta omnia in IESVM iaculata, coeleſtem quandam ab eo rationem ſortiebantur ex eiuſdem Apoſtoli ad Coloſſenſes cap. 3. *Omne quodcunque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini IESV Chriſti, gratias agentes Deo, & Patri per ipſum.* Diuus Macarius eandem Pauli diſciplinam altius in animum demiſerat, hom. 9. Εἰ δὲ καὶ διὰ τοῦ σώματος εἰς ἀσχολίας ἐντολῶν, καὶ διὰ Θεὸν ὑπακοήν, ὀλίγον ἀσχοληθῶμεν, ὁ νοῦς τῆς πρὸς Κύριον ἀγάπης, καὶ ζητήσεως, καὶ πόθου μὴ χωριζέσθω. Luculentius idem perſequitur homil. 43. Μὴ μόνον ὅτε εἰσέρχεται εἰς τὸ εὐκτήριον, ἀγαποῖ τὸν Κύριον· ἀλλὰ καὶ περιπατῶν, καὶ ὁμιλῶν, καὶ ἐσθίων ἔχῃ μνήμην τοῦ Θεοῦ, καὶ τὴν ἀγάπην, καὶ στοργήν.

CAP. XX.

Paulus ab imprecatione purgatus.

CVM cap. 5. ad Galatas ſcripſit: *Vtinam & abſcindantur, qui vos conturbant*, inclementius, aſperiuſque in aduerſarios inuectus eſſe iampridem iudicabatur. Quid autem Galatarum perturbatoribus hiſce verbis ſit imprecatus, doceat nos D. Hieronymus in Commentario: *Tam enim deteſtanda abſciſsionis eſt paſsio*, inquit, *vt & qui inuitis eam intulerit, legibus publicis puniatur: & qui ſeipſum caſtrauerit, infamis habeatur.* Addit poſt pauca: *Quod Paulus non tam maledixerit eis, quam orauerit pro illis: vt eas partes corporis perderent, per quas delinquere cogebantur. Et quomodo in Euangelio dictum eſt, melius eſſe aliquem ſine oculo, & ſine manu, & ſine* pede,

pede, & qualibet alia parte membrorum intrare in regnum coelorum, quam totum ire in gehennam: ita & nunc optare eis magis vnam partem corporis perdere, quam per occaſionem integri corporis perpetuo igne damnari. D. Ambroſius: *Ex ipſo grege morbido ſunt & ij, quos ſociat ſententiae eorum, vt abſcindantur a miſericordia Dei, qui Galatas gratia Dei exuerunt; & non ſolum ſpiritualiter, ſed & carnaliter hos maledicit, vt quia circumcidi Galatas cogebant, ipſi abſcinderentur, vt multiplicaretur his dolor corporis.* Quid porro eſt abſciſſione dolorem corporis multiplicari, niſi admiſſam praeputij abſciſſionem, virilitatis abſciſſione duplicari? D. Chryſoſtomus, cui altius in Apoſtoli ſenſa ſe immergere, & vocum vim intimam perſcrutari, ſolemne eſt; & ipſe in Commentario ſic: Διόπερ αὐτοῖς ἐπαρᾶται. Εἰ βούλονται, μὴ περιτεμνέσθωσαν μόνον, ἀλλὰ καὶ ἀποκοπτέσθωσαν. *Quare ipſis imprecatur, vt ſi velint, non circumcidantur tantum, ſed & abſcindantur.* Et vero ipſa copula, *Et*, Chryſoſtomi ſenſum poſtulat in verbis Pauli: *Vtinam* [praeputio careant] *& abſcindantur.* Nam ἀποκόπτεσθαι in hac re apprime conuenit. Sic ἀποκόπους, ἐκτομίας, *Abſciſſos, exſectos* exponit Suidas. Firmicus: *Inefficaces, & apocopos reddet, & qui nihil agere poſſunt.* Arnobius etiam propritim locutus eſt in quinto: *Abſciſis virilibus.* Fuit & Sabbae cognomen Απόκοπος, Photij cap. 52. Haec interpretatio magna probabilitate nititur.

Qua tamen poſita, nec furoris, nec maledicentiae Paulus arguendus: ſed eius in Eccleſiam Galaticam dilectio propenſiſſima agnoſcenda. Sic iudex facinoroſum tollit e medio, nullo ſtimulatus odio: ſed Reipub. bono. Videbat quip-

pe totam Galatiam, quam ipſe ſuo ſanguine, & periculis ab idololatria ad Chriſti traduxerat fidem, de circumciſione ſubita perſuaſione turbatam, & dolore Apoſtolico, dolore patris erupit in voces objurgantis.

Quod ſi ſuperior explicatio Apoſtolica grauitate indignior Eraſmo, Eraſmique corniculae viſa eſt: dicemus nos Apoſtolo non indignum eſſe Apoſtolo iudice, cui ſic loqui viſum non indignum. Hoc tamen vt concedamus, & *Abſcindendi* nomine, *Excommunicatio* intelligatur, Apoſtolum *ab imprecatione* ſua tuebitur auctoritas, excommunicandique poteſtas. Hoc & ἀποκόπτων appellatio tuebitur. Epiphanius: Ἐβλήθησαν τῆς Ἐκκλησίας, εἰσὶ γὰρ πάντες ἀπόκοποι.

Si vero Paulo mens haec fuit: vtinam ſpadones fiant propter regnum coelorum. Sic enim futurum, vt deſinant carnalem circumciſionem magnificare. Eo namque D. Auguſtinus, Thomaſque propendent. Si, inquam, Paulo mens haec, *ab imprecatione*, ac maledicentia purgatiſſimus eſt.

CAP. XXI.

Paulus an peccauerit Petrum increpitans?

IGNOSCE, Petre, ignoſce, Paule, in priſcae diſputationis veſtrae veſtigia pedem inferenti. Non id mihi, niſi cum ſummo honore vtriuſque veſtrum propoſitum

eſt. Ignoſcite, SS. Apoſtolorum vos quoque ſancti patroni, atque aduocati; tu ab Oriente, Hieronyme, Petri; tu ab aduerſa plaga, Auguſtine, Pauli. Nec vos oppugnatum venio, nec edictis, decretiſque veſtris valentiora promtum, aut defaecatiora. Neque veſtras componere liticulas aggredior, quas ſanctarum paginarum auctoritas, aut in Eccleſiae fundatores pietas procreauit. Vnius me Pauli honos acri thyrſo pungit, cuius hiſce paginis adoreas explicamus. Quem tamen honorem non per Petri latus petimus: neque etiam id Auguſtino factum. At Veri clypeum obtegendo Paulo nitimur obtendere, in cuius vmbilico ſi breuiculum veruculum erit, quo comminus obuiantis manus queat offendi, aut inſcribi, praeter animi noſtri mentem id erit. Veterem tandem quaeſtionem excutimus: Paulúſne ſcilicet peccauerit, Petrum emendare conatus? Fundamentum rei totius locatum eſt in epiſtola ad Galatas, capite ſecundo: *Cum autem veniſſet Cephas Antiochiam, in faciem ei reſtiti: quia reprehenſibilis erat. Prius enim quam venirent quidam a Iacobo, cum gentibus edebat; cum autem veniſſent, ſubtrahebat, & ſegregabat ſe, timens eos, qui ex circumciſione erant. Et ſimulationi eius conſenſerunt caeteri Iudaei; ita vt Barnabas duceretur ab eis in illam ſimulationem. Sed cum vidiſſem, quod non recte ambularent ad veritatem Euangelij, dixi Cephae coram omnibus: Si tu, cum Iudaeus ſis, gentiliter viuis, & non Iudaïce; quomodo gentes cogis Iudaïzare? Non natura Iudaei, & non ex gentibus peccatores.* Primulum minus perſpicacibus occurrit, vnde tanta Paulo audacia, vt in Petrum maiorem inſurgat, increpiterque? Quod

factum a peccato non videtur alienum.

Secundo, creſcit ex eo facinus, quod cum tectim, ac familiariter Petrum ſubmouere Paulus potuerit, euidenter *coram omnibus* id facere ſibi ſumpſerit.

Tertio, quaſi gloriatur ex hoc: *In faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat.* Dicit Chryſoſtomus to. 5. ſerm. 59. ὡς μέγα εἶναι τοῦτο.

Quarto, Petri famam mundo neceſſariam ſic literis ad Galatas obterit, vt libelli famoſi imaginem mundo obijciat, & tantumnon per vniuerſi vaſtitatem ſpecioſum errorem traducat. Chryſoſtomus to. 5. ſerm. 59. Καθάπερ ἐν στήλῃ τὴν μάχην ἐγχαράξας, ἀθάνατον ποιεῖ τὴν μνήμην. *Literis, velut in columna, pugna hac inſcripta, monimentum facit immortale.*

Quinto, cum, qui in alium paratus eſt dicere, omni eum crimine vacare oporteat, cuius oris erit Paulus, qui Timotheum gentili patre proſatum circumcidit, vt Petrum Iudaïzantem arguat? Huius adſpectu offenſior eſt D. Hieronymus.

Sexto, Hieronymus auctores habuit Origenem, Didymum, Apollinarem Laodicenum, Euſebium Emiſenum, Theodorum Heracleotam, Ioannem Pontificem Conſtantinopolitanum. Denique Porphyrius Pauli arguit procacitatem, quod Principem Apoſtolorum Petrum auſus eſt reprehendere, & arguere in faciem, ac ratione conſtringere, quod male fecerit, id eſt, in eo errore fuerit, in quo fuit ipſe, qui alium arguit delinquentem.

D. Hieronymus vnum ab Auguſtino petit ad-

ſtipulatorem, tot veteribus ſtipatus, quorum ſinguli ſunt vnius inſtar exercitus.

Notum Dei de Circumciſione decretum ſit intra Iudaeae terminos vim, ac robur obtinuiſſe, vt aduenas, ac peregrinos non conſtringeret. Notum id ex duodecima Geneſeως tabula. Hoc etiam amplius, gentes diuerſo in orbe poſitas, minime ex decreto illo circumciſioni, & legalibus obnoxias fuiſſe. Iudaeos autem ab ortu Chriſti coeptos, ab eo vinculo liberari, & audita Euangelij promulgati tuba, prorſus fuiſſe liberos Chriſto liberante, 2. cap. ad Epheſios, & veterem *Legem mandatorum decretis euacuante*, ſeu abrogante. Nec me fugit, in altero textu eſſe, Ἐν δόγμασι, *In decretis*, quod Cardinalis de Vio, & Deſiderius ad legem inutili quadam repetitione referunt, vt *Lex ſit in decretis*. Ah! nimis homo iſte lubricus conſerta manu procerum Eccleſiae interpretationes conuellere. Praepoſitura namque Graeca non inſolenter ſuperfluit in ſacris literis. Occurrit nunc animo locus ille: *Si in gladio percutimus*: Ἐν μαχαίρᾳ. Sic ad Epheſios: quod cum animaduertiſſet interpres, non reddidit praepoſituram, qua non Latine reddita, ſententia non eſt deterior. Praeterea, ad Romanos 3. Lex vetus *excluſa eſt*; per quam legem? factorum? non: ſed per *legem fidei*, ſeu per legem nouam.

Neque vero legem veterem emortuam ignarum Petro. Imo Petrum vnum id prae reliquis omnibus noſſe, teſtificatur Chryſoſtomus. Non Petrum edocuere oſtenta diuina praeputij integros ab amputatis minime ſecernendos? Non inſtituta ſuper hac re diſputatione perquam ani-

Digitized by Google

moſe, ac fortiter Iudaeis obſtitit? Non ex Ieruſalem euidentiſſima ſuper hoc edicta comp[illegible]uit? Neque nobis abſque flagitio locus Actorum 15. praeteriri poteſt Petri vox: *Nunc ergo quid tentatis Deum imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum, quod neque patres noſtri, neque nos portare potuimus?* Vlterior Concilij ſententia illa: *Viſum eſt Spiritui S. & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quam haec neceſſaria.* Placitum fuit hoc, ſcitumque primi Concilij Ieroſolymitani, cui praeſes Petrus fuit. *Oneris* autem nomine legem Chryſoſtomus intelligit. Ex hoc capite 15. 14. 10. Actorum ſic tandem D. Hieronymus concludit haec vtilia, vt probet *ante Apoſtolum Paulum non ignoraſſe Petrum, imo Principem fuiſſe huius decreti, legem poſt Euangelium non eſſe ſeruandam.* Et poſt pauca: *Nulli ergo dubium eſt, quod Petrus Apoſtolus ſententiae huius, cuius nunc praeuaricator arguitur, primus auctor exſtiterit.* Auguſtinus quoque Hieronymo: *Neque enim negamus in hac ſententia fuiſſe iam Petrum, in qua & Paulus fuit,* qui & Petri, Concilijque totius decretum literis creditum, ipſemet Paulus cum reliqua ſocietate Antiochiam tranſtulit, Act. cap. 15. quod & Diuus Chryſoſtomus tom. 5. ſerm. 54. enotauit. Adeoque id ſciſſe Petrum, ſciuit Paulus.

Si quid ergo Petrus peccauit, ignorantia non peccauit. Neque tamen eum ſcientia, neque auctoritas prorſus a peccato vindicauit; alioqui temerarie, falſoque ſit a Paulo redargutus, cuius tamen libera vox eſt cap. 2. ad Galatas: *In faciem ei reſtiti: quia reprehenſibilis erat.*

Et cum vidiſſem, quod non recte ambularent ad veritatem Euangelij, dixi Cephae coram omnibus: Si tu, cum Iu-

daeus ſis, gentiliter viuis, & non Iudaïce; quomodo gentes cogis Iudaïzare? Quae *Coactio*, cuiuſmodi fuerit, aperiunt Hieronymus, atque Auguſtinus: *Vt Petrus non errauerit in eo, quod ijs, qui ex Iudaeis crediderant, putauerit legem eſſe ſeruandam: ſed in eo a recti linea deuiarit, quod gentes coëgerit Iudaïzare. Coëgerit autem non docentis imperio, ſed conuerſationis exemplo.* Vitabat ſcilicet, ne quod ij ſcandalum paterentur, qui ex Iudaeis in Chriſti caſtra transfugerant, ſi animaduertiſſent Petrum gentiliter viuere, hoc eſt, ijs gentium vti moribus, quibus circumciſionem, ſabbathum, legem non admittebant. Hanc dum Scyllam vitat, a gentilium conſortio diſtrahit ſe: recipit ſe ad Iudaeos, & Iudaeorum mores. Quod dum fit, gentiles ex mutata Petri conſuetudine, poſſunt in eam opinionem labi, vt credant legem ſeruandam. *Non autem peccauit Petrus in hoc* (inquit D. Thomas 2. qu. 4. 103. ad 2.) *quod ad tempus legalia obſeruabat: quia hoc ſibi licebat, tanquam ex Iudaeis conuerſo: ſed peccabat in hoc, quod circa legalium obſeruantiam, nimiam diligentiam adhibebat, ne ſcandalizaret Iudaeos, ita quod ex hoc ſequebatur gentilium ſcandalum.* Sed *paſsiuum*, vt iterum diffinit idem Thomas 2. 2. q. 43. a. 6. ad 2. Haec illa Charybdis, quam alij retegunt, dicentes Petrum intempeſtiue caerimonijs vſum, cumque aliorum damno.

Vti vero magna animi prouiſione in Iudaeorum ſalutem Petrus eorum Apoſtolus incumbebat: ſic cura pari pro gentibus Apoſtolus gentium Paulus excubabat. Sic Perſarum, Iudaeorumque Angelos, in quos culpa non cadit, diu inter ſe iurgatos Daniel memorauit. Hi abſque

Digitized by Google

culpa: Petrus cum aliqua, ſacri codicis teſtimonio; Paulus nulla ſua concurrunt.

Nunc autem prima vt depellatur in Paulum criminatio, dico primo D. Auguſt. lib. 1. cap. 9. de Ciuitate, cenſere bonorum, malorumque ſortem in ſentiendis huius vitae calamitatibus communem: quia boni objurgationum parciores ſunt, qua ex negligentia merentur eius diluuij, quo mali obruuntur, & merſantur, vndis adſpergi. *Nec ideo tamen*, inquit, *ab huiuſmodi culpa penitus alienus eſt, qui licet praepoſitus non ſit, in eis tamen vitae huius neceſſitate coniungitur, multa monenda, vel arguenda nouit, & negligit, deuitans eorum offenſiones propter illa, quibus in hac vita non indebitu vtitur, ſed pluſquam debuit, delectatur.* Paulus minime talis. Correctio enim caritatis eſt. Si igitur ſuperiores diligendi ſunt caritate: ergo & corrigendi, quando ratio poſtulat, reuerenter, & humaniter. Vnde Auguſtinus lib. 4. de Origine animae, cap. 1. recte: *Si turpe eſt ouibus non corrigere paſtores: quanto turpius erit Praelatis, & maioribus non corrigere inferiores?* D. Hieronymus in cap. 22. Numerorum: *Sic poteſt Praelatus a ſubdito corripi.* Sic Petrus a Paulo.

Nec omittendum, virum termaximum tanta in Petrum pietate ferri, eius vt innocentiam ab omni peccato vindicet. Eius ratio eſt tom. 2. in 1. p. D. Thom. Diſp. 182. cap. 2. quia bona intentio, conſcientia, & fides ei patrocinantur. Quod explico ſic: Petri bona erat intentio; vitabat enim venientium Ieroſolymis offenſionem, & ſcandalum. Bona fides, & conſcientia: quia norat illo adhuc tempore licitas legis caerimonias. Inconſiderantia autem ſi qua fuit, ratione cuius

ea operatio minus cauta, & prudens, cum excuſat a peccato. Haec illi mens. Contra. Intentio & bona fides non ſufficiūnt excuſationi, vbi officium aliud praeſcribit. Erat autem Petrus in prima Eccleſiae ſpecula conſtitutus, vt circumſpiciat, vt antegreſſa cum conſequentibus nectat. Hae eius partes. Non igitur ſat erat noſſe Concilij Ieroſolymitani decreta, quib. caerimoniae legis abrogabantur: ſed Petro danda fuit opera, vt ſenſim abrogarentur, non vt obtinerent. Et hoc vocat Apoſtolus, 2. cap. ad Galatas, *non recte ambulare ad veritatem Euangelij*, quae ſcilicet corroboranda erat, alendo conſuetudinem cum gentibus, non gentes deſerendo, & ad Iudaeos reſiliendo.

Nota quoque dictum Apoſtolo de Petro, Barnaba, totaque ſocietate, *Quod non rectè ambularent ad veritatem Euangelij*. Non recte autem ambulare cum eo, quod eſt *Ambulare coram Domino*, colliditur, & peccatum conuoluit, vt illud, iuſtitiam, & innocentiam. Deinde, *quia reprehenſibilis*. Cur? quia peccauit. Sola namque virtus laudabilis: ſola culpa reprehenſibilis. Haec eſt ara, qua Auguſtinus contra Hieronymum niſus eſt. Adeo vt Petrum omni culpa liberare, ſit Patribus inimicum, Scripturae ſacrae non ſatis conſentaneum, & opinio a ſenſu D. Pauli aliena, quam propterea Zuarezius ſequi non audet, Eſtius refugit, alij ſequi trepidant.

Neque hilum iuuat, quod aduentu Spiritus S. gratia Petrus ſit repletus. Ea namque ratio Petrum a peccato lethali liberum ire iubet, non a veniali.

Magis illud forte vrgeat: Quod in eo non peccat quis, quod vitare nequit. Petrus cum gentilibus eſitabat: a Ieroſolymis adſunt improuiſi Iudaei. Remaneat cum gentilibus? Iudaeos offendet: tranſeat ad Iudaeos? gentilibus exemplo nocebit. Nihilominus Paulo, Paulique conſilijs adhaereſcamus, & Petrus conſuetudinem cum gentibus foueat. Tunc Iudaei offendantur iniuria: quandoquidem Ieroſolymitani Concilij decreta legem irritantia, aut irritandam iubentia non ignorant. Ea ratione Petrus cautes Cyaneas praeteruehetur inoffenſus.

Porro digne reprehenſum Petrum iudicare, *vt cautior ſit, & maiori cum circumſpectione, & magis accurata conſideratione deinceps operetur*, prudentiae eſt, ſed coniunctae cum obliuione. *Facti* namque reprehenſus eſt Petrus; non *Futuri*, cuius eſt praecautio, non iuſta reprehenſio ab vllo mortalium, ne a Deo quidem. Nam ſi futura iuſte reprehenderentur, punirenturve, innumerabiles Sancti ſuperis affixi ſedibus, eſſent reuellendi, ſecundum illud: *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum*: qui ſi diutius ſuperſtites fuiſſent, in voraginem peccati lapſi fuiſſent, & ex hac voragine velut gradu in gehennae barathrum tranſabiſſent.

Verum & illa ab Hieronymo acceſſio eſt: *Non manifeſte, neque aſpere*. A Marco quoque Antonino Philoſopho, lib. 11. de Sui cognitione, correptionis fraternae pulcerrima ſunt praecepta haec: Δεῖ δὲ μήτε εἰρωνικῶς τοῦτο ποιεῖν, μήτε ὀνειδιστικῶς, ἀλλὰ φιλοστόργως, καὶ ἀδήκτως τῇ ψυχῇ, καὶ μὴ ὡς ἐν σχολῇ, μήτε ἵνα ἄλλος παρεστὼς θαυμάσῃ, ἀλλ᾽ ἤτοι πρὸς μόνον. Latine: *Hoc agendum non cum irriſu, aut probro; ſed amati amo-*

re, nec velut per iram, ne animo mordeatur alter, neque vt adſtans in admirationem veniat: ſed cum ſolo. Nihilominus rationem peroptimam Paulum in ea correptione ſecutum nobis perſuadet eius ad Timotheum epiſtola prima: *Peccantes coram omnibus argue, vt & caeteri timorem habeant.* Quod & Cyprianus lib. 3. teſtimoniorum ad Quirinum enotat. Peccat quis inter epulas? inter epulas caſtigationi locus. Flagitium diſpaleſcit maiori numero ciuitatis? publica eduntur exempla. Quid quod clancularia delicta, ne ſerpant in plurimorum detrimentum, in lucem publicam poenae, legeſque extrahunt? Ergo ne Barnabae, ne caeterorum ex Iudaeis Chriſto addictorum ſeceſſio gentibus perniciem exemplo afferat, neve per eam ſeceſſionem lege veteri ſe putent adſtrictos, Petri a gentibus diſſociatam conſuetudinem *coram omnibus* caſtigat Paulus. Hac tum mente fuiſſe Paulum, ſenſit D. Auguſtinus: *Quod autem coram omnibus neceſſitas coëgit, vt omnes illius obiurgatione ſanarentur. Non enim vtile erat errorem, qui palam noceret, in ſecreto emendari.* Haec ille in Commentario.

Neque gloriolam vllam conuoluunt eius verba: nam, *In faciem reſiſtere*, eſt praeſenti obſiſtere. Multo minus illa: *Quia reprehenſibilis erat.* Correptionis namque cauſam inuulgant iuſtam, ex qua correptionis iuſtitia apertior. In quae verba nota digniſſimus eſt Eſtij commentarius ex Saſboto. Ex ea autem publicatione per literas, non eſt Petri laus obſoletior, quam Petri negatio Euangelij nomine per orbem diffuſa, aut Dauidis adulterium, aliaque Spiritu S. dictante crimina cognitiora. Deinde diffuſior fama huiuſce

rei ad multorum ſalutem valuit, teſte Chryſoſtomo tom. 5. ſerm. 59. Nimirum vt oſtendat a ſe non aliud Euangelium praedicari, quam a Petro, caeteriſque Apoſtolis: atque etiam ipſius Petri exemplo, & conſenſu conſtare gentes obſeruatione legis onerandas non eſſe. His quatuor in Paulum objectionibus reſpondetur.

Quinta Petri culpam in Paulum regerit, qui Timotheum ex ſemiſſe gentilem circumcidit. Paucis. Tunc temporis lex mortua quidem: ſed nondum obſeruantibus mortifera, quamuis talis non multo poſt. Quare ſeruari tunc abſque flagitio arbitrarium fuit, paulatim vt conſeneſceret, atque antiquaretur; non raptim, non (vt ſic dicam) momento temporis. Conficitur hoc ex D. Chryſoſt. tom. 5. ſerm. 59. vbi rem pulcerrimo ſimili declarat: Sicut arbori annoſae, effoetae, labundae parcit agricola, donec adſitus ſtolo conualeſcat, & roboreſcat; ne ſimul cum viera planta nouellam, vegetamque proruat: ſic ante tractu aliquo temporis tolerandus fuit Iudaïſmus, donec nouiter inſita religio Chriſtiana vires acquirat alendo. Appono alterum ex Auguſtino ad Hieronymum, vbi poſt alia: *Verumtamen ſicut defuncta corpora neceſſariorum officijs deducenda erant quodammodo ad ſepulturam,* [ſacramenta vetera] *nec ſimulate, ſed religioſe. Non autem deſerenda continuo, vel inimicorum obtrectationibus, tanquam canum morſibus proijcienda. Proinde nunc quiſquis Chriſtianorum, quamuis ſit ex Iudaeis, ſimiliter ea celebrare voluerit, tanquam ſopitos cineres eruens, non erit pius deductor, vel baiulus corporis; ſed impius ſepulturae violator.* Tandem illa: *Quicumque eas* [caerimonias] *obſerua-*

uerit, ſiue ex Iudaeis, ſiue ex gentibus, non ſolum veraciter, verumetiam ſimulate, eum in Diaboli barathrum deuolutum. Quid quaeris amplius? Sed ſicut tu ſimulationem Apoſtolorum ab huius temporis ratione ſecernis: ita ego Pauli Apoſtoli veracem tunc in his omnibus conuerſationem ab huius temporis, quamuis minime ſimulata caerimoniarum Iudaicarum obſeruatione ſecerno: quoniam tunc fuit approbanda, nunc deteſtanda. At cur in Paulo approbanda: in Petro nequaquam? Ibidem D. Auguſtinus: *Quia in ipſis Ieroſolymis Apoſtoli iam decreuerant, ne quiſquam gentes cogeret Iudaïzare: non autem decreuerant, ne quiſquam tunc Iudaeos Iudaïzare prohiberet: quamuis etiam ipſos iam doctrina Chriſtiana non cogeret. Proinde ſi poſt hoc Apoſtolorum decretum, Petrus habuit illam in Antiochia ſimulationem, qua gentes cogeret Iudaïzare, quo iam nec ipſe cogebatur, quamuis propter commendanda eloquia Dei, quae Iudaeis ſunt credita, non prohibebatur: quid mirum, ſi conſtringebat eum Paulus libere adſerere, quod cum caeteris Apoſtolis ſe Ieroſolymis decreuiſſe meminerat?* Omiſſis nonnullis: *Ergo & Timotheum circumcidit propterea, ne Iudaeis, & maxime cognationi eius maternae ſic viderentur, qui ex gentibus in Chriſtum crediderant, deteſtari circumciſionem, ſicut idololatria deteſtanda eſt; cum illam Deus fieri praeceperit, hanc Satanas perſuaſerit.*

Ad objectamenta caetera dicam iterum cum Auguſtino: *Ipſe mihi pro his omnibus, imo ſupra hos omnes Apoſtolus Paulus occurrit; ad ipſum confugio, ad ipſum ab omnibus, qui aliud ſentiunt, literarum tractatoribus prouoco, ipſum interrogans interpello, & requiro in eo, quod ſcripſit ad Galatas, vidiſſe ſe Petrum non recte ingredientem ad veritatem Euangelij, eique in faciem propterea reſtitiſſe, quod illa ſimulatione gentes Iudaïzare co-*

Digitized by Google

gebat. Porphyrium ore contaminato blaſphemias eructantem nihil moror. Neque colluuiarem haereticorum turbam, qui Petrum, & Paulum Eccleſiae columnas velut Symplegadas inter ſe colliſas autumant. I ad Tertullianum lib. de Praeſcript. contra haereticos. Cum potius ea Petri ſumma laus eſt, quod cum Iudaïſmum Paulus eneruare pararet, id Petri modeſtia, atque ſingulari animi demiſſione perfectum ſit, annotante Chryſoſtomo tom. 5. ſerm. 59. Οὐ γὰρ τὸ πᾶν κατορθωκὼς οὗτός ἐστιν ὁ ἀνασχόμενος κατηγορεῖσθαι, καὶ σιγήσας. Tantumdem legas in epiſtola D. Auguſtini 19. ad S. Hieronymum.

CAP. XXII.

Paulus a peccati ſuſpicione liberatus.

DE abitu citiſſimo dictum Poetae:

——— *Ὡσεὶ πτερὸν, ἠὲ νόημα, Velut ala, velut cogitatio.* Celeriſſimae ſunt enim humanae mentis cogitationes, & ociſſimae in ſuſpicionem elabuntur. Quare nonnullis timidiuſculus quandoque viſus eſt Paulus. Effigies huius 2. ad Corinth. cap. 11. *Damaſci praepoſitus gentis Aretae Regis, cuſtodiebat ciuitatem Damaſcenorum, vt me comprehenderet.*

De Areta Arabum Rege adeundus Ioſephus lib. 18. & Alexander Monachus de Inuentione crucis. Huius Regis natam repudiauerat Herodes Herodiadis pellacia. Hinc bella, & conflictus improſperus, quo paene ad internecionem

Digitized by Google

caeſus Herodes. Huius Regis Aretae Ethnarcha cuſtodias per Damaſcum ſparſerat, per vicos, per angiportus, diu, noctu. Erant etiam, quibus *ad portas cecidit cuſtodia ſorti*. Tanti erat Paulum olim Synagogae adſertorem, nunc Eccleſiae fautorem tenere. At omnis conſiliorum, & machinarum copia coram Deo inopia eſt. Paulus: *Et per feneſtram in ſporta dimiſſus ſum per murum, & ſic effugi manus eius*, Actor. 9. Id vnum ſtudebatur, *vt eum interficerent*. Sic inſidias fugit, & mortem praeſentem Paulus. Hoc criminantur nonnulli, Paulumque timoris arguunt. Nullo iure. Salutis fuga tuendae nulli ius ademtum: Iacobus Patriarcha germani odia in mortem ſuam accenſa, fuga vitauit. Moſes ad Madianitas ſe metu Pharaonis tranſtulit. Dauid e Saülis domo profugerat vitae cauſa in ſuam: domum ſuam, regia ſaeptam cuſtodia, reliquit: *cum Michol vxor depoſuit eum per feneſtram. Porro ille abijt, & aufugit, atque ſaluatus eſt*, 1. Reg. 19.. Ac mihi vide mulieris ſagacitatem, vt cura ſua fruſtretur curioſos cuſtodes, & moram ex mora ſerendo fugae ſpatia extendat. *Tulit autem Michol ſtatuam, & poſuit eam ſuper lectum, & pellem piloſam caprarum poſuit ad caput eius, & operuit eam veſtimentis*. Vide reſtantia, & ſi libentia eſt, vide Ioſephum, ac Baſilium Seleuciae, ſermone quarto de Dauide. Erant & in veteri inſtrumento ciuitates Refugij, eorum ſaluti deſignatae, qui ad caedem deſignati quaerebantur. Puſilla ſunt haec, niſi Chriſti Domini fulcirentur exemplis. Vixdum natus, duce Ioſepho, auſpice Angelo, fugit in Aegyptum, & Herodis iras, inſidiaſque exit. Poſt Archelai nomen, & terror in

ſeceſſum Nazareth (vnde & Nazaraeus vocatus) eum abigit. Deinde perſanata manu arida cum diuinitatem ſuam manifeſtaſſet, manum inuidorum ad caedem inclinatam, & inſidiantem fuga ludificatus eſt. Lazaro ad lumina vitae reuocato, a concilio decretam in ſe mortem non ignorans, *non in palam ambulabat apud Iudaeos*, Ioan. cap. 11. ſed vicinam ſolitudini ciuitatem petijt, inque ea commoratus, paula declinatione inſidiatoribus os ſubleuit, ſibique conſuluit. Eadem igitur opera Iacobo, Moſi, Dauidi, Chriſto de fuga, de timiditate conuicium faciant, vereor, qui Paulo. Fecit hoc Chriſtus, & ſuaſione faciendum expreſſit: *Cum vos perſecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam*. Nulli horum, ne Paulo quidem, hora erat decretoria; vnde iuſtum, rectumque necis deuitandae, & fugae ineundae captum conſilium. Vt omittam, quod Paulus ſe, vitamque in meliora proximi ſeruitia reſeruauit, quod hoc opuſculo exemte fiet apertius.

Et quia gloriae cupiditas, vel ſapientibus, nouiſſima exuitur veteris iudicio ſcriptoris, pari auſu alij gloriolae ſenſu aliquando titillatum Paulum ſuſpicantur, aut liberius etiam in ſuas effuſum laudes. Diuo Chryſoſtomo to. 8. ſer. 5. de Pauli laudibus, nemo melius, diſertius, grauioribus rationum momentis has in Apoſtolum calumnias obtriuerit. Appendo reſcriptionis eius tabulam, & preſſule Graeca Latinis imitabor, qua potero. Cum videris Paulum, inquit, pericula ſugitantem, aut in ea ſimul irruentem, pariter ſuſpice: ſicut enim hoc animi fortis; ſic illud ſagacis. Cum magnifice, aut moderate loquen-

tem

tem videris, pariter ſuſpice: ſicut enim hoc humilitatis; ſic illud magnanimi. Cum gloriantem, cum laudes excutientem videris, pariter ſuſpice: etenim & hoc ingenij non tumidi eſt, & illud caritatis, atque hominum amantiſſimi. Nam ſalutem plurium adminiſtrans haec agebat. Quare etiam dicebat, 2. ad Corinth. 5. *Siue enim mente excedimus, Deo; ſiue ſobrij ſumus, vobis.* Neque enim quiſquam alius tam multas, tamque graues ad ſuperbiam impellentes cauſas habuit, neque alius quiſquam iactantiae tam purus fuit. Hoc animaduerte. *Scientia inflat.* Quod cum omnium noſtrum adſenſu dicit. Tanta autem erat in ipſo ſcientia, quanta in nullo poſt homines renatos. Nec ſcientia tamen elatus eſt, ſed & in hoc modum tenuit. Eapropter: *Ex parte cognoſcimus*, inquit, & *ex parte prophetamus.* Iterumque: *Ego, fratres, ſic puto me comprehendiſſe.* Et, *Si quis quid ſcire videtur, nondum quidquam nouit.* Praeterea, ieiunium inflat, quod ex Phariſaei profeſſione claret: *Ieiuno bis in Sabbatho.* At Paulus & ieiunans, & fame preſſus, *Abortiuum* ſe vocabat ipſum. Quid ieiunium, quid ſcientiam loquor? Tam frequens licet, tamque continua cum Deo illi erat conſuetudo, quanta neque Prophetis, neque Apoſtolis, neque mortalium vlli obtigit: ob has res humilitatis erat amantior. Nec enim toties cum Deo conſuetudinem habuiſſe eum dixeris, quoties ſcriptum. Nam ſaepius id actum ſilentio occuluit, neque omnes cum Deo congreſſus verbo expreſſit, ne ſibi gloriam adſciſceret: neque omnes tacuit, vt ne Pſeudoapoſtolorum ora patefaceret.

Nihil enim faciebat ille temere; ſed iuſta, & rationabili de cauſa omnia. Et tanta cum dexteritate negotia diuerſa obibat, eandem vt vbique laudem conſequeretur. Quod dico tale eſt. Nihil de ſeipſo ſublime loqui, ingens bonum eſt. Quod ipſum tam appoſite faciebat, vt loquendo potius, quam tacendo laudaretur. Quod ni praeſtitiſſet, intempeſtiue ſe laudantium inuidiam maxime incurriſſet. Si enim nunquam gloriatus fuiſſet, perdidiſſet forte omnia, & prodidiſſet, ac res inimicorum altius extuliſſet. Sic vbique nouit ille vti tempore, & cum recto conſilio vel negata perficere, tamque vtiliter, vt nihilominus etiam quae imperantur, fiant illuſtriora. Maiorem enim ex gloriatione laudem retulit Paulus, quam alius neſcio quis ſua occultans facinora. Siquidem nullus ſua occultando, tantas res tam praeclare geſſit, quantas ille ſua eloquendo. Et quod admirabilius quoque eſt, non ſolum elocutus eſt; ſed neceſſitatis metis ſe tenuit. Non enim veluti tempus multam gloriandi licentiam praeberet, immodicus gloriarum erat; ſed quo procedendum vſque eſſet, norat. At neque hoc illi ſatis: ſed ne alijs damno eſſet, neve ſeipſos temere laudandi alijs auctor eſſet, etiam ſe *Inſipientem* vocat. Hoc enim cum poſtularet neceſſitas, fecit. Quandoquidem vero alios in Paulum oculos conijcientes, vero erat ſimile, temere, ac ſine cauſa exemplo hoc vſuros (quod in medicis euenit: ſaepe namque quod tempeſtiue medicamentum impoſuit medicus, alius cum intempeſtiue impoſuerit, medicamenti vim hebetat, atque debilitat;) Ne, inquam, idem hic eue-

niat, vide gloriaturus quam praecauta correctione vtatur, neque ſemel, atque iterum, ſed ſaepe recuſat: *Vtinam ſuſtineretis modicum quid inſipientiae meae*, 2. ad Cor. 11. Rurſus: *Quod loquor, non loquor ſecundum Deum, ſed quaſi in inſipientia. In quo quis audet, in inſipientia dico, audeo & ego.* Denique tam multa cum dixerit, non his contentus eſt: ſed iterum in laudes iturus, ſeipſum occulit, dicens, cap. 12. *Scio hominem.* Iterumq. *Pro huiuſmodi gloriabor; pro me autem nihil gloriabor.* Et poſt haec omnia: *Factus ſum inſipiens: vos me coëgiſtis.* Quis igitur tam demens, tam valide ſtupidus, vt cum ſanctum illum videat tanta impendente neceſſitate de ſe magnifice loqui, cunctantem, refugientem, ac velut equum in abrupta vadentem, & iubam ceruice continenter excutientem, non iudicet fugere ipſum laudem in tanta [materia] & tempore ipſo neceſſitatem ſic vtendi afferente? Vis & alterum ſimile eius argumentum proferam? Hoc enim profecto mirum eſt, quod ſua ſibi non ſufficiebat conſciētia, ſed & quomodo eorum vnumquodque aggredi oporteat, nos edocebat: non ſolum ſibi ex temporum neceſſitate defenſionem comparans; ſed & alios inſtruens, vt ne incidente occaſione laudem fugiant, neve intempeſtiue eam inuadant. Nam dictis ſuis tantumnon haec dicit: Magnifice quidquam, aut admirabile de ſe loqui eſt ingens malum, & extremae ſuperbiae, o bone, nulla incumbente neceſſitate laudibus ornari. Non eſt hoc ad exemplum Domini loqui; ſed potius inſaniae ſpecimen eſt, omnemq. mercedem ſudoribus, laboribuſq. noſtris debitam exinaniuit. Haec enim omnia hiſque plura, ob

quae laudem recuſauit vel neceſſitate oblatā, ad omnes locutus eſt. At his maius eſt, quod cum neceſſitatis articulus incidiſſet, non omnia in medium effudit: ſed & plura, eaq. ampliora occultauit. 2. Cor. 12. *Veniam*, inquit, *ad viſiones, & reuelationes Domini: Parco autem, ne quis me exiſtimet ſuper id quod videt in me, aut aliquid audit ex me.* Haec autem dicebat, omnes erudiens, ne vrgente neceſſitate, omnia, quorum nobis conſcij ſumus, in medium efferamus; ſed quae audientibus vtilia. Quandoquidem & Samuel aliquando (neq. enim huius etiam meminiſſe Sancti alienum eſt: nam ad vtilitatem noſtram Sanctorum encomia proficiunt) gloriatus eſt, & res a ſe bene geſtas effatus. Quas? audientibus conducibiles. Non enim de temperantia ſermonem longum produxit, neq. de humilitate, neq. de iniuriarum obliuione. De quo tandem? De eo, quod tunc regnum obtinenti ſcitu maxime neceſſarium erat, de iuſtitia, ac de eo, quod eſt puras a munere manus habere. Dauid quoque cum gloriatur, de ijs, quib. auditor dirigi poſſit, gloriatur. Neq. enim ille virtutem aliquam locutus eſt: ſed vrſum, & leonem in medium produxit, nec aliud. Vlterius namq. ſermonem extendere, ambitioſi ſit, & glorioſi. Quae autem in praeſentes vſus neceſſaria ſunt, effari, perhumani eſt, &, quod pluribus confert, animaduertentis. Quod ſane Paulus praeſtitit. Patiebatur enim calumniam perinde, ac ſi probus non eſſet Apoſtolus, perinde ac ſi poteſtate careret. Neceſſe igitur fuit in laudes aliquas ſuas labi, quibus eius dignitas maxime explendeſceret. Vides quammultis auditorem, ne temere

glorietur, docuerit? Primum, neceſſitate id a ſe actum oſtenſo.

Secundo, *Inſipientem* ſe vocando, multiſq. vtendo excuſationibus.

Tertio, cum parcus verborum maiora quaeq. tacuit; & quae dixit, neceſſitate dixit.

Quarto, cum perſonam aliquam induit, & dixit: *Scio hominem.*

Quinto, quod non omnium virtutum ſuarum choragium in medium attulerit: ſed eam partem tractarit, quam potiſſimum praeſens tempus expoſceret. Haec D. Chryſoſtomus in D. Pauli patrocinium aduerſus laeuos, ſuſpicaces, ac maliuolos interpretes. Breuiarium horum in epiſtolam ad Romanos his complectitur: Πόῤῥω γὰρ ἦν τύφου παντός. Vide vlteriora. Vide & Gregorium M. facti laudantem Paulum, lib. 18. Mor. c. 7. Paulum quoque ex Pauli monſtratis tueri eſt. Ad Romanos c. 11. *Noli altum ſapere, ſed time.* Cap. 12. *Non plus ſapere, quam oportet.* Ibidem: *Sapere ad ſobrietatem.* 1. ad Timoth. 6. *Praecipe non ſublime ſapere.* Praeceptionibus autem a ſe profectis Paulum inhaeſiſſe quis dubitat? *Mercetur alius grande, & inſanum ſophos.* Paulus non famae vento, non aura gloriolae paſcebatur. Et tibi, Lector, dictat Epictetus: Μηδὲν βούλει δοκεῖν ἐπίστασθαι· κἂν δόξῃς τισὶν εἶναί τις, ἀπίστει σεαυτῷ.

S. PAVLI APOSTOLI SANCTITVDO ab vtero.

LIBRI SECVNDI

Capvt I.

Sauli, Pauli nomenclationes. Item εὐγραμματία.

SVPER huius Apoſtoli vocabulis veteribus, nouitijſque Scriptorib. nihil inexcuſſum, aut intentatum: ex hoc opinionum nata diſcretio. Saulum Sauli Regi cognominem video, & vtrumque ex tribu Benjamitica. Amplius illud eſt, quod vti Dauidem, ter carum Deo caput, magna coniuratione appetiuit Rex Saul: ſic Eccleſiam, & Chriſtum Iesvm Saul minor. Verumenimuero qui octauo die partum circumciderunt, quique pro

Digitized by Google

more Sauli nomen impoſuerunt (ſi impoſuerunt) acta, geſtaque Saulis Regis ſcire potuerunt: inconſultos autem infantuli furores olim futuros ſcire non potuerunt. Vaticinandi gratiam illis arrogare, eſt diuinare, non in ſuo cubili deprehenſam veritatem oſtentare. Nos igitur ea de cauſa hoc Apoſtolo primitus nomen inditum non arbitramur.

Quod autem Origenes praefatus in epiſtolam ad Romanos ſcribit, tanquam Hebraea Sauli appellatione affectum, & Pauli Romana, tanquam Romanum, minus placet. Non quia pleraque Origenis ſcripta ſcaturigines ſunt errorum: ſed quia nemo alius ex Hebraeis, etſi binominis, cognomen alterum a Romanis habuiſſe memoratur. In nouo quoque inſtrumento ſingularijs nominibus induuntur Stephanus, & Gamaliel, alijque multi Romanis bene cogniti. Iudaei praeterea ingenti bello ſubacti, impoſitas ſibi a Pompeio leges oderant, Romanoſque ipſos, adeo vt non perſuadear morem fuiſſe circumciſis Iudaeis alterum ſibi nomen a Romanis adſciuiſſe. Tolle morem: Saulo Pauli Romanum nomen arrogare, arioli eſt, non certam fidem facientis.

Alius a prolapſione ſacris noſtris initiato ratione parui, demiſſique animi Paulum ex Saulo retur euaſiſſe. Animus paruus deterrima res, cuius ratione nomen mutaſſe diſconuenit ordine toto. Et paruus animus, ſi in aliquem quadrat, minime omnium in Paulum, cuius animus ingens, infractus, corpore ipſo adeo ingentior, vt Sanctos inter plus animorum in aliquo vno vix, aegreque reperias. Redi ad libri primi capita.

Nequedum tunc inoleuerat, aut coepta erat conſuetudo in ſacris Eccleſiae fontibus vertendi nomina.

Alius veterum (quorſum hac in diſputatione eorum proferam nomina, quorum auctoritatem ſequi refugio? quaſi humanae ignorantiae ludibrio quiſquam fiat auctior:) Alius, inquam, a Sergio Paulo Proconſule, quaſi victoriae trophaeum Saulo Pauli nomen adſcitum, relatumque autumat. Quod a Pauli modeſtia, & humilitate quantopere abhorreat, nemo non videt. Et de Paulo aliter D. Chryſoſtomus in Pſal. 72. iudicat: *Non quaſi aliqua iactantia ſibi nomen mutauit Apoſtolus: ſed ex Saulo factus eſt Paulus, ex ſuperbo modicus.* Magna teſtatur voce per omnem paginam ſe *minimum Apoſtolorum*, *Apoſtoli indignum* ſe nomine, ſe *abortiuum*, *peccatorum ſe primum*: & ex adepta vnius animulae victoria, Paulum ſe vocauerit, ad exemplum Getici, Sarmatici, Cretici, Africani! Haut perſuadeor: neque ille tam vanus animi. Cur amabo non aeque Dionyſius, Hierotheus, Timotheus, Iaſon, Aquila, Criſpus, Soſthenes, Apollo, Ariſtarchus vocetur Paulus? Horum namque nominum magna claritudo, & horum virorum mentibus lux ſalutaris a Saulo allata eſt. An occultius quoddam fatum fuit in Parcarum membranis, vt Saulus eius ferret nomen, quem primum Fidei conciliaſſet? Cur non & Barnabas Paulus dicatur, ob collatam in Sergij conuerſione operam?

A Sergio nihilominus Paulum denominatum alius vult, adoptantium more, qui adoptatos ſuo participabant nomine, vt ex Appiani, caeteraque

Romana conſtat hiſtoria. Ea ratione Proconſul a Saulo potius *Saulinus*, aut *Saulianus* dicendus ſit, velut a Saulo, adoptante Chriſto, adoptatus. Nam qui Sacramento lauantur, a lauantib. contra nomen mutuari ſolitant, non retro lauantes a lauatis. Sic Cyprianus a ſpirituali parente Caecilius dictus eſt. In re crepera fidem prae caeteris meretur D. Chryſoſtomi opinio in cap. 1. epiſt. ad Romanos, Pauli ſcilicet nomen ab incude diuina excuſum. Cur, inquit, mutauit illi nomen Deus, & Saulo Pauli vocabulum dedit? Reſpondet: Ἵνα μηδὲ ταύτῃ τῶν Ἀποστόλων ἧττον ἔχῃ, ἀλλ' ὅπερ εἶχεν ἐξαίρετον ὁ κορυφαῖος τῶν μαθητῶν, τοῦτο καὶ αὐτὸν κτήσηται, καὶ πλείονος οἰκειώσεως ὑπόθεσιν λάβῃ. Latine: *Vt Apoſtolis hac in parte non ſit Paulus inferior: ſed quam habuit diſcipulorum Coryphaeus praerogatiuam, hanc & ipſe obtineat, & maioris familiaritatis occaſionem inuadat.* Sic in vetere inſtrumento mutata nomina ſunt Abraham, Sarai, Iſrael. Iam vero ſciſcitor, quis eſt iſte vas electionis, qui portabit Chriſti nomen coram gentibus, Regibus, filijs Iſrael? Quis iſte? Non iam Saulus: at Paulus. Sic eum aeque Deus, Chriſtuſve honoratum voluit cum Patriarchis, cumque ſanctiſſimis Apoſtolis.

Paulus autem vnde? (quaerit D. Auguſtinus tom. 10. ſerm. 1. de Conuerſione S. Pauli) *Paulus, quia modicus. Paulus humilitatis nomen eſt. Paulus poſteaquam adductus eſt ad magiſtrum, qui ait: Diſcite a me quia mitis ſum, & humilis corde: inde Paulus. Vſum Latinae locutionis aduertite: quia Paulum, Modicum dicitur.* Plura deinceps in eam ille ſententiam. Et haec Auguſtini ab Iſidoro Hiſpalenſi, li. 7. Etym. c. 9. comprobantur, veraq. ſunt, ſi modo Pauli nomen Latinum eſt.

Digitized by Google

At, Παῦλος θαυμαστὸς, ἢ ἐκλεκτὸς, σύμβουλος. Heſychij nota eſt, D. Hieronymi epiſt. ad Philem. Iſidori ſupra: *Saulus Hebraico ſermone, Tentatio dictus, eo quod prius in tentatione Eccleſiae ſit verſatus. Poſtea mutato nomine, de Saulo factus eſt Paulus, quod interpretatur Mirabilis, ſiue Electus. Mirabilis: vel quia multa ſigna fecit: vel quia ab oriente vſque ad occaſum Euangelium Chriſti in omnibus gentibus praedicauit. Electus, ſicut in Actibus Apoſtolorum Spiritus S. dicit: Segregate mihi Barnabam, & Paulum ad opus, ad quod elegi eos.* D. Ambroſius in epiſt. ad Romanos: *Apud veteres noſtros ratione nomina componebantur, vt Iſaac propter riſum, & Iacob propter calcaneum: ita & iſte propter inquietudinem, Saulus eſt nuncupatus. Poſtquam autem credidit, ex Saulo Paulum ſe dicit, hoc eſt, Immutatum. Et quia Saulus, ſecundum ſupradictum ſenſum, Inquietudo, ſeu Tentatio interpretatur; hic cum ad fidem Chriſti acceſſit, Paulum ſe dicit: id eſt, quaſi ex tentatore factum quietum, humilemque, vel paruulum, & quia pax eſt fides noſtra.*

Chryſoſtomus tom. 5. ſerm. de exordiorum prolixitate, cum denuo repoſuiſſet, cur Spiritus S. mutationem nominis inuexerit, praeterita, vel diſſimulata nominum origine, reſpondet: Sicut Dominus ſeruum mercatus, cum dominandi rationem eum docere voluerit, transfert eius nomen: ſic tunc egit Spiritus S. inquit. Namque ex captiuitate Paulum cepit, & recenter dominationi Eccleſiaſticae admouit. Hinc vt dominandi rationem condiſcat, nomen ei mutat. Tum capit exemplum de Adamo, qui vt princeps, dominuſque omnium adductis Dei opera ad ſe animantibus nomina impoſuerit. Sic & Deus Dominus Saulo.

Quaerit denique Chryſoſtomus eo loco, cur non eueſtigio & animi, & nominis facta ſit mutatio? Quare Chryſoſtomo repugnant, qui mutato nomini primum Conuerſionis adſignant diem, vel diem luſtralem, ſiue ſacrae lauationis. Atque haec Chryſoſtomo abſolutiſſima viſa eſt ratio, cur multo poſt hoc acciderit, ne ſubitaria nominis mutatio, animi mutationem occuleret, vt omnibus perſpicuum eſſet, quod ipſe Saulus prius Eccleſiam perſecutus ſit, & poſt Fidei praedicator euaſerit. Hanc eſſe cauſam inquit: ipſum ad Galatas dicentem audi, cap. 1. *Veni in partes Syriae, & Ciliciae. Eram autem ignotus facie Eccleſijs Iudaeae.* Non autem *ignotus nomine.* Cur *ignotus facie?* Nullus enim fidelium ipſum contra intueri audebat, cum nobiſcum bellabatur. Tantas clades tantis furoribus peragebat. Quare omnes ab eo diſſiliebant, omnes diffugiebant, ſi quo aduentantem norant: *Tantum autem auditum habebant, quoniam qui perſequebatur nos aliquando, nunc euangeliZat fidem, quam aliquando expugnabat,* Ad Galatas, cap. 1. Quod ſi ſtatim, & non mulo poſt conuerſionem appellatus fuiſſet Paulus, non tam euidenter agnoſceretur idem eſſe Paulus Euangeliſtes, qui prius erat Saulus perſecutor. Non de facie: quia pleriſque Eccleſijs dicta iam cauſa inuiſus, ignotuſque erat: non nomine; quia tum Pauli nomen celebratius fuiſſet, Sauli obſcurius, contra quam accidit. Haec fere ex Chryſoſtomo delibata.

Quando tandem Pauli nomen aut ortum, aut increbruit? Forte cum dixit Spiritus S. Actor. cap. 13. *Segregate mihi Paulum, & Barnabam in opus,*

ad quod aſſumſi eos. Tunc enim ire per alta & maria, & terras datum Paulo: tunc eius nomini Fidei praedicatio coepit velificari. Haec coniectura non improba Salmeronis eſt, in quam nutat Lorinus. Quos ante docuit eam D. Hieronymus in epiſt. ad Philemonem, & alia non omnibus probata.

Γραμματικῶν περίεργα γένη ῥιζώρυχα μούσης
Ἀλλοτρίης, ———

dicite amabo, quot vdis Pauli nomen pingendum? Rupium fragmina ſummouete, ſilices omittite. Origo eſto ab Hebraea, Latia, Graia ſtirpe, poſcitur vda vnica. De prioribus dictum. Graiam ſtirpem prima poſcit ſupra Ambroſij interpretatio, & αἰπήκοις tanto pulcrior, quanto paucioribus enotata. *Hic cum ad Fidem Chriſti acceßit, Paulum ſe dicit, id eſt, quaſi ex tentatore factum Quietum.* Quaſi *Paulus* ſit *quietus, Saulus inquietus*, de S. Ambroſij, viri vtriuſque linguae ſcientiſſimi, mente. Quae res, vt vice temporis in vnum coïerunt: ſic paula mutatione vnico paene vocabulo deſignantur. Videamus, & finiamus.

Auctor Etymologus: Ὡς Παύω Παῦλος, οὕτω Δαύω Δαῦλος. Viden' a *quiete, & pauſa* Lucretiana voce *Pauli* nomen oriri? Viden' ex hac origine L vnicum repoſci? Sexcentis praeterea locis in Apoſtolorum Actis, in Epiſtolis Pauli, millies in Chryſoſtomi voluminibus, in omnium Latinorum, Graecorumque Eccleſiae procerum, vnicum L expreſſim conſpicitur. Atqui etſi haec appellatio eſſet a Sergio Paulo, hoc Romanum nomen etiam quaedam Inſcriptiones vnica vda repraeſentant; item Appiani Libyca, Plutarchus in

Digitized by Google

Aemilio, Suidas ſaepiſſima vice. Nec Priſciani, Velijque Longi ratio aliter ſcribi patitur: *Quoniam enunciari nullo modo poteſt* [ſcilicet *Paulus*, geminantibus vdis] *& non eſt neceſſe id ſcribere, quod in verbo non ſonet*, inquit Velius verborum prae altero parcior. Eandem ob cauſam, atque alias, quas propediem in lucem dabimus; *Cauſa* ſigmate ſolo ſcribi placet.

CAP. II.

Pauli vocatio extraria.

HACTENVS nubeculae opaca diſcuſſimus proximis capitibus aliquot, ne anterior omnis diſputatio, licet ad exemplum Lucae, Euangeliſtarũ, Pauli ipſius eſſet conformata, ad Pauli laudes, famamque deterendam videretur inſtituta. Verum, μεῖζον αὐτοῦ ἔπαινος τὸ ἐγκώμιον ἡ πρώτη κατηγορία, inquit ex vero D. Chryſoſtomus minas, caedemque ipſius, ac vulnera retractans. Etſi autem οὐ δεῖται τῆς ἡμετέρας γλώττης· ὁ γὰρ ἔπαινος αὐτοῦ οὐκ ἐξ ἄλλων, ἐκ τοῦ Θεοῦ, inquit Chryſoſtomus to. 8. Etſi, inquam, *non indiget lingua noſtra Paulus: cum eius laudatio ex Deo, non ex alijs pendeat*: Tamen laudationum eius facinus palmarium eſt, quod non peruicax ad Chriſti caſtra receperit ſe, ex quo & ſecuta iuſtificatio. Nec eo tamen recepit ſe, niſi vocatu Dei, *qui vocat ea quae non ſunt, tanquam ea quae ſunt*. Auguſtinus ſexcentis locis, & to. 7. lib. de Natura, & Gratia: *Praeuenit autem, vt ſanetur* [miſericordia

eius.] *quia & ſubſequetur, vt etiam ſanati vegetemur. Praeuenit, vt vocetur: ſubſequetur, vt glorificemur. Praeuenit, vt pie viuamus.* Verum ipſe Paulo nemo id melius, aut luculentius exequetur: *Qui nos liberauit, & vocauit vocatione ſua ſancta; non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum propoſitum ſuum, & gratiam, quae data eſt nobis*, 2. ad Timoth. cap. 1.

Illuſtriſſima per Deum immortalem gratia! Contemplare, Lector, huius gratiae ſpeculum. Veluti ſi bellum a barbaris ingruat: ſi acies telis horrida ſtet ordinata: polemarchus vrbi ſexcentas admoliatur machinas: Rempub. noſtram conturbet maxime: omnia tumultu, & trepidatione compleat: ciuitati exitium comminetur, & flammas; ſeruitium vniuerſis: Tunc derepente hoſtis ille a gubernatore noſtro captus, vinctus in vrbem pertrahatur: tunc vniuerſa cum foeminis, ac pueris ciuitas exſultet, effundatur ad ſpectaculum, vocibus gratantium compita perſonent: domicilia omnia conuiuantium feſtiua hilaritas occupet. Similiter Iudaeis tumultuantibus, Eccleſiae ſerenum ſtatum turbantibus, ſecuritatem quaſſantibus, immanem odiorum rabiem proflantibus, vltimam ei perniciem intentantibus, peſſumque omnia daturos minitantibus, caput horum, & cauſa malorum erat Paulus, caeteros factis, dictiſque anteibat. Adeſt Eccleſiae noſtrae regnator Dominus IESVS Chriſtus, indit hoſti vincula, captum tenet, oſtentui habet, traducit: quin imus omnes pompam ſpecioſiſſimam ſpectatum? Chriſtum triumphantem, Paulum detriumphatum? Eccleſiam tanto metu liberatam, abruptam malorum ſeriem? quin pu-

blica gaudia participamus? Καὶ γὰρ οἱ Ἄγγελοι τότε ἐκ τῶν οὐρανῶν ὁρῶντες αὐτὸν δεδεμένον, καὶ εἰσαγόμενον ἐσκίρτων, inquit alibi os aureum. *Etenim Angeli de coelo tunc ipſum vinctum, & traductum conſpicati exultabant.* Id namque euenit, cum *excellentiore opere, largiore munere, potentiore virtute vocatio ſpecialis exſeritur*, vt Ambroſij verbis vtar lib. 2. de Vocatione gratiae, cap. 8. Ecquod autem opus excellentius, quam a tam excaecata conſpiratione ad omnem virtutum, ac ſanctitudinis abſolutionem, atque excellentiam reuocari! Ecqua a Deo dona Paulo copioſiora offerri potuere, quam vitae ianuam vocatione aperiri, & deſerari immortalitatis oſtia? Ecqua potentiore virtute vocari potuit? Non ſunt ſecretae a corporibus mentes huic muneri deſtinatae, non ex duodecim viris vnus aliquis: aduolat Θεὸς ἀπὸ μηχανῆς, adeſt clementiſſimus IESVS, multa luce amictus, clamat, vocat Paulum, *qui cadens in terram, audiuit vocem*, Act. 9. Quam? *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Non iubet Paulum credere: non furorem deſinere; furoris cauſam ſcitatur, & ſcitando, a furore reuocat, ad fidem combibendam vocat, ad fidem praedicandam parat. Fruſtra quaeritant, ſitne vox Dei territantis, & increpantis, an amantis? Opinor equidem profecta a miti, & beniuolo illa: *Adam, Adam, vbi es? Ieruſalem, Ieruſalem, quoties volui?* Quis non videt incuſitantis eſſe: *Quid me perſequeris?* Durius etiam, atque abruptius increpitantis: *Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare?* Neque ſunt haec abſque minacijs. Verba verbis, terror terrore cumulatur. Quidquid id eſt, Saulo terrorem vt inijciat, amor imperat. Ipſa ta-

men verba caſtigatorem acrem expreſſius, quam blande loquentem referunt: quare ſic feriunt, vt de Saulo Lucas, *Et tremens, ac ſtupens* dixerit. *Tremor* hic a verborum verbere. Ἐγκαλεῖ, inquit de Christo Chryſoſtomus in Acta, μονονουχὶ λέγων, τί παρ' ἐμοῦ μέγα, ἢ μικρὸν ἠδικημένος ταῦτα ποιεῖς; *Accuſat tantumnon dicens, Qua a me grauiore, aut puſilla affectus iniuria haec agis?* Ad illud exemplum: *Popule meus, quid feci tibi?* Mich. 6. Ad illud exemplum: *Initium ſapientiae timor Domini*, Prouerb. 9. Itio namque, aut reditio ad Deum, eſt a timore primulum. Pſalmi ſecundi effatum eſt: *Seruite Domino in timore, & exſultate ei cum tremore.* Clamauit leo de tribu Iuda: quis non timebit? Pectus cum rugitu rumpit leo: quidquid inter nemorum auia ferarum diliteſcit, tremit, ac trepidat. Suſtulit IESVS ex alto vocem, & capitalis illa Eccleſiae belua tremit, obſtupeſcit. Chryſoſtomus: Ἔσβεσεν αὐτοῦ τὸν θυμὸν τῷ φόβῳ. Quid comitum turba? Act. 22. *Qui mecum erant, lumen quidem viderunt, vocem autem non audierunt eius, qui loquebatur mecum.* Articulatam ſcilicet, a Chriſto profectam: is enim cum Paulo loquebatur. Cum autem cap. 9. dicitur: *Viri autem illi, qui comitabantur cum eo, ſtabant ſtupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes*: *Vocem* aliam voci Chriſti dicuntur *audire*, puta ipſius Pauli dicentis: *Quis es, Domine? &, Domine, quid me vis facere?* Nam quid illo euidentius: *Vocem autem non audierunt eius, qui loquebatur mecum*, cum Paulo? Ac ſi dicat: Si quam audiebant vocem alienam, Chriſti audiebant. Chryſoſtomus: Οὐκ ἔστι τοῦτο ἐναντίον· φωναὶ γὰρ δύο ἦσαν, ἡ Παύλου, καὶ ἡ τοῦ Κυρίου. Vide reſtantia. At ne nimis pugnax videar, aliter

etiam

etiam ſentientibus concedam. Vocauit ergo Saulum Chriſtus, atque ille promtiſſime: *Quis es, Domine?* Haec illa eſt ignorantia, haec vorago, in quam prolapſus Paulus: quia Chriſto non credebat cum Stephano, de quo prius actum. S. Bernardi ſerm. 1. de Pauli Conuerſione: *Audiebat Paulus vocem Domini: ſed faciem Domini non videbat, quoniam erudiebatur ad fidem.*

At fuit vocatio iſta ἐξωφανής, cuiuſmodi ſaepiſcule ſine viribus. Apud Danielem, Chaldaeorum Rex viſis non tangitur, quamuis ingentibus, prodigioſis, minaciſſimis.

CAP. III.

Lapſus Pauli, an ex equo?

PAVLVM in equum ſubijciunt hi, detrahunt illi: neutri placent. Non quod carpento, biga, quadrigave inuectum ſuſpicer: ſed rationes eorum dumtaxat ſpecioſae, & nonnullae tipula leuiores.

Molanus Theoſophiae prudentiſſimus, ca. 13. libri de Picturis cum vulgo, & pictoribus, caballum Paulo dat: *Non enim veriſimile eſt*, inquit, *peditem fuiſſe Paulum, quando commiſſione accepta a Principibus Sacerdotum, in Damaſcum iter faciebat, vt ſi quos ibi inueniret Chriſtianae viae viros, ac mulieres, perduceret in Ieruſalem.* Haec ille. Quaſi vero in commiſſionibus equi potius calcaribus fodiri ſoleant, quam teri ſoleae: quaſi piaculum ſit commiſſarium ire peditem. Non ſicut ſublimes ſpiritus fe-

runtur equo ; ita ſordes diuitum multorum, etiam commiſſariorum viali puluere magis turpantur? Pictores autem in equo, vel ex equo lapſum Paulum repraeſentant, vt ex editiore adſcenſu caſus expreſſius, pictiuſque proponatur ob oculos: aut ex equi ficta ferocia, ſpuma, ore, pedibus, ſtatura tota, velut ornamentis phaleratis, bullatis, auratis tabula ſplendeſcat, illiciat oculos, & emtorem. *Vt pictura, Poeſis.* Vidas:

Arduus ibat equo, galea, criſtiſque ſuperbus,
Enſe minax, haſtaq. ———

Et vero cum ſurrexit S. Paulus de terra, *apertiſque oculus nihil videbat*: Et, *cum ad manus illum trahentes, introduxerunt Damaſcum*, Actor. 9. quid equo Pauli factum? quis Ieroſolymam, aut Damaſcum perduxit? vbi ad hoc triobolaris ſeruolus?

Alius contra ab Germania ſcriptor, cuius apud me magna ſemper auctoritas, atque exiſtimatio valuit, ex eo, quod Romanorum magiſtratus maximus pedes ibat, Paulo non indecorum ſic ire opinatur. De Dictatore, opinor, intelligit, cui in maximo fortunae imperio ad modeſtiae memoriam,& ſignificationem vetus conſuetudo equum adimebat. Quandoque tamen Dictator in equo, quod de Fabio indubitata fide in Silianis noſtris monſtrauimus. Quare labat hoc argumentum, & ſimilitudo diſſimilis eſt. Atque id vt nunquam contigiſſet, Dictatoris Romani mos Iudaïco lupo non eſt aptandus.

Alter ſcriptoris huius ſcipio, Phariſaeorum ſecta eſt, cui ſe Paulus dediderat: ea namque voluptatum contemtrix. At non video tantam in equitando voluptatem. Non ex equitatione

quieſcunt bene laſſi? Non quandoque lumbifragium auferunt, quandoque calculos, & ſaxa? Falluntur ſedentarij, & pedites, dum nimis voluptabilem rentur equitationem.

Ex equo deiectum negaturus, *Non ſe laeſiſſet?* ſcitatur. Quoties impune ex equo labuntur? quoties ab equo ſternace excutiuntur intacti, ſine noxa, integri? Potuit ergo Paulus ex equo labi, nec laedi. Qua ratione ſocios indemnes, illaeſos, incruentatos procliuius eſt pronunciare: quia ab equo paulum ſeductiores. Iſte tamen hoc difficilius retur. *Non ſaltem eius, qui etiam corruiſſe leguntur, ſocij?* inquit.

Quod ex hac hiſtoria promit: *Surge, & ſta ſuper pedes tuos*, vana obludit imagine. Potuitne ſtratus humi in caballi dorſum inuolare? non prius neceſſe habuit in pedes ſtare, & hac ex conſtantia in equum ſaltu ſeſe dare? Iubet ergo vox de coelo ruens ſtare in pedes, ſiue ſcandendus equus, ſiue non, cuius equi mentio hic nulla. Scilicet hiſtoria Lucae iter actum memorat, modum non memorat.

Vocatur Auguſtinus in partes, lib. 50. homil. ſerm. 9. *Dum ambulat, proſternitur: vt videat, excaecatur.* Reſponderi poteſt, τὸ *Ambulare*, ſuapte natura praeſcindere a greſſu pedeſtri, & equeſtri, vt in illo Plauti: *Ambula, redambula*: *Va, vien.* Eſt enim generali ſignificantia moueri, vt in illo Iuuenalis: —— *Vertigine coelum*

Ambulat. ——

Imo genuina verbi eſt ſignificantia, *In orbem ire.* Conciditur enim ex Ἀμφιβολῶ, vel Ἀμφιπολῶ, *Ambulo.*

Digitized by Google

Iterum ex Auguſtino inibi, ſerm. 17. profert: *Conducit pedes eius ira*. D. Auguſtinum ſic ſcripſiſſe credam, cum in eo ſermone id legero, quod mihi lectitandi totum non contigit. Deinde eſto, Auguſtinus id ſenſerit, ſcripſerit: quaero lucem illuſtriorem, quo ex loco hauſerit ſacri Codicis, aut Patrum, aut qua ex traditione; quorum nihil-dum video.

Tertio, id vbi alibi compercro, antegreſſa cum ſequentibus componam, & dijudicandi opportunitas dabitur tum de tanti viri ſententia, tum de veritate.

Quarto, *Pedes eius*: quibus vtique ibat, ſiue ſuis, ſiue equi pedibus ierit. Imo vero nos ea iuuant verba.

Finiebam, cum ſe oculis meis ex nido ſuo Lorinus obijcit. Quantum virum nomino? Haec ille in cap. 9. Actorum: *Quorſum vero tam feſtinus, cumque tanta perſecutor auctoritate, ſeptus etiam ſatellitio, pedibus longum ſatis iter conficere potuiſſet, vel debuiſſet?* En Lorinum in picturas inclinantem. An vero rationum momentis preſſus inclinet, videamus. *Feſtinare*, primum tam peditis eſt, quam equitis. *Auctoritatem* cum memorat, Molani repercutit incudem. *Satellitium* neutram opinionem iuuat. At neque *itineris longitudo*. Roma aduſque Montisferrati terram deſertam longius iter eſt, quam Ieroſolyma Damaſcum: Guarinus tamen nec eques, nec pedes prius illud confecit; ſed manibus, pedibuſque reptando. Aegyptum proficiſci δολιχὴν ὁδὸν putat Homericus viator, quam opinor ſaepe nec equo, nec pedibus emenſam. Reliquum nihil eſt.

Poſſum ſuper hoc aliena decreta conuellere: quibus tamen peruicacia non digladiabor hoſtili. At quod reſtituam, in ambiguo eſt. Nam quorum rationum copias diſturbaui, concluſiunculas exoſculari non poſſum. Nouae autem ratiunculae ad alterutram opinionem firmandam, meditanti mihi nullae ſuppetunt: praeſertim cum neutrum repraeſentet Scripturae tabula, ſileant Patres: caeteri ariolentur potius, quam doceant. Et vero humanae ſapientiae pars eſt, quaedam neſcire velle.

An autem ex equo Chriſti manu Paulus depulſus ſit, quaerere eſt. Hoc non opinor; ſed Chriſti potentia. Quod autem D. Macarius hom. 44. dicat de Chriſto, Pauloq. Ῥαπίσας ὡς δοῦλον ἠλευθέρωσεν. *Alapa infracta, vt ſeruum libertate donauit*, caret viribus; eſtque alapa metaphorica, ſicut & libertas: potiuſque Pauli occaecatio per eam intelligi poteſt, quam ex equo deturbatio.

CAP. IIII.

Pauli Vocatio interanea, ac perfecta.

PAVLI in vtero latebrae haereditario inquinamento viluerunt: vita in prima adoleſcentia acta blaſphemijs inhorruit, crudelitate redundauit, ignorantia aliqua veniabilis fuit, ac tandem aliquando criminibus venia facta eſt. Quando? Hoc in problemate duo maxime tempora noſtra ſpectabit oratio. Id enim

Digitized by Google

contigit aut cum ſe videndum, molliaque ſimul fandi tempora Chriſtus ei dedit, aut cum ad ſalutis, ac vitae fontes baptiſmo Paulus adiuit. Certum, indubiumque eſt nondum mutatum animi Paulum Chriſti increpatione hac: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Tunc adhuc erat Eccleſiae peſtis; non ergo Dei deliciae: nam (quod ait Arrianus lib. 2. cap. 1.) Τὰ δ' ἐναντία οὐδαμῶς συνυπάρχει. Neque eruditrice voce illa: *Ego ſum IESVS, quem tu perſequeris.* Sola namque cognitio minime ad ſalutem ſufficit. Sed cum in eo, qui ſanctificatur, voluntatis motio ſit neceſſaria, huius rei ſignum alterum in Paulo veſtigandum, ac primarium illud videtur: *Domine, quid me vis facere?* Haec enim verba Saulum iam credere IESVM Nazarenum, quem prius infeſtabat, praeferunt, & nonnullam adiunctam habent voluntatis inclinationem, ac ſecundum nonnullos, vim ſufficientem ad iuſtificationem, ac detergendas criminum omnium maculas. Loco non vno videtur eo ferri Chryſoſtomus, cum ἀθρόαν μεταβολὴν, Pauli ſubitariam conuerſionem appellitat, aut ἀθρόως factam. S. Bernardus ſerm. de Conuerſione S. Pauli: *Audiat Saulum adhuc ſpirantem minarum, & caedis in diſcipulos Domini, ſubito factum vas electionis.* Et Doctor, quem *viris ingens* produxit *Aquinum*, terra ſua ingentior, 1. 2. q. 113. a. 10. *Eſt enim iſte communis, & conſuetus curſus iuſtificationis, vt Deo mouente interius animam, homo conuertatur ad Deum: primo quidem conuerſione imperfecta, vt poſtmodum ad perfectam perueniat.*

At Sauli mutationem inſtantius, citiuſque eueniſſe cenſet, addito: *Quandoque vero tam vehementer*

Deus animam mouet, vt ſtatim quandam perfectionem iuſtitiae adſequatur, ſicut fuit in conuerſione Pauli; adhibita etiam exterius miraculoſa proſtratione: & ideo conuerſio Pauli tanquam miraculoſa in Eccleſia commemoratur celebriter. Adde lucem abundiſſimam, coruſcationes, voces de ſublimi repetitas, comitatum attonitum, hiantem, nec loquentem; Paulum non tantum ſolo afflictum, ſed & artubus quaſi fulminatis, ſtupefactis, captum oculis, marcentem cibi, potuſque appetentiam. Et vero de Sauli iuſtificatione fas ſit dicere, quod de innominatorum S. Ambroſius lib. 2. de Vocatione G. capite 9. *Voluntas hominis ſubiungitur ei, atque coniungitur, quae ad hoc praedictis eſt excitata praeſidijs, vt diuino in ſe cooperetur operi, & incipiat exercere ad meritum, quod ſuperno ſemine concepit ad ſtudium.* Deinde vox illa videtur animi totum ſe Deo dantis: *Domine, quid me vis facere?* Praeterea cum ieiunaret, precationi vacaret, diuinae lucis radios mente acciperet, non ei peccata ignoſcebantur? inquit Vir maximus. Saulum *fratrem* vocat Ananias: quia videlicet eiuſdem coeleſtis Patris, & Domini noſtri filius iam erat. Praeterea, ante baptiſmum ſquamae ceciderunt; quia ex animo perfidiae caecitas, peccatorum omnium tenebrae abierant.

Ecce ſumma capita rationum, quibus haec veri ſpecie coloratur ſententia, in quam procliuius concederem, niſi firmiorem haberemus propheticum ſermonem. Scio fidei, & caritatis dona poſſe animo citra realem baptiſmi ſuſceptionem infundi: exuberantia quadam ſcilicet diuinae gratiae, ac perfectiſſime ſeſe ad eam accom-

Digitized by Google

modante hominis voluntate, & arbitrio. Verum alia eſt de facultate, alia de facto quaeſtio. Neque nos extra tritam Theologiae orbitam, aut praeter communem, ordinariumq. diuinae prouidentiae curſum ferri agi nefas, niſi euidentiſſimis de cauſis.

Cum igitur ante lotionem ſacram, integra, atque perfectiſſima non contingat purgatio de iure ordinario, contra ſentientis erit de priuilegij indulgentia docere. Atque in primis mihi videtur, vti Deus Opt. Max. in multa ſpatia annorum Sauli ſanctificationem iuſto, pioque conſilio diſtulit, cum iam ab aeuo eſſet illi propoſitum, deliberatumque Saulum ſanctificare: ſic cum tempus vocationis aduenit, non eodem temporis articulo, ſeu momento abſolutam eſſe Sauli ſanctificationem, quo vocatus eſt Chriſti voce, terroribus, aut monitis; nec ante baptiſmum. Ratiſſimum eſt Theologiae decretum, ſimul gratiam cum anima communicari, ſimul peccati ſordem deruncinari. At peccatum ſeu propagatione, ſeu actione perſonali contractum non niſi baptiſmo deruncinatum eſt in Saulo: non igitur id data gratiae praerogatiua. Adſertum hoc firmo ex ipſo Paulo, 3. ad Titum: *Secundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus S.* Deſignate ſalutis allatae ratio *per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus S.* praedicatur; quorſum alia quaeritare confugia? Ioannis tertio Chriſti effatum eſt: *Amen, amen dico tibi: niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S. non poteſt introire in regnum Dei.* Cur dicunt abſque eo Paulum introire in regnum Dei poſſe? Ecquid

enim Saulum regno Dei diſcludebat? Perſolum peccatum, quod gratiae datione exterminatur, ſecundum Chriſti *miſericordiam*, *qua ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis*. Ananias Chriſti legatus, Actor. 9. *Miſit me IESVS, vt videas, & implearis Spiritu S. Et confeſtim ceciderunt ab oculis eius tanquam ſquamae, & viſum recepit, & ſurgens baptizatus eſt.* Quis dubitet ſimul impletum Spiritu S. ſimul baptizatum? Enodatius idipſum, Actor. 22. c. Ananias Saulo: *Baptizare, & ablue peccata tua, inuocato nomine ipſius*. Ergo ad Ananiam peccatis praegrauis Saulus acceſſerat. Negitas? Ergo Sauli ſimplicitati Ananias oratione mendaci illudit: *Baptizare, & ablue peccata tua*, cum peccata ſint eius nulla. Multa hactenus circa te coeli indulgentia, inquit: hoc vnum inſuper: *Ablue peccata*. Cur non reſponſat Saulus: Gratia Dei in me habitat, cuius praeſentia, ac potentia omnia iam peccata eluit. Apage temeritatem. Ananias: *Baptizare, & ablue peccata tua*. Fauet huic doctrinae illud Ambroſij, lib. 1. de Vocatione G. cap. 5. *Vnde autem poßit probari, quod ad euacuandum originale peccatum, nulla idonea eſſet induſtria, niſi impij, & facinoroſi per lauacrum Chriſti adſumerentur in regnum, agnoſcerenturque qui in ſua iuſtitia gloriantur, quam nihil dignum agere poßint adoptione filiorum Dei, ſi ad regenerationis non peruenerint ſacramentum: cum eadem, qua ſceleſtißimi peccatores conditione teneantur, pares futuri in ſanctificatione, ſi affuerit regeneratio; ſimul perituri, ſi ceſſauerit ablutio.* Eadem & Sauli conditio. D. Hieronymus q. 8. ad Algaſiam: *Conuerſus in ſe Apoſtolus, (imo homo, ſub cuius perſona Apoſtolus loquitur) agit gratias Saluatori, quod redemtus ſit ſanguine eius, & ſordes in*

Digitized by Google

baptiſmo depoſuerit. Neque παρενθήκη iſta aduerſam iuuat opinionem; noſtram potius roborat: nam, *Omnis mundus ſub peccato, & vniuerſi homines praeuaricatores legis ſunt,* inquit ibidem Hieronymus. Quare niſi priuilegium munditiae ante baptiſmum exprimatur, omnes baptiſmi neceſſitas obſtringet, & ſuſceptio nitelam afferet. Immane quantum opinio altera Pelagio, Coeleſtio, ſectarijs patrocinetur, qui infantulis per baptiſmum originariam maculam abſtergeri inficiabantur. Atq. etiam per mihi mirum eſt, Pelagianorum neminem in Diuum Ambroſium, aut Auguſtinum vibraſſe hoc de Paulo ſpiculum, ad deſtruendam ſacri lauacri neceſſitatem.

Neque neſcius ſum, Paulo per baptiſma innumerabiles propemodum gratias conferri potuiſſe, etſi non peccata abolerentur. Sanctus Iſidorus Peluſiota epiſt. 195. ad Herminium Comitem, multus eſt in harum cenſu faciendo. Cum traductam Adami proſeminatione eluuiem credere ſe ſacris vndis deponi confeſſus eſſet, addit: Ἄλλα πολλὰ μακρῷ τὴν ἡμετέραν ὑπερβαίνει φύσιν δεδόσθαι χαρίσματα. *Alias multas, quae noſtram ſupergrediantur naturam, & conferri gratias.* Dinumerat peccati obliterationem, poenae condonationem, regenerationem coeleſtem, redemtionem, ſanctificationem, filiorum adoptionem, haereditatem cum vnigenito Dei Filio cernere, eiuſdem corporis membrum fieri, gratiam iuſtificantem, gratiam copioſiorem. Eadem paene omnia habes ſerm. 7. D. Chryſoſtomi, in priorem ad Corinthios, pag. nuperae editionis 280. Tum Iſidorus metae propior: Ὅτι οὐ φάρμακον ἐλάβομεν ἀντίῤῥοπον τοῦ τραύματος

μόνον, ὡς οἴονται σμικρολόγοι τινὲς, καὶ τῆς θείας μεγαλοδωρεᾶς ἀναίσθητοι, ἀλλὰ καὶ εὐμορφίαν, καὶ τιμὴν, καὶ δόξαν, καὶ ἀξιώματα πολλῷ τὴν ἡμετέραν ὑπερβαίνοντα ἀξίαν. Atqui vniuerſum hoc gratiarum choragium, ſubtiliter enumeratum, ſubtilius enucleandum, & in ſuas rationes formales digerendum ſortitur, quiſquis cum Deo redit in gratiam vel abſque baptiſmo, praeterquam fieri membrum corporis, ſiue Eccleſiae incorporari, cuius caput eſt Chriſtus. Hoc ergo ſacramento amplius eſt Paulus conſecutus, quod Eccleſiae corpori membrum acceſſerit. Eſt enim baptiſmus ad eam ianua. Eſt & deteſtata Concilijs Huſſitarum haereſis, Paulum in Eccleſia ſemper fuiſſe, Iudam nunquam: in cuius haereſeos latifundia pedem ponit, quiſquis Paulum in vtero ſanctificatum adſerit.

Character quoque inocciduus ſolius baptiſmi opera animae intimatur. D. Auguſtinus ſerm. in feſto Petri, ac Pauli: *Nam dicitur Ananiae, Accede ad eum, & ſigna eum charactere meo.* Charactere igitur fuit inſignitus Paulus.

Membrum igitur Eccleſiae fieri, & charactere inſigniri, geminae ſunt baptiſmatis praerogatiuae, quibus per baptiſmum Paulus eſt cohoneſtatus, & ambae ijs, qui alia baptiſmo via gratiam nanciſcuntur, denegatae. Nec interim copia illa gratiarum a Peluſiota digeſta ei defuit, ac maxime gratiae cooperantis amplitudo, de qua Chryſoſtomus laudatione Pauli ſeptima ſic affatim: Οὐδεμίαν ἀνέμεινεν ἡμέραν ἡσυχάζων πυρὸς οὗτος σφοδρότερος, ἀλλ' ὁμοῦ τε ἀνέβη ἀπὸ τῆς ἱερᾶς τῶν ὑδάτων πηγῆς, καὶ πολλὴν ἀνῆψεν ἑαυτῷ τὴν φλόγα, καὶ οὔτε κινδύνους ἐνενόησεν, οὔτε τὸν γέλωτα, καὶ τὴν αἰσχύνην τὴν παρὰ Ἰου-

δαίων, οὐ τὸ ἀπιστεῖσθαι παρ' αὐτοῖς, οὐκ ἄλλο τῶν τοιούτων οὐδέν. *Nullam diem protelat homo inquies, igne violentior: ſimul ac a ſacrorum laticum fonte adſcendit, magnopere ſe inflammauit ipſe, neque pericula conſiderauit, neque Iudaeorum irriſum, aut dedecus, non ſibi defecturam apud eos fidem, neque quidquam id genus*, quo minus ſcilicet gratia baptiſmali ampliſſime communitus res Eccleſiae ingentibus animis ardentiſſime procuraret. Caeteris ampliter in ſacro natabulo tribuitur gratia: Paulo vberrime, pro modo diuinae prouidentiae, qui vbi pluris indigetur, plus elargitur.

Sic iam explicatae, firmataeque ſententiae non parum accedet lucis, ac roboris, ſi aduerſae ſententiae firmamenta conuellantur. Primulum igitur: *Domine, quid me vis facere?* dico Pauli animam gratiae iam parari: nam etſi anima praeparatur a Domino primoribus compellationibus; ſcriptum tamen eſt, Prouerb. 16. *Hominis eſt praeparare animam*; quod de Paulo id temporis S. Auguſtinus tom. 10. conteſtatur, ſerm. de Conuerſione S. Pauli: *Tunc parat ſe ad obediendum, qui prius ſaeuiebat ad perſequendum.* Nondum illi dixerat Deus: *Praebe mihi cor tuum*: nondum praebuerat, vt ſe totum Deo conceſſiſſe videri poſſit Paulus. Subitaria autem Pauli conuerſio quibuſdam viſa, non vnico temporis articulo concluſa eſt: latius tenditur; ſcilicet omnia illa, quae a Chriſto mandata Paulus, & Ananias excipiunt, partim ad omnimodam ad Deum conuerſionem ſunt auxilia, & praeparamenta, partim conuerſionis effecta. Neque Aquinas doctor miraculoſam conuerſionem Pauli cenſuit, quia ſubita; ſed ob proſtrationem,

aliaſque hiſtoriae appendiculas. Quod autem vir eruditione maximus ieiunio Pauli, precibus, inſpirationibus peccata retur ignoſci, fallitur. Sunt haec propitiandi numinis inſtrumenta: Non peccatum excernunt in accuratiore Theologia. Haec ſunt inſufficientia ſcelerum februamina: quae ſi cui ſatis eſſe videbuntur, ſimul det operam, ne ſacramentorum vires eneruet. At Paulum fratris vocabulo honorat Ananias. Fratris futuri, vt ſponſus ſponſam maritam vocitat. Sic Ioannis baptiſma erat *in remiſsionem peccatorum*, nec tamen per id peccata deterſa; quia erat in remiſſionem peccatorum *futuram*, (vti Diuus Hieronymus interpretatur contra Luciferianos) per Chriſti gratiam. Atque vt nihil curioſitati deſiat, lapſae ex oculis Pauli ſquamae trahuntur in ſubitae ſanctificationis augmentum. Vltro ita eſſe faciamus. vicimus. Ceciderunt enim die a caecitate tertio, Actor. 9. Ergo non cum Paulus dixit: *Domine, quid me vis facere*? Ergo contra Patrum opinionem, non ita fuit Pauli conuerſio ſubita, vt momento peracta ſit. Sanctus fuit Tobias: non tamen oculorum ſanatio ſanctitudinis fuit argumentum. Neque vero ſquamarum in Paulo prolapſio. Omiſſa prius vt ſarciam, ex Cornelij ante baptiſmum ſanctificatione, idem confici volunt. Cur non ego iure ſim potior, cui infinitas quaedam hominum nonniſi baptiſmo ſanctificatorum patrocinatur? an forte quia partus eiuſdem cum parente eſt ſpeciei, priuilegium vnum procreat alterum? Nam id Cornelio Centurioni ſi contigit, ex prima quadam lege contigit. Eſtque id de Cornelio perquam problematicum, cum

non deſint ex Patribus id negitantes, & ipſe Auguſtinus locis pluribus, ita vt vnus Auguſtini locus quaeſtionem ex perplexa perplexabiliorem faciat. Sed de hoc non parce diſputamus alijs in folijs.

Quibus ita diſputatis, alius ſcriptoris codex aperitur, qui Paulo gratiam ante baptiſmum dilargitam confecturus, Ananiae ignorantiam impingit: quippe, qui Pauli conuerſionem adeo perfectam fuiſſe, vt ſola ad peccata delenda ſufficeret, non nouerit. Dic amabo, tu vnde Ananiam non noſſe noſti? An quia ſic ſtatuere tibi viſum, aut diuinare? Nouerat Ananias Paulum a Domino ſingulariter ordinatum, & vas electionis futurum eſſe, inquit: non tamen tam perfectam eius conuerſionem. Affirmo Ananiam nouiſſe tunc Paulum eſſe vas electionis. Niſi forte Ananiam Chriſto affirmanti non credidiſſe quis credit. At reapſe Pauli tam perfectam conuerſionem, vt ante baptiſmum, baptiſmo parem gratiam ſit conſecutus, non narrat Ananias, quia talis non erat: quod autem non eſt, extra metas humanae cognitionis eſt.

Addit potuiſſe Ananiam Paulum hortari, vt amplius peccata ſua ablueret de Dauidis exemplo. Potuiſſe fateor: Factum doceatur. At non factum fateri neceſſe eſt. Non enim dixit: *Baptizare, & amplius ablue peccata tua*: ſed ἁπλῶς, *Ablue peccata tua.*

Inſtat. Forte enim non totius poenae reatus per conuerſionem ei remiſſus fuerat. Quid eſt hoc, niſi diuinare? Ecquae pars poenae remiſſa, quae non? Repono. Analogum per ſe poſitum

ſtat pro principaliore ſignificato : peccati principalius ſignificatum eſt ipſa peccati macula, non poena. Alioqui Magdalidi non remiſſa peccata ſunt, ſed poena eo dicto : *Remittuntur ei peccata multa*. Ergo in eo, *Ablue peccata tua*, conſimiliter.

Ingeminat. Et ſi totius poenae reatus fuerit dimiſſus per contritionem, certe non deerant vulnera ex peccato relicta, & propenſiones malae, & alia id genus multa, quae per gratiam Dei curari poterant. Atqui non curantur haec vulnera per gratiam ſacramenti baptiſmi, aut poenitentiae: quandoquidem poſt eorum ſuſceptionem, quae trita eſt Theologorum diſciplina, & receptiſſima, haereant in iuſtificato propenſiones prauae. Haerent enim in ebrioſo, fornicario, fure, maledico, alijs ad hos vitiorum actus propenſiones: haerent habitus extinctis ſacramento actorum flammis, quantumvis talis ſit iuſtificatus. Hinc lacrymabilis illa ad peccandum pronitas. Deinde has ipſas in Paulo ad malum propenſiones per baptiſmum exradicatas doctum oportuit. Quaero etiam, gratiae iuſtificantis per contritionem, & per baptiſmum iuſtificantis, vnde tam diuerſa ſunt effecta? vt haec propenſiones deteriores tollat, non tollat illa? Pie tamen credo exradicatas fuiſſe heroico conuerſionis actu, quo Pauli mens inflammatiſſima ad Chriſtum ſe appulit, alijſque auxilijs diuinitus conuectis. Quod & totius ſubſecutae vitae ſeries teſtatiſſimum facit. Facit hoc vt credam gratiarum Dei theſaurus in Paulum vberrime effuſus. Verum de hoc in ſcriptura θεοπνεύστῳ altum ſilentium.

Denique res eo delabitur in hac ancipiti digla-

diatione, vt dicat, *Ablue peccata tua*, ſit, *Abſolutionis ſacramentum accipe.* Haec eſt iam de verbulo velitatio. Quaero a quo abſolutionis ſacramento abſoluitur? Vtique a peccatis. Itaque res eodem relabitur. Quaero iterum, quid per abſolutionis ſacramentum velit? Num forte ſignum abſolutionis? nam tota eius eo fertur oratio, vt viſibile abſolutionis ſignum haberet Paulus, & alij cognoſcerent, & ipſe. An ergo baptiſmus abſolutionis dumtaxat ſignum fuerit, non efficiens? Ecquem objecit Paulus obicem? Num forte animo ficto ad lauacrum ijt vas electionis? Quid in eo fictum, qui clamauit: *Domine, quid me vis facere?* Nimia ſit haec in Paulum calumnia, & qua deterior ſacramenti virtus fiat.

Conferre Cornelij exemplum, eſt controuerſia controuerſiam tollere. Atque id vt concedamus, non ſtatim idem in Paulo contigiſſe conſectarium eſt. Nam ex particularibus nihil ſequitur.

Tandem ſolidum iſtud triduum Paulo ad gratiam, & lauationem ſacram parando impenſum eſt. Non quia Deus puncto temporis non id perfeciſſe quiuerit: ſed quia voluntas eius non fuit; quam fuiſſe, temerarium eſt abſque ſufficienti cauſa dicere, ratione, ſcriptura, reuelatione.

His conſignatis, recens a praelo afferuntur Petri Lintrenſis Profeſſoris primarij in Academia Duacena, Commentarij in Acta, in quibus haec: *Mirum autem eſt, nonnullos parum conſiderantes hunc ſacrae Scripturae locum, & priuatis quibuſdam opinionibus impeditos putare Saulum fuiſſe iuſtificatum, antequam baptizaretur: eo quod magnam eius contritionem animaduertant:*

nertant. Deinde idipſum negat: negat & Magdalidi remiſſa peccata ante illam Chriſti vocem: *Remittuntur tibi peccata tua.* Adiungo Albae Epiſcopum:

Haec fatus liquida accurnum luſtrauit in vnda,
Ananias Saulum.
Vnde animus ſcelus eluitur, veterumq. parentum
Crimine contractae excedunt contagia labis.

CAP. V.

Pauli voluntas in hac conuerſione an coacta?

CERTISSIMVM eſt Theologorum dogma, hominis voluntatem cogi minime poſſe: ne a Deo quidem. Neque ſapientia profana ab hoc aliena dogmate. Arrianus Epict. lib. I. Τὸ σκέλος μου δήσεις· τὴν προαίρεσιν δ' οὐδὲ ὁ Ζεὺς νικῆσαι δύναται. Nihilominus cum fureret maxime Paulus, & omnes rabidi animi effunderet habenas, cum minas, & caedem ſpiraret in diſcipulos Domini, videri poſſit velut equuleus indomitus retroagi, ac violente aliorſum impulſus fuiſſe. Voces tunc de coelo repetitae ruere, minaciae proferri: *Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare*: lux copioſa circumfulgere, lux ſupra ſolis ſplendorem, eaque ſic explicari, vt non minus comites, quam Paulum ipſum ambiret: Paulus ipſe in terram proſterni, tremere, ſtupere, apertis oculis nihil videre, triduum non eſitare, non potu

refici, manu quo iret cumque duci, trahi. Tantis, tamque miris προκινήσεσι cum voluntas icta rapitur, flectiturque contra conſilium antecaptum, contra pertinacem animi deliberationem, non vim pati dicetur? Nullo modo. Verum Pauli voluntas tot diuinitus adjuta praeſidijs, ſemetipſa mutauit, inque diuerſam partem egit. Arrianus cap. 28. Προαίρεσιν δὲ οὐδὲν ἄλλο νικῆσαι δύναται, πλὴν αὐτὴ ἑαυτήν. *Voluntatem vincere nil aliud poteſt, praeterquam ſemetipſa.* Deus quidem in perplurimorum vocatione docet, irradiat, praeſens adſtat: Paulum certe traxit, quo ſuperae rationes trahunt. Quas ob res, laudatione Pauli 8. S. Ioannes Chryſoſtomus, cum gradatim de puſillis miraculis (ſi qua modo puſilla ſunt) ad altiora prouectus, mortuos vmbrae potentia excitari, ingens putat miraculum, ingentius ſtatuit Paulum ad lumina vitae coeleſtiſſimae reuocatum Chriſti trahentis, & capientis ope. Sic ille: Τοῦ δὲ νεκροὺς ἐγεῖραι διὰ τῶν σκιῶν μεῖζον σημεῖον ἦν τὸ τὴν γνώμην Παύλου ἐπισπάσασθαι, καὶ ἑλεῖν. Hoc eſt: *Mortuorum per vmbras excitatione ſignum maius erat mentem Pauli attrahere, & capere.* Tum rationem ſubtexit: quia in mortui excitatione natura non rebellat; quin potius imperanti obſequitur: in Pauli autem vocatu, voluntas eius perſuaderi, aut non perſuaderi libera, ſuique domina eſt; ex quo maiorem demonſtrat Dei perſuadentis virtutem. Chryſoſtomi manus: Ἐκεῖ μὲν γὰρ ἡ φύσις εἵπετο, καὶ οὐκ ἀντέλεγε τῷ ἐπιτάττοντι· ἐνταῦθα δὲ προαίρεσις ἦν τοῦ πεισθῆναι, καὶ τοῦ μὴ πεισθῆναι κυρία· ὅθεν πολλὴ δύναμις τοῦ πείσαντος δείκνυται. Pertexit: Τοῦ γὰρ φύσιν διορθῶσαι, τὸ προαίρεσιν μεταβαλεῖν πολλῷ μεῖζον ἦν. Μεῖζον ἄρα τῶν ἄλλων ἁπάντων σημεῖον ἐγένετο τὸ

Παῦλον προσελθεῖν τῷ Χριστῷ μετὰ τὸν σταυρὸν, καὶ τὸν τάφον. *Nam eo, quod eſt naturam rectiorem ſtatuere, multo erat maius voluntatem immutare. Signis igitur omnibus alijs Paulum ad Chriſtum poſt crucem, poſt tumulum accedere, maius quiddam fuit.* Idem Chryſoſtomus laudatione quarta: Μηδεὶς ταῦτα ἀκούων ἠναγκασμένην νομιζέτω εἶναι ταύτην τὴν κλῆσιν· καὶ γὰρ ἐδύνατο πάλιν ἐπανελθεῖν, ὅθεν ἐξέβη. *Nemo*, inquit, *his auditis, neceſſitati vocationem hanc tribuat: potuit enim Paulus eo redire, vnde egreſſus fuerat.* Apponit rationem fulmineam: multi enim, qui maiora videre miracula, iterum relapſi ſunt tam in Nouo, quam Antiquo. Proponit exempla Nabuchodonoſoris (ita ſentit) Iudae, Elymae magi, Simonis, Ananiæ, Saphirae, totius populi Iudaici, quod de Paulo negat. Idē hom. 19. in Acta: Πῶς οὖν οὐκ ἠναγκάσθη; Καὶ τί ἀναγκαστικώτερον τοῦ σεισμοῦ τοῦ ἐπὶ τῆς ἀναστάσεως; τῶν στρατιωτῶν τῶν ἀπαγγειλάντων; τῶν σημείων τῶν ἄλλων; τοῦ ἰδεῖν αὐτὸν ἀναστάντα; Ἀλλ' οὐκ ἔστι ταῦτα ἀναγκαστικά, ἀλλὰ διδακτικά. *Qui Paulus igitur non eſt neceſſitate compulſus? Quid tempore reſurrectionis trepidatione terrae maiorem inferendi neceſſitatem vim habuit? quid militibus hoc nunciantibus? quid ſignis alijs? quid ipſo reſurgente viſo? Atqui vniuerſa haec nullam neceſſitatis afferendae vim habebant, ſed docendi.* Tum in ipſius Pauli cauſa neceſſitatem omnem excutit Iudaeos ſcitans: Vnde, quaeſo, Paulus demutatus eſt? Tanta prius ſigna viderat, nec demutatus eſt. Magiſter ipſius Gamaliel eſt demutatus, non Paulus: Stephanus pro fide data, & accepta, lapidatus eſt: Paulus viuus diriguit. Nec longe a vero eſt Lazarum ſciſſe excitatum: interim Paulus iacuit. Si miracula, ſi oſtenta cuiuſquam voluntati neceſſitatem, aut vim afferrent; profe-

cto pridem Paulus Chriſto adhaeſiſſet ; haut tam ſero.

Iterum idem Chryſoſtomus tom. 5. ſerm. 43. Iudaeum infidelem affatus : Εἰ γὰρ ἀνάγκη ἦν, καί σε ἔδει ὑπακούειν· εἰ δὲ σὺ οὐχ ὑπακούεις, ἔνδηλον, ὅτι κἀκεῖνος ἐκ προαιρέσεως ὑπήκουσε. Hoc loco in huius veritatis lucem plures explicat philyras. Neque hic veri radius Plutarchum latuit in Coriolano: Ἐν δὲ ταῖς ἀτόποις, καὶ παραβόλοις πράξεσι, καὶ φορᾶς τινὸς ἐνθουσιώδους, καὶ παραστάσεως δεομέναις, οὐκ ἀναιροῦντα ποιεῖ [Homerus] τὸν Θεόν. *In actionibus abſurdis*, inquit, *& temerarijs, in quibus animus diuinitus excitus, & praeſens opus eſt, non fingit Deum voluntatis arbitrium tollere*; ſed mouere. Ecquae vero mouendi ratio? Οὐδ' ὁρμὰς ἐνεργαζόμενον, ἀλλὰ φαντασίας ὁρμῶν ἀγωγούς, αἷς οὐδὲ ποιεῖ τὴν πρᾶξιν ἀκούσιον, ἀλλὰ τῷ ἑκουσίῳ δίδωσιν ἀρχὴν, καὶ τὸ ἐλπίζειν προστίθησιν. Haec ſunt: *Neque impetum, aut appetitum ingignere ; ſed imaginationem impetus, aut appetitus ducem, qua neque actionem facit inuitis nobis : ſed voluntario principium dat, & confidentiam, & ſpem addit.* Plura diuina quadam ſapientia in eandem rationem confert pag. 418. editionis ab H. Stephano.

At tremens, ſtupens, caecus vim paſſus non eſt? Vim nullam, nec idcirco mentis excuſſae fuit. Quinetiam terror, ac metus ſapientiam faciunt, non dementiam afferunt, & quandoque mentem ad ſalutis conſilia referunt. Pulcerrime docet hoc Ambroſius libro 2. de Vocatione G. cap. 10. *Quam multos enim, qui in tranquillitate pacis ſacramentum baptiſmi ſuſcipere differebant, ad aquam regenerationis confugere inſtantis periculi metus impulit, & lentis, tepidiſque animis, quod diu cohortatio quieta non*

ſuaſit, minax ſubito terror extorſit? Et variantiam iſtam vocationum inſignitis fulcit exemplis. *Quidam Eccleſiae filij*, inquit, *ab hoſtibus capti, dominos ſuos Chriſti Euangelio manciparunt: & quibus conditione bellica ſeruiebant, eiſdem fidei magiſterio praefuerunt. At alij barbari, dum Romanis auxiliantur, quod in ſuis locis noſſe non poterant, in noſtris didicere regionibus, & ad ſedes ſuas Chriſtianae religionis inſtitutione remearunt.* Omnia abſque vi, abſque neceſſitate. Idem Ambroſius in anteriori capite: *Cum ergo hic timor etiam per quandam vim magni terroris immittitur, non ibi ratio exſtinguitur, nec intellectus aufertur: ſed illa potius, quae mentem premebat caligo, diſcutitur, vt voluntas deprauata prius, atque captiua, recta efficiatur, & libera. Vnde ſicut animus nihil virtutis capit, niſi radium veri acceperit luminis: ita gratia nihil ei, quem vocat, confert, niſi oculos in eo aperuerit voluntatis. Quae in pleriſque, ſicut ſuperius diſputatum eſt, ab ipſo initio ſui ardentiſſima citis, & magnis ditatur augmentis.* Haec tam graphice, vt Paulinae exemplar hiſtoriae ſibi propoſuiſſe, dum haec Ambroſius ſcriberet, videri queat. Si quis autem veterum in Pauli vocatu vim, aut coactionem agnouit, vti D. Auguſtinus tom. 2. epiſt. 50. ad Bonifacium Comitem, non eam agnouit, quae liberam voluntatis poteſtatem vinciret: ſed qua Deus rebellatricem prius Pauli voluntatem maiore apparatu, ac, vt ita dicam, pompa reflexit in melius, traxitque. Sic ipſemet ſe Auguſtinus ad Simplicianum aperit: *Voluntas ipſa, niſi aliud occurrerit, quod delectet, atque inuitet animum, moueri nullo modo poteſt. Hoc autem vt occurrat, non eſt in hominis poteſtate. Quid volebat Saulus, niſi vt inuaderet, & traheret, vinciret, & necaret Chriſtianos? Quam rabida*

voluntas, quam furioſa, quam caeca? qui tamen vna deſuper voce proſtratus, occurrente vtique tali viſo, quo mens illa, & voluntas refracta ſaeuitia retorqueretur, & corrigeretur ad fidem, repente ex Euangelij mirabili perſecutore mirabilior praedicator effectus eſt. Ea vis autem ita Dei propria eſt, vt cum nulla ſit creatura communicata, quod oſtendit S. Bonauentura in 2. diſt. 25. q. 2. a. 4. 5.

CAP. VI.

An Pauli voluntas in Conuerſione à Deo praedeterminata?

SCISCITABITVR forte alius neſcio quis ex claſſe Terminariorum, aut Helciariorum, an ſaltem Pauli voluntas ad Chriſtum complectendum, aut ad credendum non fuerit à Deo determinata? Incipit enim valeſcere iſta de praedeterminationibus opinio. Hactenus Pauli voluntatem minime coactam fuiſſe; ſed liberrimam veritate à maioribus accepta probauimus. Quo poſito prorſus omnis à Paulo in tot, tantíſque vocationis diuinae praeſidiis determinatio ableganda eſt. Maxime namque determinationem eiuſmodi, & τὸ αὐτεξούσιον diſcordare remur, neque alterum alterius pati conſortium. Verum in hoc negotio, dum eorum cauſam penſito, occurrit illud Actorum 22. *Deus Patrum noſtrorum praeordinauit te, vt cognoſceres voluntatem eius, & videres iuſtum, & au-*

dires vocem de ore eius. Deum praeordinaſſe, vt Paulus *cognoſceret voluntatem eius*, fateor; & hoc amplius, Paulum cognoſcere voluiſſe. Vnde vox illa Pauli: *Quis es, Domine?* Item: *Domine, quid me vis facere?* Vox prior eſt volentis Chriſtum cognoſcere: vox altera volentis cognoſcere voluntatem eius. Vt cognoſceret Chriſtum, & voluntatem eius praeordinatum fuit à Deo: vt cognoſcere vellet, liberrimae voluntatis in Paulo fuit. D. Aug. tom. 7. lib. 1. de Gratia Chriſti contra Pelagium, & Coeleſtium: *Si enim, ſicut veritas loquitur, omnis, qui didicit, venit: quiſquis non venit, profecto nec didicit. Quis autem non videat & venire quenquam, & non venire arbitrio voluntatis?* Dicendum alioqui fuerat ei: *Quis autem non videat, & venire quenquam, & non venire praedeterminatione adiutum, vel deſtitutum?* Paulus audito: *Ego ſum IESVS*, didicit. Iterum audito: *Surge, & ingredere in ciuitatem*: ſurrexit, cœpit ire in ciuitatem ad Ananiam, atque adeo ad Chriſtum. Denique, audito: *Dicetur tibi, quid te oporteat facere*, &, *Exſurge, & baptizare, & ablue peccata tua inuocato nomine ipſius*, voluit baptizari, voluit ablui peccata ſua, voluit inuocare nomen ipſius, ac tum perfectiſſime *venit*, ac venire voluit, ac liberrime voluit, ſeu abſque praedeterminatione voluntatis voluit Paulus. Eſtque ad hoc propoſitum admodum Caietani commentarius probabilis, qui exponit verbis praedictis Ananiam dicere rem geſtam in via fuiſſe praeparationem ipſius Pauli ad cognoſcendum voluntatem Dei. Nam προεχειρίσατό σε proprie eſt *praecontrectauit manu*, *Manu ante parauit*, ἐχειραγώγησε minimo interuallo. Hoc equi-

dem vocis origini magis conſentaneum, quam vſui. Ex vſu namque προχείζεσθαι eſt *Deligere, & quaſi manu capere quid ad aliud agendum prae alio.* Polybius in nobiliſſima iſta hiſtoria de decem ab Annibale delectis, miſſiſque Romam (refert & Tullius Offic. 3.) Εἷς τῶν προχειρισθέντων ἐκπορευόμενος τοῦ χάρακος, πάλιν ἀνέκαμψεν. *Vnus ex delectis egreſſus de vallo, rurſus rediit.* Diodorus Siculus: Τῶν φίλων προχειρισάμενος Ἑκαταῖον: *Ex amicis Hecataeum cum delegiſſet.* Ad eundem modum ſupra: Προεχειρίσατό σε γνῶναι τὸ θέλημα αὐτοῦ. *Delegit te, vt cognoſceres voluntatem eius.* Non autem valet, *Praedeterminauit*, vt cognitio Pauli, multo minus voluntas, qui cognoſcere voluit, ſignificetur a Deo praedeterminata, vt intelligunt, qui praedeterminationes, aut praefinitiones hodie diffiniunt. Nec eo haec diſputo, vt omnem Dei circa Paulum praedeſtinationem diſcludam: ſed Graecam vocem ad id quod volunt, minime pertinere doceo.

Certe ſi Pauli voluntas praedeterminata fuiſſet, violentiam eſſet paſſa; ſi violentiam, & coactionem. Nam etſi violentia coactione fuſior ſit, tamen in natura rationali eſt coactio. Violentiam paſſuram fuiſſe roborari poteſt ex Epicteto: Κατὰ βίαν μὲν, ὅταν ἡ ποιητικὴ ἀρχὴ, ἥγουν αἰτία ἔξωθέν ἐστι. *Violentia fit, quando principium efficiens, ſiue cauſa extrinſeca eſt.* Ariſtoteles lib. 1. Mag. Moral. cap. 15. Τοῦ οὖν βιαίου οὔπω ἡμῶν ἐστιν ὁ ὁρισμὸς, ὧν ἐκτὸς ἐστιν ἡ αἰτία. Ioannes Damaſcenus lib. 2. eadem Epicteto dictione vſus eſt. Quare Riſpolis lib. 2. de Praedeterminationibus, cum admittendum ſibi videret ex praedeterminationibus ſequi indifferentiam voluntatis reſpectu determinationis talis

eſſe tantum paſſiuam, reſpondit aduerſario, voluntatem noſtram concurrere paſſiue, concurrere negatiue, reſpectu illius principij extrinſeci, ipſam determinantis, hoc eſt, violentiam pati, vt ex triga ſummorum illorum virorum manifeſtum euaſit. *Concurrere* autem *negatiue*, vt loquitur pag. 325. ſi quis dixerit eſſe non concurrere, non aberrauerit. Ex quo reſponſo ſequitur primum voluntatem noſtram reſpectu principij illius extrinſeci de terminatis non agere, atque adeo cauſam actionum ſuarum efficientem non eſſe; ſed paſſiue ſe habere, atque negatiue vti dicit. Secundo, ex eodem reſpectu voluntatem non eſſe concauſam, atque adeo proprie non concurrere: ſed cum Deus in eam agat, illam pati tantummodo. Sed addit nugacis, & plenae inaniarum diſtinctionis ſuae partem alteram. *Concurrere autem actiue, efficienter, & poſitiue reſpectu principij intrinſeci, quae eſt ipſiuſmet voluntatis libertas.* Ita eadem pagina 325. Sic voluntas erit biceps belua, ex ſemiſſe patiens in eodem actu, ex ſemiſſe agens in eodem actu. Quae ſubtilitas, licet aranearum operas ſupergreditur; noua tamen eſt opus ſubtilitate, vt, ecquod ſit hoc principium intrinſecum, pernoſcamus. Dicet: *Quae eſt ipſiuſmet voluntatis libertas.* At voluntatis libertas nihil eſt aliud, quam voluntas libera: cum ergo voluntas (quae non poteſt eſſe, niſi libera ex natura ſua) ratione principij intrinſeci dicitur ſe habere *actiue, efficienter, & poſitiue*, hoc dicitur, Voluntas reſpectu ſui habet ſe actiue: ergo (voluntatem a ſeipſa cum nefas ſit diuellere) eius actiuitatem reſpectu principij extrinſeci, quod eſt Deus, diuellere quoque erit

nefas: & ſic reſpectu principij extrinſeci determinantis actiua quoque erit, nec tantum ſe paſſiue habebit. Et effugium quaeſitum erit ab vmbra futilis diſtinctionis. Quare auctor, & inſcriptor libri de Praedeterminationibus, eadem pag. 325. immediate ſubtexuit: *Et ideo potius dicendum eſt voluntatem ſe efficienter determinare, quam quod paßiue ab alio determinetur.* Nec ſine apertiſſima, optimaque ratione iſta profatur: Cum primum ei conueniat ab intrinſeco (agere, ac ſe determinare) hoc vero ſecundum ab extrinſeco, ſcilicet *paßiue concurrere*, ſiue iacere, inertem eſſe, non concurrere. Ea namque ratione ſi propellerem ſaxum pede, diceretur paſſiue concurrere: ſed hic concurſus verbalis eſt, reapſe nullus. A me Origenes tom. 3. περὶ ἀρχῶν, Ἔξωθεν μὲν σῶν μόνον κινεῖται τὰ φορητά· οἷον ξύλα, καὶ λίθοι, καὶ πᾶσα ἡ ὑπὸ ἕξεως μόνης συνεχομένη ὕλη. Sic auctor ille in operis progreſſu oculatior, quam in incoeptu, ac ponendo lemmate, iterum ſcripſerat pag. 235. *Quoniam praedeterminatio videtur opponi libertati: idcirco illud auxilium efficax antecedens, & praemouens voluntatem, multo melius appellabitur antecedens, & praemouens efficaciter ad conſenſum, & conuerſionem, quam praedeterminans; ſi per concurſum praedeterminantem intelligas neceßitatem, aut qualitatem aliquam deſtruentem libertatem, vt intellexit D. Damaſcenus lib. 1. Fidei Orthodoxae, cap. 3.* Haec allegatio inſcitiſſima eſt. Scripſit enim Damaſcenus lib. 2. cap. 30. Χρὴ γινώσκειν, ὡς πάντα μὲν προγινώσκει ὁ Θεός, οὐ πάντα δὲ προορίζει. Hoc eſt: *Sciendum eſt omnia Deum praeſcire: at non omnia praefinire, ſeu praedeterminare.* Quae duo cum iungo, ſubit animum ſcitari ex Riſpoli, *Praedefinitionum, & praedeterminationum*

quae ſit diſſeritas in eius Inſcriptione libelli, vbi ea duo conglutinantur iſtius vſu copulatiuae? Finis, & Terminus; Finio, & Termino; Praedefinio, & Praedetermino tam συνωνύμως efferuntur, vt alia nulla magis. Sed hoc πάρεργον ne faciamus ἔργον. Ad verba diſertiſſima, explicatiſſima, & a tricis liberrima reſpondent Alexander Halenſis, D. Thomas, Riſpolis, vti ſupra, ac paene idem reſpondet Eſtius. At cum pace tantorum virorum dico expoſitionem hanc a mente Damaſceni, quem ab annis triginta non ſegniter ruſpatus ſum, eſſe auerſiſſimam. Nam ex Damaſceni mente ſicut omnia praecognoſcit Deus; ſic non omnia praefinit. Quae propoſitio Catholica eſt, & ad omnes creaturas corporales, incorporales, rationales, irrationales, animatas, inanimatas explicata, non ad eas ſolas quae neceſſitate agunt, vt viſum Riſpoli. Ad cuius Catholicae adſertionis probationem adſumit Damaſcenus, Deum noſſe, quae ſunt in poteſtate noſtra (quod obſcure nonnihil interpres vulgatus, *Quae in nobis*) Nam τὸ, Ἐφ' ἡμῖν apud prophanos ſcriptores, & Eccleſiae proceres plerumque ſemper valet, *Quod in nobis, quod in noſtra poteſtate, liberum arbitrium.* Vnum ex multis. Origenes tom. 3. in Geneſim: Ἔπειτα δὲ τοὺς ταῦτα δογματίζοντας ἐξ ὅλων τὸ ἐφ' ἡμῖν αἰαιρεῖν, vbi Tarinus laudabiliter, *Arbitrij libertatem* vertit. Tota quoque ſeries capitis Damaſceni nos eo indeclinabiliter inclinat, vt cum Auguſtino loquar. Sic igitur ſubſumit: Προγινώσκει γὰρ τὰ ἐφ' ἡμῖν, οὐ προορίζει δὲ αὐτά. *Praeſcit enim ea, quae ſunt in noſtra poteſtate: non autem praefinit ipſa.* Quod ſi Damaſcenus per *Praefinire*, intellexiſſet *neceſſi-*

tatem, aut qualitatem aliquam, quae libertati peſtem afferret, non ita probatum iret: Οὐ γὰρ θέλει τὴν κακίαν γίνεσθαι, οὐδὲ βιάζεται τὴν ἀρετήν. Hoc eſt: *Non enim vult vt malum ſit, neque violentiam infert, vt virtus ſit.* Quaſi dicat Damaſcenus, recepta *Praefinitione, ſeu Praedeterminatione* futurum, vt per vim ad virtutem conſectādam ſeſe voluntas applicet (quod incommodum ante queſti ſumus) aut vt malum (ſeu *Peccatum*) non ſit dumtaxat, ſed a Deo volitum ſit: quod ſcilicet *Praefinit*, vult. Supponit ergo etiam Damaſcenus, ſi praefinitio recipiatur, non minus recipiendam reſpectu mali, quam boni, cum ad vtrumque etiam voluntatis libere poteſtas ſe porrigat. Quinimo dilucide addit: Προορίζει δὲ τὰ οὐκ ἐφ' ἡμῖν κατὰ τὴν πρόγνωσιν αὐτοῦ. Vbi luce maiori, quam ante interpres: *Praediffinit autem ea, quae non in noſtra poteſtate ſunt, ſecundum praeſcientiam ſuam.* Quod ſi rationem cōſulimus, nulli, cui ſanum fuerit ſinciput, aut fides, venit in mentem ſtatuere Deum procreare qualitatem aliquam deſtructiuam libertatis voluntatis humanae, vt hoc rejectione egeat tanquam a Damaſceno profectum. Sed Riſpolis profecto antiquum obtinet, dum tam inconſiderate Damaſcenum id velle non abſque iniuria pronunciat. Simili ſecordia, pagina 385. *Ignorantes* vociferatur eos, qui cum aequali Dei auxilio volunt hunc conuerti, hunc non conuerti. Ergo (quod horret anima etiam ſuperbi) ignorans fuit D. Ioannes Chryſoſtomus tom. 8. ſerm. 4. de Laudib. S. Pauli, tom. 5. ſerm. 43. quamuis vberrime. Ergo ignorans S. Auguſtinus lib. 12. de Ciuit. cap. 6. Ergo ignorans Driedo lib. de Capt. & Red. generis humani,

pagina 102. & lib. 2. de Concord. lib. arb. pag. 25. Ruardus Tapper, Cunerus, tot Eccleſiae luminaria laborant ignorantia, qui hoc concorditer ſcripſerunt. Vnus Riſpolis ſapiens, qui ſapientiae ſuae oceano dum mergitur, eos ignorantes appellitat. οἷος πέπνυται, alter iſte Tireſias. At ne quid nimis, in gyrum reducatur oratio. Neque enim modo ſtatui aut praefinitiones debellare, aut aequalem gratiam conuerſo, & non conuerſo iam pertinacius arrogare. Finio ſic. Si neceſſitate voluntas in actionibus conſtringeretur, merito, aut demerito locus non eſſet. Idem de Pauli. Cate Tertulliani lib. 1. ad vxorem: *Quod autem neceſſitas praeſtat, depreciat ipſa.* Praedeterminationes autem iſtas nouellas ſatis ſuperque exſtirpauit, atque exterminauit Leonardus Leſſius Theologiae Belgi Alpha in lib. de Gratia efficaci, Molina in Concordia diſput. 53. in 2. ad qu. 14.

Fatendum tamen eſt, primum gratiae pulſum, & appulſum in Paulo minime fuiſſe voluntarium: ne quidem fuiſſe talem, prout Pauli voluntas apta erat ſequi ſecundum ſuas affectiones: hae namque tunc in eo prauiſſimae. Paulum enim *praeuenit Deus in benedictionibus dulcedinis* ſuae, ac poteſtatis terrificantis, quo factum, vt impedirentur cogitationes, & motus animi, quibus impediri, vel retardari poſſet vocatio Pauli. Potuit & Deus alios ad id modos deligere homini incompertos: quidquid enim tunc fuit abditum, fuit & abſtruſum, quod forte *non licet homini loqui.* Quare vt ſecundum Liranum, gentium populus Ieremiae fatur ore, cap. 31. *Tu Dominus Deus*

meus, poſtquam conuertiſti me, egi poenitentiam. Sic D. Paulus. Eſtque Dei ad peccatorem conuerſio prior, & cauſa verſi peccatoris, non ſignum tantum, vt Charadrij acies conuerſa, vel auerſa de Epiphanij mente. Denique Pauli vocationem tam internam, quam externam, praefinitam eſſe a Deo efficaci voluntate, & concurſu: conſenſum tamen Pauli eidem vocationi, & per conſequens conuerſionem Pauli, quatenus a libero eius conſenſu pendebat, non fuiſſe illo modo praefinitam dicimus.

Signum vlterius huius veritatis. Potuit Paulus Dei gratiae paulo ignauiter reſpondere: at conatu reſpondit ingenti, intentiſſimo, perfectiſſimo; totum ſe gratiae dedidit, ſeu quae ipſe circa ſe, ſeu quae circa proximum in ipſo conuerſionis primordio geſſit: Ergo voluntas eius liberrimis habenis ad Deum ſeſe appulit: At hoc ipſum praedeterminatum oggarriet aduerſarius; etiamne probabit? Nam ſi hoc: tantae induſtriae, gnauitati, obſequelae praemium adimitur, quod inimicum eſt Chriſti oraculo: *Remittuntur ei peccata multa: quoniam dilexit multum.* Par in Paulo ratio.

Digitized by Google

CAP. VII.

Sancti Pauli caecitas.

RAPTVM die medio ſolem, vt rem prodigialem ex vero dequeritur antiqua tragoedia. Nec mirum minus Paulum *die media*, cum vtroque lumine ſane, ac perſpicaciter vteretur, vtroque caecari, Act. 26. Caecitas enim haec & praeteritae conditionis index fuit, & futurae teſſera. Praeteritae: quod hactenus Pauli animum perfidiae, ac peccati tenebrae inſederant. Eſt enim mentis quoque caecitas. Sophocles in Oedipo:

Τυφλὸς τά τ' ὦτα, τόν τε νοῦν, τά τ' ὄμματα.

Quae in Paulum quadrant optime. Futurae: quod vti noctem illuminata excipit aurora; ſic fore pulſa vitiorum nocte, vt Pauli primum inclareſceret anima: tum variae nationes. Sanctus Macarius homil. 25. Τοῦτο τὸ πῦρ διὰ τῆς φωνῆς περιλάμψαν τὴν μὲν διάνοιαν αὐτοῦ ἐφώτισε· τὴν δὲ αἴσθησιν τῆς ὄψεως αὐτοῦ ἠμαύρωσεν. D. Auguſtinus ſerm. 1. de Pauli Conuerſione: *Caecus factus, vt interiore luce fulgeret.* Nam Deus eum *de tenebris vocauit in admirabile lumen ſuum*, 1. Petri 2. hoc eſt ad fidem, quam cum homo complectitur, id agit lumine coelitus infuſo. Nam omnis *qui accipit teſtimonium eius, hoc ſignat, hoc indicat, quod per lucem illuminantem factus eſt videns, factus eſt obediens, factus eſt intelligens*, inquit Ambroſius lib. 1. cap. 6. de Vocatione G. Hoc

lumen, quia ſolenni Dei dono confertur per baptiſmum, adeo tunc Pauli tenebras pepulit. Hieronymus: *Paulus perſecutor Eccleſiae, & lupus rapax Beniamin Ananiae oui ſubmittit caput: nec ante recuperat adſpectum, quam curet baptiſmo caecitatem.* Auguſtinus & Hieronymus, ſancta ζυνωεὶς, caecum agnoſcunt Paulum, & cum D. Chryſoſtomo Iſidorus Peluſiota, Graeci caeteri: nihilominus codex Σιόπηδυσος non hoc tam expreſſim proloquitur. Actor. 9. *Apertiſque oculis nihil videbat.* Hiabant palpebrae, & ſuffuſa caligo vim videndi vinciebat, an etiam eripuerat? Actor. 22. ipſe ſic de hoc euentu exloquitur: *Cum non viderem.* Plurifarijs modis poteſt quis non videre, nec caecus eſſe. Summa ratio. Negitant ſapientes a priuatione ad habitum reditionem, a caecitate ad viſionem: at Pauli qualiſcunque fuit caecitas, triduana dumtaxat fuit. Deum Opt. Max. humanae ſapientiae metas ſupergredi non neſcimus. Exemplum in Tobia, & alterum, Ioannis cap. 9. In ſanctorum virorum hiſtoria ſexcenta paria. Curat igitur, ſanatque hoc mali Deus, cum illi libentia eſt. At Pauli caecitas, ſeu non viſio cuiuſmodi? Literae diuiniores quandoque caecitatis cauſam ſupprimunt, quandoq. exprimunt. Supprimunt in Balaamo, Numeror. 22. cap. vbi aſina Angelum euaginato gladio vidit, ac pertimuit Balaamo interim impauido, nec Angelum cernente, donec *aperuit Dominus oculos Balaam.* Non illi quidem prius clauſi, quibus aſinam, atque aſinae declinationes notabat: at ne Angelum viderent, impediti impeditione extima, vel intima. Similiter Geneſ. 19. Sodomitas caecitate percuſſerunt

tulerunt Angeli, ſic vt oſtium inuenire minime quirent, qui tamen viris inueſtigandis, ac ſi caetera viderent, operam dabant. Hic oſtium, illic Angelus fugit videntium oculos, & hi caecitate percuſſi memorantur; illi oculi poſt aperti, quaſi prius clauſi, caecique fuerint. Exprimunt caecitatis cauſam bene ſpeciatim in Tobia. Hirundinis calida ſtercora erant in dormientes oculos lapſa. Exprimunt in Paulo, non cap. 9. ſed 22. hiſtoriae Lucanae: *Cum non viderem prae claritate luminis illius*. Exemplum in effectis naturae. Heſiodis Theogonia:

—— Ὄσσε δ' ἄμερδε, καὶ ἰφθίμων περ ἐόντων,
Αὐγὴ μαρμαίρουσα κεραυνοῦ τε, στεροπῆς τε.

Chriſtus IESVS contemtim hactenus, viliſque Paulo habitus, offert ſe illi videndum cum gloria, cum maieſtate, cum multa luminis circumiectione, vt quo pareret auguſtior, tanto Paulo mollior ad fidem animus pateſceret. Sicut igitur fornax bene accenſa, vicino foco flammam inuidet: ſicut ſol directim radios in terreſtrem igniculum proijciens, eum attenuat, conſopit, quandoque exſtinguit; ſic nimia lucis Chriſtianae affluentia in Pauli lumina vibrata lumen, quod in oculis erat viuidum, vbertate ſua interficit. Eſt namque ex melioris ſapientiae decreto quaedam in oculo lux, quae varijs de cauſis oblidi poteſt, aut interimi: ſeu quia maius lumen offuſcat minus: ſeu quia vehementius ſenſile ſenſum vulnerat. Imo ignem in oculo agnoſcit Tullius ex Platone, lib. de Vniuerſitate: *Cum ignis oculorum cum eo igne, qui eſt ob os offuſus*. Quod ſi vlterius caecitatis huius temporariae cauſas rimari fas (etſi

princeps illa, quam Lucas extulit) altera exinde nata fuit humorum ad oculos proritatorum perturbatio, vt chalybe in aquam iacto tremor aquarum, & confuſio naſcitur: ſic in Pauli pupula icta ſole Chriſti vndequaque humoribus pallas oculi has, & has confertim obruentibus adnata quaſi quaedam opacitas denſior, quam lux oculorum velut nube obruta nequibat perrumpere: donec virtute Chriſti per os Ananiae erumpente illam caliginem, defluerent ex oculis veluti ſquamae, hoc eſt, concretae ſquamarum inſtar nubeculae. Lucana hiſtoria cap. 9. *Et confeſtim ceciderunt ab oculis eius tanquam ſquamae.* In Tobia pauxillatim. Tob. cap. 11. *Liniuit oculos patris ſui. Et ſuſtinuit quaſi dimidiam fere horam: & coepit albugo ex oculis, quaſi membrana oui egredi.* Quam apprehendens Tobias, traxit ab oculis eius, ſtatimque viſum recepit. Nota, *Statim.* Vltimus viſionis refectae articulus hic deſignatur, aut potius redditae. Alioqui refectam inſigni temporis mora viſionem Scriptura clamat, quod in Paulo aliter exprimitur. Et vero pertinacior, longiorque fuerat Tobiae caecitas, teſte eius hiſtoria; Pauli triduana. Diuinae tamen potentiae reſpectu, cui mala inueterata, & recentia aequa facultate curantur, vtriuſque curationis diſcrimen nullum: diſcrimen a Dei voluntate diuinis conteſtatum paginis.

Praeterea, in Tobia, & Paulo alia, atque alia fuere caecitatis initia, alia, atque alia caecitatis expultrix cauſa. Tobiam occaecarunt calentia ſtercora: Paulum *claritas luminis* ex Chriſtiani corporis ſplendore exuberantis euibrata. Ex corpore

Digitized by Google

namque iam beatitatem adſecuto ſuapte ſponte lux magna, niſi ſcita Dei vetent, profluit. Sic dum dies quadraginta cum ſuis Chriſtus conueſcitur, erupturae lucis radios poteſtate compeſcuit, ne imbecillis ſuorum oculis noſceretur. Superat enim ſolis ſplendorem e Chriſti caruncula glorioſa eruptus ſplendor. Erumpi ſciuit, iuſſitve, cum ſe Paulo obijcit cum multa luminis majeſtate. Actorum 26. *Die media in via vidi, Rex, de coelo ſupra ſplendorem ſolis circumfulſiſſe me lumen.* Tres in hoc lumine circumſtantiae oculo noxiae, vbertas, circumfuſio, proximitas. Sanationis differitas in eo, quod Tobias ſenior a iuniore fel piſcis applicante, liniente, albuginem apprehendente, ac diſcludente ſit perſanatus. Paulus diuina paene manu: Vna Ananiae vox interceſſit, eaque a Deo dictata. Impoſuit quidem Paulo manus Ananias: ſed ad conferendum Spiritum Sanctum; quod in Actis ſaepicule contigit. Pauli ergo caecitas a Deo ἀμέσως, & ſanatio ἀμέσως; eo vtraque nobilior: Tobiae caecitatis cauſa a natura. Curatio quoque propemodum naturalis, &, ſi Valeſio, Lorinoque credimus, prorſus a natura.

Digitized by Google

CAP. VIII.

Verane Pauli caecitas. Cauſae quaeſitius.

LONGA, & faſtidioſa Tobiae caecitas fuit: longior futura, & niſi reluminaſſet Deus, iactura oculorum irreparabilis fuiſſet. Sodomitarum autem, ac Balaami caecitas propritim non fuit. Certas enim res luminibus objacentes non cernebant: ad reliqua interim oculati, & perſpicaces. Diuus Auguſtinus lib. 22. ad Marcellinum, cap. 19. *Cum autem aliquid non videtur, quamuis adſit, a quibus alia, quae pariter adſunt, videntur: ſicut illam claritatem dicimus adfuiſſe non viſam, a quibus alia videbantur.* Ἀορασία *Graece dicitur. Quod noſtri interpretes Latine dicere non valentes in libro Geneſews, Caecitatem interpretati ſunt. Hanc enim paßi ſunt Sodomitae, quando quaerebant oſtium iuſti viri, nec poterant inuenire. Quae ſi caecitas fuiſſet, qua fit, vt nihil poßit videri, non oſtium, quo ingrederentur; ſed duces itineris, a quibus inde abducerentur, inquirerent.* Aliter Paulo euenit. Apoſtolorum Acta, cap. 9. *Apertiſque oculis nihil videbat.* Qui nil videt apertis iam oculorum orbibus, caecus eſt. *Sed duces itineris, à quibus inde abduceretur, requirebat.* Ibid. *Ad manus autem illum trahentes, introduxerunt Damaſcum.* Conſimili iudicio caecitatis de Bar-Ieſu ſcriptum in Actis, cap. 13. *Eris caecus, non videns ſolem vſque ad tempus. Et confeſtim cecidit in eum caligo, & tenebrae;*

Digitized by Google

& circumiens quaerebat, qui ei manum daret. Conſimilis apud Ambroſium lib. 5. Epiſt. *ſepſerunt nempe armati baſilicam, explorabant hos, atque illos aditus: caecitate perfuſi ſunt, vt quod apertum erat, videre non poſſent. Itaque per plurimas noctes, quod apertum fuerit non ignorat.* En iudicium caecitatis omnigenae iudicio Auguſtini, in eo, qui ab oculis laborat. Nam manu duci, trahi, χειραγωγεῖσθαι ſexcentis alijs de cauſis contingit. De Paulo verba Chryſoſtomi ſunt tom. 4. in Acta, Ἐπηρώθη. tom. 8. laudatione Pauli 4. Ἐτυφλώθη, quae omnifariam caecitatem plurimum connotant. Sic in cap. 9. ad Romanos dicit: ἀγνοεῖν τοῖς πηροῖς τὴν ἀκτῖνα τὴν ἡλιακήν. Sic in Pyrrho Plutarch. de Claudio Caeco, πηρώσεως ὀμμάτων meminit. D. Auguſtinus tom. 2. epiſt. 50. ad Bonifacium: *Corporis caecitate percuſſit.* Apud Homerum, Thamyram vatem Muſae excaecarunt, πηρὸν θέσαν.

Aliud caecitatis argumentum, redaccenſa a Deo lumina, ante poſuimus. Caecitas namque humana opera ſola inſanabilis eſt. Caligo autem nebuloſa, quae oculos obſidet, dummodo igniculi oculares nondum exſtincti ſint, depelli quit ope medici elegantis, aut etiam Dei. Cate, ac prudenter Quintus Calaber, Paralipomenon lib. 1.

Ὡς δ᾽ ὅτ᾽ ἀνὴρ ἀλαοῖσιν ἐπ᾽ ὄμμασι πολλὰ μογήσας
Ἱμείρων ἰδέειν ἱερὸν φάος, ἢ θανέεσθαι,
Ἢ πόνῳ ἰητῆρος ἀμύμονος, ἠὲ θεοῖο
Ὄμματ᾽ ἀπαχλύσαντος ἴδῃ φάος Ἠριγενείης,
Οὐ μὲν ὅσον τὸ πάροιθεν, ὅμως δ᾽ ἄρα βαιὸν ἰάνθη
Πολλῆς ἐκ κακότητος· ἔχει δ᾽ ἔτι πήματος ἄλγος
Αἰνὸν ὑπὸ βλεφάροισι λελειμμένον.

Vt qui multa tulit caecata ob lumina, multum
Aeſtuat, vt ſolem cernat, mortemve praeoptat:
Numinis, aut medici ſi forte induſtria clari
Abſtergat nebulam; lumen coeleſte tuetur,
Non quantum prius: interea aerumnabile pectus
Reſpirat paullum: reſtet quamuis dolor intus
Sub palpebrarum velamine. ———

Ilum quoque in Palladij raptione excaecatum, & Antylum Romanum, ac poſtea reuidiſſe producit auctores, quibus credi fas, Plutarchus in Parallelis Graecorum, ac Romanorum.

Caecitatem ſic illuſtrari poſſe, vt ſanatus perfecte poſthac non videat, & reliquus dolor ſit aliquis ſub palpebralibus ſetis: Quare nec omnimodam caecitatem intellexit hic ſcriptor, ſicut nec illa erat apud Tacitum extremo libro, vbi *Medici varie diſſerere. Huic non exeſam vim luminis, & redituram, ſi pellantur obſtantia.* Hoc eſt, latentem videndi vim exerturam ſe, diſſipata caligine. Vti nonnulli ſtipites artificum manu delibrati, deaſciati, tornati poſt multum temporis quandoque naturae vi regerminant; vi in ijs vitali, ac genitali non prorſus exſtincta, quae dum alijs a cauſis ſolicitatur, euadit foras. Prorſus autem caecus, non niſi a Deo reluminatur. Relicta veteris ſapientiae ara, Curius Fortunatianus inter apithana cum poſuiſſet oculos caecum recuperaſſe, adſcribit: *Tamen poſſumus credere, diuina maieſtate alicui aliquando hoc eſſe conceſſum*; quod de Paulo nobis indubitabile, in quo perſanando ſi neceſſaria fuere Dei auxilia, non obſcurum eſt caecitatem perfectam fuiſſe.

Sed & prouidentiae non defuere Paulum oc-

Digitized by Google

caecandi rationes. Decumanos in Eccleſiam ſurgentem fluctus conciuerat Paulus: nec erat rabies, niſi diuina poteſtate, moderabilis, aut cohibilis. In id viae, ac furoris duces oculi: oculi hos caedi deſignabant, alios vinculis, & cuſtodiae: denique Pauli oculis micat acribus ignis. Deus autem gonagra, aut podagra pedes vinciat; ibit eques; brachia, furorem ſpirabunt oculi, os rabiem. Viſum itaque Deo oculorum aciem impedire, vt ab acie contra Eccleſiam retrahatur. Eadem ratione Sodomitas qui clauſae Lothi fori effractores imminebant ἀορασίᾳ refraenauit. Videbant caetera, Lothi forem non videbant. Ioſephi os cap. 12. Ὁ δὲ Θεὸς τοὺς μὲν ἠμαύρωσεν, ὡς μὴ δυνηθῆναι τὴν εἴσοδον τὴν εἰς τὴν οἰκίαν εὑρεῖν. Etymologus: Ἀμαυρὸν, ἀσθενὲς, σκοτεινὸν, ἀλαμπές. Nec per Τυφλὸν exponit; quod dum faciunt nonnulli, καταχρήσει locum dant. Enotuit haec Chryſoſtomo ratio, tom. 8. laudatione Pauli 4. Πρῶτον κατευνάζει τὰ κύματα τῆς ῥαγδαίας ὀργῆς ἐκείνης διὰ τῆς πηρώσεως, καὶ τότε αὐτῷ διαλέγεται, δεικνὺς τῆς σοφίας αὐτοῦ τὸ ἀπερίσιτον, καὶ τὸ τῆς γνώσεως ὑπερέχον. Addit nota dignius: Καὶ ἵνα μάθῃ τίνα πολεμεῖ, ὃν οὐ μόνον κολάζοντα, ἀλλ' οὐδὲ εὐεργετοῦντα δύναται ἐνεγκεῖν.

Diuinatio altera. Vt animae viſioni viam aperiret, extimae viſionis feneſtras oppilat Deus. Feruntur olim Arimaſpi in ſagittando oculum clauſiſſe alterum tam frequenter, vt tandem vnoculi euaderent. Vno clauſo intentior erat acies, & iactus oculi directior in metam. Sic Pauli clauſis videndi feneſtris, anima Dei viſioni, & conſuetudini futura fuit aptior. Appoſite in Hamartigenia Prudentij:

——— Nec enim ſe ſegregat ipſa
Ante obitum viuis ex artubus, aut fugit exul
Sanguinis, & carnis penetralia, ſeque medullis
Exuit, abductamque abigit de pectore vitam:
Viſcerea ſed ſede manens ſpeculatur acutis
Omnia luminibus; & qua circumtulit acrem
Naturae leuis intuitum, nullo obice rerum
Diſcluſa, ante oculos ſubiectum proſpicit orbem;
Atque orbis PARITER DOMINVM. —

Sic B. Ioannis anima futurorum arcana praenouit, mundi incendium, iudiciales tubas, alia, non anima diſcedente, ſed ſecedente. At de Pauli viſione hac alibi.

Etſi illud ab ea effectum, Actor. 9. *Et erat tribus diebus non videns, & non manducauit, neque bibit.* En quantum a ſenſibus, ſenſuumque functionibus alienata fuit eius anima. De Tireſia a conſpectu Dianae caecato protrita fabula, quam praeter alios, Nonnus Baſſaricon lib. 5. exequitur, & caecitatem ſapientia repenſam inuidet, qui ſic quiritatur:

Ζώεις σῶν βλεφάρων ὀλέσας φάος, ὑμετέρων δὲ
Ὀφθαλμῶν ἀμάρυγμα νόον μετέθηκεν Ἀθήνη.

Ratio tertia. Oculus, & guſtatus in Paulo obligati; non tamen auris. Vult ab eo Chriſtus audiri, vult Ananiam. Chriſti vox: *Ingredere ciuitatem, & dicetur tibi, quid te oporteat facere.* Ille dicet: tu audies. Hic eſt diſciplinae ſenſus, de quo poſt Philoſophum ait Strabo lib. 2. Ὁ δ' ἀξιῶν μόνους εἰδέναι τοὺς ἰδόντας, ἀφαιρεῖ τὸ τῆς ἀκοῆς κριτήριον, ἥτις πρὸς ἐπιστήμην ὀφθαλμοῦ πολὺ κρείττων ἐστί. Non ignoro ſcriptum B. Chryſoſtomo in 8. cap. ad Hebraeos: Ἡ ἀκοὴ ἡμῶν ἀμαθεστέρα τῆς ὄψεώς ἐστιν. Et verum cen-

Digitized by Google

ſeo: cumque ſit auditus ſcientiae inſtrumentum, ſit item oculus, nota diſcrimen manifeſtum. Viſus ad vitae commoda maxime neceſſarius, ac praeterea ad diſciplinarum inuentionem certiſſimus dux. Eo Chaldaei Aſtrologiae prudentiſſimi fuere. Ab eo paene ſolo maximam rerum partem exploratam eſſe cognitiſſimum eſt: Auditum vero ad excipiendam ab alio artem, ſcientiam, ſapientiam, accommodatiorem. Perquam paucis enim inuentio data eſt. Et quibus data, data eſt & mutila, & inchoata. Per auditum vero, iudiciorumque communicationem accedunt incrementa ſcientijs, atque artibus inuentis: tum ingeniorum tanquam colliſione veritas excutitur: vnde cuiuſvis cognitionis perfectio ſequatur. Quamobrem vt Deum Paulus, & Ananiam promtius exciperet, acrius audiret, obſerata eſt videndi vis caecitate: aures bipatentes, vti prius, fuere.

Hae Pauli occaecati vtcũque probabiles cauſae; reluminati illa ex ore Chriſti, Actor. 26. *Nunc ego mitto te aperire oculos eorum, vt conuertantur a tenebris ad lucem, & de poteſtate Satanae ad Deum, vt accipiant remiſſionem peccatorum, & ſortem inter Sanctos per fidem, quae eſt in me.*

Saepiſſimis quoq. locis Pauli caecitate illuminatum vniuerſum Chryſoſtomus adſtruit. Alibi: Ἡ πήρωσις ἐκείνου φωτισμὸς γέγονε τῆς οἰκουμένης. ἐπειδὴ γὰρ ἔβλεπε κακῶς, ἐπήρωσεν αὐτὸν καλῶς ὁ Θεός, ὥστε ἀναβλέψαι χρησίμως, ὁμοῦ μὲν τῆς ἑαυτοῦ δυνάμεως ἀπόδειξιν αὐτῷ παρεχόμενος, ὁμοῦ δὲ ἐν τῷ πάθει τὰ μέλλοντα προδιατυπῶν, καὶ τοῦ κηρύγματος τὸν τρόπον διδάσκων, ὅτι πάντα ταῦτα οἴκοθεν ἀποβαλόντα, καὶ μύσαντα τοὺς ὀφθαλμούς, αὐτῷ πανταχοῦ ἕπεσθαι χρή.

Digitized by Google

CAP. IX.

An Pauli comites tunc caeci? An his comitibus Chriſtus inuiſibilis?

MANVS hominum miſſu Iudaeorum coïerat cum Paulo Eccleſiae infeſtatore in foedera, illique caeco, & proſtrato aderat: an & ipſi caeci? Actor. 9. *Viri autem illi, qui comitabantur cum eo, ſtabant ſtupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes.* Chriſtus aderat multa luce amictus: lux autem videndi ratio eſt. Paulus affixus humo caecus, tremens, ſtupens, prope ἀναίσθητος: certe tam improuiſo caſu attonitus ipſis praeſens aderat. Ipſimet comites ſinguli ſibimetipſis praeſentes aderant. Nihilominus Lucanae hiſtoriae verba ſunt de his: *Neminem autem videntes.* Ecquis obex? ecquod offenſaculum? Si nullum: ipſine caeci? Matthaei 15. *Caecus autem ſi caeco ducatum praeſtet, ambo in foueam cadent.* Hi comites Paulo ducatum praebuere, Actor. cap. 9. *Ad manus autem illum trahentes, introduxerunt Damaſcum.* Χειραγωγοῦντες δὲ αὐτὸν. Non igitur ipſi caeci. Non enim Paulum in foueam introduxerunt: ſed Damaſcum. Quo minus ergo Chriſtum viderint, quid officit?

Corpora quandoque inuiſibilia fieri opinata eſt antiquitas. Odyſſea ſeptima, Vlyſſes beneficio caliginis Phaeacum vrbem init, nec vlli videtur. Aeneas primo operis cognominis:

Infert ſe ſeptus nebula, mirabile dictu,
Per medios, miſcetque viris, neque cernitur vlli.

Valerij Flacci lib. 5.

——— Patitur nec regia cerni
Iuno virum, prior Aeetae ne nuncius adſit.
Iamque inerat populo, mediaeque incognitus vrbi.

Quid? qui Poëtas vrbibus ſubmouet Plato, non lib. 2. de Legib. nobis auctor eſt fabulae repoſitae lib. 3. Offic. Cic. *Hinc ille Gyges inducitur a Platone, qui cum terra diſceßiſſet magnis quibuſdam imbribus, in illum hiatum deſcendit, aeneumque equum (vt ferunt fabulae) animaduertit, cuius in lateribus fores eſſent, quibus apertis, hominis mortui corpus vidit magnitudine inuſitata, anulumque aureum in digito: quem vi detraxit, atque ipſe induit (erat autem regius paſtor) tum in conſilium paſtorum ſe recepit. Ibi cum palam eius anuli ad palmam conuerterat, a nullo videbatur, ipſe autem omnia videbat: idem rurſus videbatur, cum in locum anulum inuerterat. Itaque hac opportunitate anuli vſus, Reginae ſtuprum intulit, eaque adiutrice, Regem dominum interemit, ſuſtulit, quos obſtare arbitrabatur.* Apollodori lib. 2. Perſeo erat caſſis, qua capiti ſuperimpoſita, quos vellet, videbat, nulli intereadum viſus. Naturae promus condus Plinius lib. 10. cap. 13. *Siniſtrum pedem chamaeleontis ferro ex igni calefacto, torreri cum herba, quae appellatur eodem nomine, chamaeleon, & vtrumque macerari vnguento, colligique in modum paſtilli, atque in vas mitti ligneum; & eum, qui vas ferat, etiamſi in medio palam verſetur, a nullo videri poſſe.* De heliotropio poſt Plinium idem affirmat Solinus, cap. 40. *Vt herba eiuſdem nominis miſta, & praecantationibus legitimis conſecrata, eum a quocumque geſtabitur, ſubtrahit viſibus obuiorum.* Sanctus Iſidorus

lib.16. Orig. cap. 6. idem refert, nec ſolens more ſuo, vt ſuperſtitioſum reijcit. Rationes, & modos ratio imperat, curioſitas impetrat. Vt corpus inuiſibile fiat, volunt alio transferri. Alij ſpecies viſibiles impediri, quo minus ad ſpectantium oculos permeent: idque vel interſito corpore alio, vel nimia aëris agitatione. Alijs corpus transformari placet.

Teſtes reijci poſſunt, teſtimonia refutari: ratio vbique dominatur: primulum igitur rationum, & modorum effigies obliterandae. Si corpus transformatur, a ſua forma alienatur: forma dat eſſe. Quod autem eſt ſub alia forma, non eſt quod prius. Prius igitur interijt, atque ita inuiſibilitatis ratio ad non entium ordinem redigitur. Et iam quaeritur, an ſub noua forma viſibile ſit, an non? Si, ratio collata prorſus euanuit. Si non, repetatur ſupera reſponſio. Dices formae nomine non ſubſtantialem intelligi, ſed eam quae filum corporis, artuumque conformationem tantum, & compoſitionem reſpicit. Nec alio feror: eaſdem enim vires tum obtinet ratio poſita. Dicere vero tranſvectione corpus inuiſibile eſſe, eſt corpus oculis furari, & rem diſſitam nimium fieri a potentia, quaſi dicas in arcam concludi. Prorſus eſt iocari, non ratiocinari. Si ſpecies viſiles impediuntur objectu corporis, poſitura forte corporis a ſpectante non erit ſeductior, erit tamen extra vim videndi, quae non niſi ſpecierum auxilio ſeſe exſerit. Neque vel earum impeditio, vel exſtinctio corpus reddit inuiſibile qualitate aliqua inſita; ſed fit hoc corpus non viſile, κατὰ συμβεβηκός. Ad Poëtarum mythiſtorias, corporis

alterius, puta nebulae interuentu, ea facta, ſi facta ſunt. Platonis narrationem fabulae loco habet Tullius; & quod Apollodorus retulit, qualia in eius opere ſexcenta, nos pariter. De Plinij chamaeleontibus, quod de Heliotropio Solinus, dicimus incantamentis id agi, quorum quae ſit vis, diſquirant otioſi.

Vt a poſſibili ad actum tranſeamus, corpus inuiſum eſſe, aut fieri, res expedita eſt. Corpus autem vno loco diſtentum ab his videri, ab his non videri, non aeque: videtur autem ex rationibus iam pro inuiſibilitate collatis fieri poſſe. At quaeſtionis caput erat, An Chriſtus tunc inuiſibilis Pauli comitibus, quandoquidem ipſi non fuere caeci? Cum miraculorum numerum humanis diuinationibus auctiorem fieri ſit nefas, dicimus viſibilis rationem Chriſti corpus non exuiſſe: praeſertim cum a Paulo viſus ſit, & ex eius viſi claritate videndi vis eius fracta. Viſus tamen non eſt a Pauli comitibus, de quibus Lucas: *Neminem autem videntes.* Quae vniuerſalitas appoſite interpretanda. *Neminem*, a commeatu, & ſocietate ſua alienum. Danielis 3. cap. perditi illi ſeniores ad ineſcandum Suſannam dicunt: *Ecce nemo nos videt.* Suſanna eos videbat, & ſe ipſi inuicem: at a conuentu ſuo alius eos videbat nemo. Sic Pauli comites, Paulum videbant, ſeque. Quis tamen cum eo fabularetur, quis ſe videndum offerret, minime videbant: vnus, an plures eſſent, pariter non videbant. Ideo *Neminem videre* referuntur. Summa quaeſiti eſt, an Chriſtum viderint; Negate reſpondetur. Cuius haec videtur eſſe ratio; Lumen e Chriſti corpore tam vbertim, tanto cum

ambitu profundebatur, vt non Paulum tantummodo, ſed & comites ſit circumplexum. Acta, cap. 26. *Vidi de coelo ſupra ſplendorem ſolis circumfulſiſſè me lumen, & eos qui mecum ſimul erant.* Paulus vt acerrimo erat ingenio, ac praeferuido, & praeſertim Deo animante, niſus eſt, dum Chriſtum videt, totam luminis molem acie ſua perrumpere, offectum eſt lumen. Comites in fulgentiſſima luce, prae ſtupore attoniti, caligabant, caeci forte futuri, ſi valdius intendiſſent, aut Deus permiſiſſet. Suprema ratio. Volunt Theologiae conſulti in corporis gloria immortali praediti poteſtate eſſe, vt cuique volentia eſt, his ſe oculis furari, alijs videndum dare. Chriſtum ſe Paulo videndum dare, non Pauli comitibus, non tantum fuit in Numinis diuini voluntate; ſed etiam in corporis eius glorioſi poteſtate. Ex viſo tamen nimio lumine comites obmutuerunt. Lucas c. 9. Οἱ δ' *ἄνδρες συνοδεύοντες αὐτῷ συνειστήκεσαν ἐννεοί.* Interpres, *Stupefacti.* Heſychius, Ἐννεοί, *ἄφωνοι. Elingues,* Tullio. Fuit haec facinorum, & auſorum poena.

Quid quod ne quidem Paulo viſum Chriſtum ſanctiſſimus vir cenſuit? Diuus Bernardus ſermone primo de Conuerſione Pauli: *Audiebat Paulus vocem Domini: ſed faciem Domini non videbat; quoniam erudiebatur ad fidem, &, vt ipſe poſtea docuit, fides ex auditu eſt.* Bernardum ſic interpretor, vt Paulus *faciem Domini* non ita videret, vt de perſonae dignitate iudicium certum ferre poſſet, ac determinate: generatim autem cum erudiretur ad fidem, egregium aliquem, & forte ſupra mortalem, cum vox non hominem ſona-

ret, agnouit, atque ex hac agnitione imperfecta, profecta eſt illa quaeſtio: *Quis es, Domine?*

CAP. X.

Paulus Eccleſiae anima.

ARBORI rami ſucciduntur, vel vt meliores inſerantur, vel vt pluribus regerminet. Eccleſia arbor eſt *ſecus decurſus aquarum, quae fructum ſuum dabit in tempore ſuo*, Pſal. 1. Palma eſt, cuius ingenium eiuſmodi, vt vrgentibus, opprimentibuſq. non cedat, Gell. lib. 6. cap. 6. Nam ſi ſupra palmae arboris lignum magna pondera imponas, ac tam grauiter vrgeas, onereſque, vt magnitudo oneris ſuſtineri non queat; non deorſum palma cadit, nec intra flectitur: ſed aduerſus pondus reſurgit, & ſurſum nititur, recuruaturque. Sic Ariſtoteles, Plutarchus, Plinius.

Onus ingens Eccleſiae impoſitum, Synagogae coniuratio. Verum Eccleſiae palma oneri cedere neſcia, ſublime nititur. Surgit de Synagoga Paulus, armata manu ramos amputat; conſilio, potentia, zelo, ignorantia, vitam ramis adimit: Eccleſia ipſa ſtat, viget, viret:

——— *Stupefacta regerminat arbor.*

Cantic. 9. *Statura eius adſimilata eſt palmae.* Eccl. 50. *Circa illam corona fratrum ſteterunt, quaſi rami palmarum, & omnes filij Aaron in gloria ſua.* Sic poſt Pauli vulnera, caedeſque, Deo adgubernante, Eccle-

Digitized by Google

ſia redintegratur, amplificatur, reuiuiſcit, etiam ipſius Pauli conſilio, potentia, zelo in diuerſum acto, pulſa ignorantia. Ea res S. Ignatium mouit, vt Paulum, ac Petrum *Fundantes Eccleſiam* ſcripſerit ad Magneſios: Πέτρου, καὶ Παύλου θεμελιωσάντων τὴν Ἐκκλησίαν. S. Irenaeus lib. 3. c. 1. *Cum Petrus, & Paulus Romae euangelizarent, & fundarent Eccleſiam.* Eadem Euſebius lib. 5. cap. 8. Huic arbori Paulus ramos viuaces, nitentes, fructuoſiſſimos inoleuit, Hierotheum, Timotheum, Lydiam purpurariam, Sergium Proconſulem, Iaſonem, Dionyſium Areopagitam, Aquilam Ponticum, Titum Iuſtum, Criſpum, & Soſthenem Archiſynagogos, Apollinem, *virum eloquentem, potentem in Scripturis, edoctum viam Domini, feruentem ſpiritu,* Act. 8. Caium, & Ariſtarchum Macedones, Soſipatrum Pyrrhi, Secundum, Tychicum, Trophimum, Theclam, familias integras, ſocietates, vrbes, prouincias, regna. Omnes ex Actis Apoſtolorum dinumero, & pleroſque ex Dorotheo in Synopſi. Inſitos ramos nonnullos, quos nequitiae ventus vrens areſecit, aut vanitatis turbo defregit, praetermitto.

Nec horum animae vitam confouit, ſed & corporis. Hinc illa ad Timotheum, 1. c. 5. prudentia monita: *Noli adhuc aquam bibere: ſed modico vino vtere propter ſtomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates.* Alienum ab hoc textu, quod quidam Audomaropoli in templo cathedrali ſurrogatus in Epiſcopi locum, pro concione ſubjecit, & probare niſus eſt; ſcilicet, *propter frequentes praedicationes tuas.* Probatio aeque ridicularia. Erat enim Timotheus, inquit, egregius praedicator. Erat: ſed

hanc

hanc rationem Paulus non contulit. Effutiuit autem non ſine ſacrae Scripturae deprauatione bellus bambalio, vt vinum a corona mendicaret. Ita quorundam ambitio, quo videantur praecellere, tales bardos rabulas ſibi ſupponit Concilio Tridentino ſpretim habito. Nec facile dixeris, Paulone, an Timotheo atrociorem arrogarit contumeliam. Porro Paulus vt Timotheo valetudinis conſilia ſuggerebat, & vitae: Sic cap. 16. ad Romanos, Phoeben adminiſtram Eccleſiae, quae in Cenchreis, eis commendat, quocunque in negotio operam, induſtriamque Romanorum quaeſiuerit. 1. ad Cor. aduerſus Stephanam, & Fortunatum Corinthiorum caritatem expetit. Ad Titum; cap. 3. Zenam prudentem legis, & Apollo praemitti imperat: ſed bene viaticatos, *vt nihil illis deſit*. Apud Philemona inmerentem Oneſimum quanto caritatis aeſtu commendat? Sic alijs ſexcentis. Fuit enim κοινὸς πατὴρ τῆς οἰκουμένης, inquit Chryſoſtomus laudat. 3. Vtque praedones regali vexillo viſo fugam capeſſunt: ſic Pauli ſudarijs, ac ſemicinctijs morbi, & daemones in fugam agebantur: Actor. 19. *Virtuteſque non quaſlibet faciebat Deus per manum Pauli: ita vt etiam ſuper languidos deferrentur a corpore eius ſudaria, vel ſemicinctia; & recedebant ab eis languores, & ſpiritus nequam egrediebantur.* Cap. 28. patrem Publij febribus, & dyſenteria vexatum, oratione, manibuſque impoſitis recreauit, ac ſaluauit: *Quo facto, & omnes, qui in inſula habebant infirmitates, accedebant, & curabantur.* Hoc erat Apoſtolatus Pauli ſigillum, 2. ad Cor. c. 12. *Signa autem Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos in omni patientia, in ſignis, & prodigijs, & virtutibus.*

Nec daemones dumtaxat corporibus excluſit: ſed & mortem. Actor. cap. 20. Eutychus graui ſomno merſus, labitur de tertio coenaculo deorſum, ceruicem fregit, ſublatus eſt mortuus. Adeſt Elias alter, *Paulus incubuit ſuper eum,*

Componens manibuſque manus, atque oribus ora:

& complexus dixit: *Nolite turbari; anima enim ipſius in ipſo eſt.* Diuus Chryſoſtomus Pauli laudatione tertia: Μὴ γάρ μοι τοὺς νεκροὺς εἴπῃς, οὓς ἀνέστησε, μηδὲ τοὺς λεπροὺς, οὓς ἐκάθηρε. Idem ſerm. 16. in 1. ad Timotheum: Οὐ γὰρ τὰ ἱμάτια νεκροὺς ἀνίστη.

Quod ſi *per quae quis peccat, per haec & torquetur,* Sapientiae vndecimo: ſi vetus obtinet verbum,

Εἴκε πάθῃ, τάδ᾽ ἔρεξε, δίκη ἰθεῖα γένοιτο.

ſi *ſaepe in magiſtrum ſcelera redierunt ſua*: profecto mortes diſcipulis intentatas, aut allatas a Paulo, vita ſua debuit repenſare. Quo adſpectu dixit S. Auguſtinus ſerm. 1. de Conuerſione Pauli: *Patiatur, quod fecit: diſcat & pati, quod faciebat: ſentiat & ipſe, quod aliјs inferebat.* Quod Auguſtini iudicium de ſummo Dei iudicio deriuatum eſt. Iudicum cap. 1 Adonibezecus capitur, & ſummos pedes, manuſque truncatus, Dei iuſtitiam recognoſcit: *Septuaginta Reges amputatis manuum, ac pedum ſummitatibus, colligebant ſub menſa mea ciborum reliquias. Sicut feci, ita reddidit mihi Deus.* Sicut fecit Paulus, ita reddidit ei Deus. Actor. 23. *Collegerunt ſe quidam ex Iudaeis, & deuouerunt ſe dicentes neque manducaturos, neque bibituros, donec occiderent Paulum.* Vbi D. Chryſoſtomus notat Iudaeos, ἐπιθυμοῦντας αὐτοῦ τῶν σαρκῶν ἀπογεύσασθαι. Potum, cibum Iudaei reſpuunt, quia Pauli carnes guſtare geſtiunt. Significantiſſima voce vſus eſt Chryſoſtomus. Sic Homerus

Iliade 20. ——— Ἀλλ' ἄγε θᾶσσον

Γευσόμεθ' ἀλλήλων χαλκήρεσιν ἐγχείῃσιν.

Romanus Orator eadem orbita: *Ex omni impetu regio, ac totius belli ore, ac faucibus ereptam eſſe, atque conſeruatam.* Vt belli os (στόμα δηιότητος Homero) ac fauces: ita bellatorum guſtare eſt. Gnara haec Paulo per amicos. Vnde 8. c. ad Romanos: *Aeſtimati ſumus ſicut oues occiſionis.* Hinc quotidiana mortis in Paulo vota. Cap. 2. ad Philippenſes: *Si immolor, ſupra ſacrificium, & obſequium fidei veſtrae, gaudeo, & congratulor vobis.* Ad eundem ſenſum deuotionis appoſite illa: *Idipſum autem, & vos gaudete, & congratulamini mihi.* 1. ad Cor. 15. *Quotidie morior per veſtram gloriam, fratres.* Non ad gentilium expiationes ſe recepit Apoſtolus: non ad humanas hoſtias aris auernalibus apponendas recurrit: Verum animam ſuam pro anima aliorum impendit deſiderijs ardentiſſimis, & quotidianis, hoc pacto *quotidie moriebatur.* Vt laudabiliter vitae prodigus miles in pugnae, ac lethi tempus quotidie excubat: ſic Paulus animi praeparatione. Actor. 21. cap. *Quid facitis flentes, & affligentes cor meum? Ego enim non ſolum alligari, ſed & mori paratus ſum pro nomine Domini noſtri IESV Chriſti.* Exaggerat hanc animi magnitudinem D. Chryſoſtomus in 2. ad Corinthios, ſerm. 25. Ἐκεῖνον αὐτῆς τῆς ζωῆς μυριάκις καταφρονοῦντα ἰδόντες· ὁ μάρτυς ἅπαξ ἀποθνήσκει. ὁ δὲ μακάριος ἐκεῖνος ἐπὶ σώματι, καὶ μιᾷ ψυχῇ τοσούτοις κινδύνοις ὑπέμεινεν, ὅσοι καὶ ἀδαμάντινον ἱκανοὶ θορυβῆσαι ψυχήν, καὶ ἅπερ ἅπαντες ἐν τοσούτοις σώμασιν οἱ ἅγιοι ἔπαθον, ταῦτα αὐτὸς ἐν ἑνὶ πάντα ἤνεγκε. Latine: *Paulum vitae ſuae millies contemtorem vidimus. Martyr ſemel moritur: at beatus hic vno corpore, anima vna tot, tantaque ſuſtinuit pe-*

ricula, quae adamantinum animum conturbare poſſent: & quae in tam multis corporibus Sancti paßi ſunt vniuerſi, eadem ipſe vnus omnia in vno corpore pertulit.

CAP. XI.

Pauli ingens animi magnitudo.

EFFATVM Chriſti ad Ananiam, Actor. 9. *Ego enim oſtendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Vti ſingulari Dei priuilegio Paulus ad tantorum malorum ſeriem perferendam, ex millibus vnus lectus eſt: ſic diuina prouiſione factum, vt animo libentiſſimo tot ſe malis impendentibus Paulus paene vltro ſubijceret. Ad Romanos, cap. 8. *Exiſtimo enim, quod non ſunt condignae paßiones huius temporis ad futuram gloriam, quae reuelabitur in nobis.* Acie mentis in hoc ſpeculum coniecta, nihil illi graue. Sapientiſſime hunc Pauli locum recoquebat D. Auguſtinus tom. 10. ſerm. 1. de Conuerſione Sancti Pauli: *Ac ſi dicat*, inquit; *Saeuiat mundus, fremat mundus, concrepet linguis, coruſcet armis, quod poteſt, faciat: quid faciet rei, quam accepturi ſumus? Appendo quod patior, contra id, quod ſpero. Hoc nunc ſentio, illud credo; & tamen plus eſt, quod credo, quam quod ſentio. Quidquid eſt, quod ſaeuit pro Chriſti nomine, ſi poteſt viuere, tolerabile eſt; ſi non poteſt viuere, migrare hinc facit. Non extinguit, ſed accelerat ipſum praemium, ipſam dulcedinem, quae cum venerit, ſine fine erit. Opus cum fine, merces ſine fine.*

Τὰ καθ' ἕκαστα qui perquiſiuerit, eius animam

dicet γενναῖον παλαιστὴν, καὶ νικηφόρον. quibus titulis Paulum cohoneſtat Iſidorus Peluſiota literis ad Zenonem, & D. Ambroſius enarratione in Pſal. 36. cum *Palaeſtam, Pammachum, Luctatorem* facit. Igitur τὰ καθ' ἕκαστα ab ipſomet viri praecone ponuntur in ſecunda ad Corinthios, vndecimo capite: *In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter. A Iudaeis quinquies quadragenas vna minus accepi. Ter virgis caeſus ſum, ſemel lapidatus ſum, ter naufragium feci, nocte, & die in profundum maris fui. In itineribus ſaepe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in ſolitudine, periculis in mari, periculis in falſis fratribus. In labore, & aerumna, vigilijs multis, in fame, & ſiti, in ieiunijs multis, in frigore, & nuditate. Praeter illa, quae extrinſecus ſunt: inſtantia mea quotidiana, ſolicitudo omnium Eccleſiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror?* Haec quamuis alicui ſeriatim, ac ſingulatim videri queant enarrata, breuicula tantum eſt Pauli laborum, & facinorum ſumma, arbitrio D. Chryſoſtomi, qui huius loci enarrationi ſuppingit iſta: Καὶ τοίνυν μυρίας βίβλους ἐνέπλησεν ἄν, εἰ τῶν εἰρημένων ἕκαστον ἐξαπλῶσαι ἠβούλετο, τὰς ἐκκλησίας εἰπεῖν, ἃς ἐμερίμνα, εἰ τὰς φυλακὰς, καὶ τὰ ἐν αὐταῖς κατορθώματα, εἰ τῶν ἄλλων καθεκάστην τὰς περιστάσεις, τὰς ἀφόδους· ἀλλ' οὐκ ἠθέλησε. Quare omnis, quem ex Iſidoro Peluſiota, Chryſoſtomo, Ambroſio, Auguſtino, alijſque Patrib. compilaueram apparatum, his cedat. Vnum D. Chryſoſtomi commentarium attexo. Vt ſcintilla in ſtipulam, & foenum illapſa, obuſta omnia in naturam ſuam vertit: ſic & Paulus inuadens omnia,

Digitized by Google

ad veritatis confeſſionem transfert omnia, & torrentis more inſiliens, omnia euertit offenſacula. Ac velut athletes ipſe currit, luctatur, pugnat, aut veluti miles muros oppugnat, pedes pugnat, pugnam naualem pugnat. Ita omne pugnae genus obit, & ignem ſpirabat, nulli adeundus, vno corpore mundum comprehendens, vna lingua omnes conuertens. Non ſic tubae multae Ierichuntinae ciuitatis muris impactae, eam vaſtarunt; quemadmodum Pauli vox conſonantior firmamenta diabolica humi proſtrauit, & aduerſarios ad ſe tranſtulit, & cum captiuorum multitudinem congregauit, eos ipſe ſic armauit, vt proprium ex eis conflauerit exercitum, cuius opera miris modis victorias conſecutus ſit. Dauid Goliathum vnico tantum lapide dejecit: At Pauli res praeclare geſtas ſi quis perpendat, pueri opus illud, & paſtorem inter, ac belli ducem quantum eſt, tantum videbis differitatis. Hic enim non iacto lapide Goliathum afflixit humo; ſed voce dumtaxat vniuerſum Diaboli difflauit incendium. Vtque leo rugiens, & flammas lingua ejaculans; ſic omnibus erat intolerandus, & quaquauerſum continenter tranſiliebat. Hos adibat, illos incurſabat, ad hos transferebatur, ad illos reſiliebat, aura citius inuolabat, & vnius inſtar familiae, aut nauigij orbem gubernabat vniuerſum. Merſos extrahebat in altum, caligantes firmabat, nautas celeumate hortabatur, ad gubernaculi fauces ſedens, prorae ſpeculae intentus, vndiquaque rudentes tendens, palmulam tractans, malum trahens, coelum ſuſpectans. Omnia ipſe vnus exſiſtebat, nauta, gubernator,

proreta, nauigium, malus: omnia patiebatur, vt aliena ſolueret mala. Contempla. Paulus naufragium ſubiuit, vt vniuerſi naufragium ſedaret. Diem, noctem in profundo maris egit, vt ex alto errorum alios exhauriret. Fatigatus eſt, vt fatigatos recrearet. Plagas ſuſtinuit, vt a Diabolo ſauciatos medicaretur. Carceres triuit, vt in cuſtodia tenebricoſa ſeſſitantes, in lucem educeret. In mortibus frequenter, vt atroces mortes auerteret. Quinquies quadragenas vna minus accepit; vt qui haec committebant, a Diaboli flagris liberaret. Virgis caeſus eſt, vt ſub Chriſti ſceptrum, & virgam adduceret. Lapidatus eſt, vt extenſos ſilices conuerteret. Fuit in ſolitudine, vt a ſolitudine eximeret. In itineribus ſaepe; vt errantes firmaret, viamque in coelum ferentem aperiret. Ciuitatium pericula expertus eſt, vt ſuperam ciuitatem oſtentaret. In fame, & ſiti; vt famem difficiliorem demeret. In nuditate, vt inueſtes Chriſti ſtolam indueret. In populi praefectura, vt circumſtantes daemonum impoſturas frangeret. Arſit, vt ignita Diaboli iacula exſtingueret. Per feneſtram a muro dimiſſus eſt; vt humi proſtratos, de humilitate ſua coelo tranſmitteret. Haec diſertiſſimi oris D. Chryſoſtomus ſuper animi magnitudine, quae in Paulo, retulit in commentarios. Has ob res de eo ſcriptum Cyrillo Alexandrino, homil. 6. Ὁ πολὺς εἰς εὐτολμίαν, de Paulo.

Vnde tam infractus in tanta malorum mole animus? Mens eius perpetim affixa coelo fortiter agendo, ferendoque, coeleſtibus ſeſe probari geſtiebat. 1. Corinth. 4. *Spectaculum facti ſu-*

mus mundo, Angelis, & hominibus. Ergo etiam, vt ex Paulini animi magnitudine mortales exemplum caperent, placitum Deo.

Vulgus ex veritate pauca, ex opinione multa aeſtimat, ait Orator Romanus. Vulgus ergo hiſce nominibus infeliciſſimum, & infamiſſimum aeſtimet: D. Chryſoſtomus ante feliciſſimum, & ante nobiliſſimum quemque Paulum ponit commentario in epiſtolam ad Epheſios: *Obſecro itaque vos, ego vinctus in Domino.* Etenim magna dignitas, inquit Chryſoſtomus, & potens: regna, conſulatus, quidquid tale, minus eſt, quam ob Chriſtum vinciri. Nihil tam luculentum, quam Chriſti cauſa vinctus: quam catenae ſanctis illis manibus circumiectae. Hoc multo rutilantius, multo honoratius, quam Apoſtolum eſſe, quam Doctorem, quam Euangeliſten. Si quis Chriſtum amat, dicto meo conſentit. Si quis furit, & amore Domini aduritur, vinculorum vim perſpectam habet. Ἕλοιτο ἂν δέσμιος εἶναι διὰ Χριστὸν, ἢ τοὺς οὐρανοὺς οἰκεῖν· τὸ γὰρ καὶ τοῦ καθίσαι ἐκ δεξιῶν αὐτοῦ τοῦτο λαμπρότερον· καὶ τοῦ καθίσαι ἐπὶ δώδεκα θρόνων τοῦτο σεμνότερον, καὶ μακαριώτερον. *Malit eſſe propter Chriſtum vinctus, quam coelum habere. Nam & hoc auguſtius, quam ad Chriſti dexteram ſedere: hoc, inquam, auguſtius, ac beatius, quam in duodecim thronis conſidere.* Quibus animi ſui ſententiam Chryſoſtomus adſcribit. Si quis mihi, quidquid coeli eſt, largiretur, aut catenam, qua Pauli manus vinciebatur, hanc ego antetulerim. Si quis me cum Angelis in ſublimi conſtituat, aut cum Paulo vincto, carcerem elegerim. Si quis mihi det cum illis eſſe Virtutibus, quae circa thronum [Dei] ſunt, aut in vinculis

eiuſmodi eſſe, talibus in vinculis eſſe praeoptauerim. Nihil etenim optabilius, quam aliquid propter Chriſtum pati. Si quis mihi nunc mortuos excitandi facultatem daret, non hoc elegerim, ſed catenam. Paulo ſuppar haec Chryſoſtomi animi altitudo, quae perſpectior etiam erit ex ſcriptis vlterioribus.

CAP. XII.

Paulus ad beſtias.

LVCVLENTVS Annalium Eccleſiaſticorum conditor Baronius, Paulum a pugna cum beſtijs pugnata liberat: quis Paulum in amphitheatrum reuocet? A Baronio lucem mutuatur, & fidem Eſtius Lycei Duaceni ſidus. Tanti facinoris nulla meminens eſt hiſtoria. Nicephorus Calliſtus perſolus id miſit in literas, cum ex libris excerpſiſſet apocryphis. Haec ratio capitalis. Altera: Glorioſus Martyr Ignatius dum ſe cum beſtijs, cum leopardis pugnaſſe teſtatur, ſimul id de hominibus, quorum animi leonum, & pardorum immanitate imbuti ſunt, intellexit, atque explicauit. Cur non pariter metaphoricum ſit Pauli cum beſtijs certamen? Pugnat praeterea cum Apoſtoli dignitate *gladio accinctum* contra leones in theatrum proſilire. Praeſertim cum viliora dumtaxat capita ſubiuerint hanc aleam. Rem autem huiuſmodi tantam, tamque arduam ſecunda ad Co-

rinthios epiſtola, (quae Pauli facinorum graphica, viuaxque, & abſolutiſſima eſt tabula) velut animae magnae teſſeram videtur datura fuiſſe, ſi fuiſſet. Neque per iſtam feralem cum feris pugnam aliud, quam Aſiaticas anguſtias Paulus elocutus eſt. Sceleroſi quique paſſim *Tauri*, *Leones*, *Beſtiae* audiunt. Adde *Viperarum*, *Serpentum*, *Vulpium*, *Luporum* nomenclationem, in quam homines ab homine degeneres prolapſi ſunt. Laudant hi duumviri tanquam ſententiae principes, duo Eccleſiae lumina, Tertullianum, & D. Ioannem Chryſoſtomum. Has veri ſtricturas, quis non votis, ominibuſque fauſtis excipiat? Certe pondus ijs non leue, & quo ad eam ſententiam inclinent non pauci. Si quid tamen eſt in his minus ſolidum, excuti placuit. Hiſtoriam de Paulo ad beſtias damnato Nicephorus ex apocryphis ſumſerit. Eſtó. *Non fallunt omnia Cretes.* Nec quidquid in apocryphis, vanae fidei eſt. Margaritum ex oleto legi fas. Fas & inter apocrypha veri ſcintillas emicare. Certe pro narratu vano non habuit Nicephorus, qui vt fidem faciat, ſeque eam pro rata habere hiſtoriam comprobet, repudiat obſtantia. Dices, inquit, Lucam non meminiſſe: tantum inſertum id primori ad Corinthios epiſtolae. At Lazarum ad vitam rediſſe vni Ioanni ſcriptum eſt: nec idcirco, inquit, fidem abrogamus. Martyris Ignatij exemplum ſimile, quam diſſimile eſt? Ignatij penicillus ad Romanos: Ἀπὸ Συρίας μέχρι Ῥώμης θηριομαχῶ διὰ γῆς, καὶ θαλάσσης, νυκτὸς, καὶ ἡμέρας, ἐνδεδεμένος δέκα λεοπάρδοις, ὅ ἐστι στρατιωτικὸν τάγμα, οἳ καὶ εὐεργετούμενοι χείρους γίνονται. Hac vice pugnatum reapſe cum beſtijs tota ſeries recu-

ſat, & ratio, & Ignatij explanatio. Nam mari, & terra beſtijs obijci qui potuit? Niſi ad Arionis antiquatam fabulam rediri placet. An per omnes ſtationes Syria aduſque Romam diſpoſita theatra ad explorandam martyris conſtantiam, cuiquam credibile eſt? Decem leopardis robore praeſtantibus alligari potuit, non conficì, ac diſcerpi? At decem hi leopardi militaris cuneus fuere. Sic ipſemet pandit Ignatius. Quod ſi pugnam ſuam conſimiliter de hominibus Paulus fuiſſet interpretatus, nulla vlterior diſquiſitio opus erat. Quae cum ita ſint de ſcripto Ignatij intelligenda, fuit nihilominus ipſe poſt beſtijs ἐλώειον objectus. Sicut igitur admiſſis Ignatij literis, non propterea beſtijs non objectus eſt: ſic ex ijſdem reuiſis, atque approbatis non propterea conſequens ſit Paulum cum beſtijs non decertaſſe. Gladio incinctum Paulum pro derідiculo habent. Putas ergo Paulum ſpirantem minas, & caedem inermem fuiſſe? Tamen Paulum gladio accinctum cum leone in theatro pugnaſſe, paene ſupra humanam fidem eſſe clamo. Pugnatorem namque egregium progredi armata manu oportuit, non gladium in vagina reconditum habuiſſe, non eo accinctum eſſe. At hoc ipſum dignitati Apoſtolicae perquam inimicum. Suapte ſponte ad tale certamen aduolare fateor vltro ab Apoſtoli dignitate alienum. Verum vbi regnum vis obtinet, non id magis dedecoroſum, aut alienum, quam S. Martinum galea, & lorica ſine in primam aciem paratiſſimo animo prouolare. Tertulliano ſcriptum ſcio: *Innocentes gladiatores in ludum veniunt, vt voluptatis publicae hoſtiae fiant.*

Digitized by Google

Longe a Paulo haec animi prauitas, haec animae prodiga voluntas. Sed plerumque inuiti ſerui, damnati, captiui, aut feris propoſiti, foediſſima laniena, aut exitu dubio cum ijs compoſiti. Cur non potuit beſtiarius eſſe Paulus poſtulaticius? Cur non ob ardentiſſimum in Paulum Epheſiorum odium, ab ijs ad beſtias poſtulari, damnari, compelli? bellus, ſuauiſque hoſti ludus. At in viliora hominum capita ea reciderunt infortunia. Quid? Accipe viros principes in eam datos aleam, etiam voluntate iſſe. Suetonius Iulij cap. 39. de C. Caeſaris munere: *Depugnauit Furius Leptinus ſtirpe praetoria, & A. Galenus Senator quondam, actorque cauſarum.* Idem de Nerone: *Exhibuit autem ad ferrum etiam quadringentos Senatores, ſexcentoſque Equites R. & quoſdam fortunae, atque exiſtimationis integrae ex iiſdem ordinibus, confectoreſque ferarum, & ad varia arenae miniſteria.* Seneca epiſtola centeſima: *Adſpice illos iuuenes, quos ex nobiliſſimis domibus in arenam luxuria coniecit?* Deinde etſi Pauli vita tunc probro caruit, inimicorum opinione fama eius concidebatur, deteſtanda erat, ac pro deteſtabili in arenam poſtulari potuit, & compelli. Paulum eam pugnam in ſecundas ad Corinthios tabellas non retuliſſe, futile eſt. Retulit enim in priores: quorſum cramben odioſam recoqueret? Εἰ κατ' ἄνθρωπον ἐθηριομάχησα ἐν Ἐφέσῳ. *Si ſecundum hominem ad beſtias pugnaui Epheſi. Secundum hominem,* hoc eſt, *quod humanae tulere vires.* Graecitas ipſa vix alium in ſenſum flecti permittit, κατ' ἄνθρωπον. Diſertim, & explanate Chryſoſtomus: Τί ἐστι, Εἰ κατ' ἄνθρωπον; ὅσον τὸ εἰς ἀνθρώπους ἧκον, ἐθηριομάχησα. Dicit: *quantum in homine eſt, cum feris depugnaui.* En Chry-

ſoſtomi ſenſa, quam a ſupero ſenſu deuia? Item Laudatione prima de S. Paulo: Νῦν μὲν θηρίοις μαχόμενος, νῦν δὲ πελάγει παλαίων. Cumque analogum per ſe poſitum, ſcholarum trito ſermone ſtet pro principaliori ſignificato, quis dubitet θηριομαχεῖν propritim intelligere, cum orationis tranſlaticiae nullum in Apoſtoli dictione veſtigium pareat? Siue autem cum beſtijs pugnarit armatus, ſiue inermus objectus fuerit, Dei munere pugnae ſuperſtes fuit, & ad plurimorum ſalutem reſeruatus. Chryſoſtomus: Τί γὰρ εἰ ὁ Θεὸς ἐξήρπασέ με τῶν κινδύνων, Loquitur Pauli nomine pericula, quibus a Deo expeditus. Difficultas Paulo inciderat, Deo iudice digna, ac vindice. Tertullianus lib. de Reſurr. carnis, per hanc pugnam Aſiaticas preſſuras deſignari ratus eſt. Euge. τὸ θηριομαχεῖν Aſiatica preſſura eſt: Epheſi namque Aſiae res acta, ſi modo acta. Neque ijs interea negitat θηριομαχίαν. D. Chryſoſtomi fultura nulla eſt. Eius homilia in epiſtolam ad Corinthios priorem mihi lecta, relecta nuſquam id continere viſa, niſi forte inibi: Οὐκ ἐπειδὴ αὐτὸς ἐπὶ μισθῷ ἔτρεχεν. Quibus Paulum mercenarium negat: ſatis enim vna ſuperque Paulo merces Deo placere, exque Dei voluntate agi, quod his docet: Ἀρκοῦσα γὰρ ἦν αὐτῷ ἀντίδοσις τὸ ποιῆσαι τὸ δοκοῦν τῷ Θεῷ. Iſti autem auctoramento inuitatum non cucurriſſe ariolantur. At non cucurriſſe, quod auctoramenro non cucurrerit, minime conficitur. Denique Paulum damnationem ad beſtias ciuis Romani exceptione deuitare potuiſſe, ac liberari, qua exceptione alias vſus fuerit. Potuiſſe liquida res: ſic excepiſſe fidei incertae; incertioris ea exceptione liberatum.

Nam etſi ciuis Romani commemoratione Actorum capite ſecundo, ac viceſimo a flagris liberijt: tamen in eadem hiſtoria, cap. ſextodecimo, & Paulus flagris vſtus, ſectuſque eſt, & exceptione eadem vſus. Idem factitarit in damnatione ad beſtias: non propterea eius exceptioni, aut voluntati mos illico geſtus erit?

Scitabere, Pauluſne beſtijs objectus ſit, an cum beſtijs depugnarit: nam duo haec diuerſa clamant; nec quo diuertantur, explicant. Certe beſtijs obijci latius porrigitur: inermo adaeque, ac armato conuenit. Non & hoſti miles quamuis armatus obijcitur? Vtuntur interprete Latino, qui non dixerit Paulum *beſtijs traditum*. Quid Ambroſius commentario in epiſtolam Pauli ad Corinth. priorem? Ambroſij ſigillum: *Beſtijs offerri, mori non timui.* Paucis poſt: *Non ſolum non timuit: ſed & libenter beſtijs offerri ſe paſſus eſt.* Hac forte niſi ſunt teſtificatione, qui Paulum beſtijs objectum cenſuere, Theodoritus, Primaſius, Caietanus. Haec curioſule fortaſſe diſputamus: cum ſit Eraſmo ſcriptum audacius, quam verius in epiſtolam ad Galatas: *Toties beſtijs objectus* ,,Paulus.

Mecum Feuardentius in lib. 5. Irenaei, D. Ambroſ. lib. 10. epiſt. 82. *Quos bene irridet Apoſtolus dicens: Si ſecundum hominem pugnaui Epheſi ad beſtias, quid mihi prodeſt, ſi mortui non reſurgunt? Manducemus, & bibamus: cras enim moriemur. Hoc eſt: Quid mihi profuit vſque ad mortem contentio, niſi vt hominem redimerem meum?* Et Pauli vox anterius poſita eſt: *Ad beſtias pugnaui Epheſi.*

Digitized by Google

CAP. XIII.

Pauli Stigmata.

STIGMATA de Graeciae meditullio ortum eſt vocabulum, & res ipſa; paene dixerim, de Graeciae moribus. Ne autem vocabuli polyſemo ludamur, vel ambiguo, inde ordimur dicere. Στίζειν, *Pungere*: Στίγμα, *Punctus*. Nota quaeuis. Cum autem vi, aut impetu notae imprimuntur, Τύποι, *Typi*, ex percuſſione. Ex hoc Ioannis 20. cap. Τὸν τύπον τῶν ἥλων, *Fixuram clauorum*. Accommodatius forte *Figuram* nonnullis videri poſſit. Fruſtra. Certo namque dici potuit, Στίγματα τῶν ἥλων. *Puncta*, ſeu *Fixuras*. Non eſt enim in Euangeliſta *Fixura* aliud. *Impreßionem* namque reſpicit potiſſimum, atque e connexi vi impreſſae rei *figuram*. Si vis creuerit aut impetus, *Stigma* eſt *Plaga*. Suidas: Στίγματα, πληγαί, τραύματα, ἢ ποικίλματα. Haec ſunt: *Stigmata*, *Plagae*, *vulnera*, *aut variata*; Heſychius ſcripto Στίξας, σημεῖον ποιήσας, auctarium, addit Μαστιγώσας. Ideo *Stigmata* quaedam *vibices*, & *Liuedines* dici queunt. Ariſtophanes Veſpis: Ἐγὼ δ' ἀπόλωλα στιζόμενος βακτηρίᾳ. Scholia, Τυπτόμενος exponunt. Sic percuſſu clauorum, & lanceae relictae in Chriſti carne, Cicatrices *Stigmata* dicuntur, & quaeuis *Cicatrices*: quae quia ſunt vulnerantis, ac vulneris *ſigna*, dicuntur *Signa*. Vides in Heſychij teſtimonio. Sed & notae a natura inuectae, *Stigmata*. Heſiodus Aſpide:

Digitized by Google

Στίγματα δ' ὡς ἐπέφαντο ἰδεῖν δεινοῖσι δράκουσι.

Ex eo vſu, Στικταὶ θῆρες Sophocli: Στικταὶ ὕαιναι Oppiano. *Characteres, & literae, Stigmata.* Seneca de Beneficijs, lib. 4. *Improbiſſimo militi, ingratiſſimo hoſpiti, auidiſſimo naufrago Stigmata inſcribere, ingratum hoſpitem teſtantia. Stigmatis* inſigniti apud Zonaram Monachi duo, cum Theophilum Imperatorem liberius monuiſſent, tom. 3. Τὰς ὄψεις αὐτῶν κατέστιζε, καὶ ταῖς στιγμαῖς μέλαν ἐπέχει. γράμματα ἐτύπουν τὰ στίγματα· τὰ δ' ἦσαν Ἴαμβοι ἔπη. A tali inſcriptione ſtigmatica *Epigramma* eſt *Stigma* Petronio: *Impleuit Eumolpus frontem vtriuſq. ingentibus literis, & notum fugitiuorum Epigramma per totam faciem liberali manu duxit.* Vetuerat olim has Inſcriptiones, ſeu Epigrammata, ſeu Stigmata Phocylides:

Στίγματα μὴ γράψῃς ἐπονειδίζων θεράποντα.

Vetitum aliorſum fertur Leuitici cap. 19. *Super mortuo non incideris carnem veſtram: neque figuras aliquas, aut ſtigmata facietis vobis.* Primum immodicus luctus coërcetur. Amici enim in amicorum vita functorum memoriam carni ſuae notas inurebant altius. Hoc Dei vetitum eſt. Praeterea, affine id erat facto ſacerdotum idolorum, 3. Reg. cap. 18. Ne igitur Iudaeorum *ſtigmata* quidquam cum ſacrificulis iſtis commune habere videantur, *Stigmatis* imprimendis oppoſita lex diuinitus. Prior ratio eſt ab Iſychio : poſterior etiam a Toſtato.

Stigmatibus tamen obnoxij fuere ſcelerati. Plato lib. 8. de legibus ſacrilegis fanorum, praedonibus frontem, manuſque *ſtigmate* inurit, ſi modo ſerui, aut peregrini tantum ſcelus auſi. Martialis libro duodecimo:

Frons

Frons haec ſtigmate non meo notanda.

Tantum dedecoris diſſimulare, aut abolere, artis fuit. Neſcio quis ſtigmatias apud Athenaeum l. 6. Ruſo apud Martialem lib. 2. Egigr. 29. ea cauſa,

— numeroſa linunt ſtellantem ſplenia frontem.

Apud Plinium, Dioſcoridem, Celſum medicamentis obliterantur *Stigmata.*

Stigmatiae alteri *ſerui.* Artemidorus: Στίζονται παρὰ Γέταις δοῦλοι. *Stigmoſi fiunt ſerui apud Getas.* Vox eſt Plinij minoris. In Plauti Caſina propter *Stigma* ſeruus audit *Literatus.* Martialis Inſcriptos appellitat:

Quatuor inſcripti portabant vile cadauer.

Plutarchus auctor Samios captiuis Athenienſium noctuam iuſſiſſe: & hos viciſſim illis Samaenam. Nauigij genus eſt. Ea fuere ſeruitij *Stigmata.*

His etſi de cauſis probroſum *Stigma* (amant enim pleraque humana opinione ſtare) non defuere gentes, quibus in laude, & gloria poſitum; quibus etiam fuerit *Stigma* nobilitatis, generiſque character. Strabo lib. 7. de Pannonijs: Κατάστικτοι δ' ὁμοίως καὶ τοῖς ἄλλοις Ἰλλυριοῖς, καὶ Θρᾳξί: *Notis compuncti ſunt in morem reliquorum Illyriorum, & Thracum.* Euſtathius Commentario in Dionyſium, qui ferme totus ex Strabonis tabulis expreſſus eſt, refert eum morem ad Thracas Europaeos. Notiſſima ſunt mulierum Threïſſarum *Stigmata* in Orphei vindictam inflicta. Britanni apud Solinum vibices, ac cicatrices varianter colorant. Varij meminere.

Pauli *ſtigmata* cuiuſmodi? Capite vltimo ad

Digitized by Google

Galatas ſcripto: *Mihi autem abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri IESV Chriſti*, ſubtexit: *De caetero nemo mihi moleſtus ſit; ego enim Stigmata Domini IESV in corpore meo porto.* Notat Chryſoſtomus hic: Οὐκ εἶπεν, Ἔχω, ἀλλὰ Βαστάζω, ὥσπερ τις ἐπὶ τροπαίοις μέγα φρονῶν, ἢ σημείοις βασιλικοῖς. Εἰ καὶ τοῦτο πάλιν ὄνειδος εἶναι δοκεῖ· ἀλλ' οὗτος ἐπὶ τοῖς τραύμασιν ἐναβρύνεται· καὶ καθάπερ οἱ σημειοφόροι τῶν στρατιωτῶν, οὕτω καὶ οὗτος ἀγαλλιάζεται τραύματα ἐπιφέρων. Haec ſunt: *Non Habeo, inquit, ſed Porto, ac ſi quis ob trophaea, aut ſigna regia magnifice ſe circumſpiciat. Et ſi contra probrum id videatur; hic tamen ob vulnera gloriatur: velutque militum ſigniferi; ſic & hic vulnera circumferens, exſultat magnifice.* Diuus Auguſtinus in expoſitione: *Id eſt, habeo alios conflictus, & certamina cum carne mea, quae in perſecutionibus, quas patior, mecum dimicant. Stigmata enim dicuntur notae quaedam poenarum ſeruilium: vt ſi quis, verbi gratia, ſeruus in compedibus fuerit propter noxiam, id eſt, propter culpam, vel huiuſmodi aliquid paſſus fuerit, Stigmata habere dicatur; & ideo in iure manumiſſionis, inferioris eſt ordinis. Nunc ergo Apoſtolus Stigmata voluit appellare, quaſi notas poenarum ex perſecutionibus quas patiebatur.* Hactenus Auguſtinus. Vide D. Macarium homil. 25. & 37. Sentit ergo Paulus ſe certas habere notas ſerui IESV Chriſti, pro quo tam multa perpeſſus fuerat. Toties virgis caeſus, toties lapidatus, toties in vincla datus, ad beſtias damnatus, & omnem illam malorum congeriem exſtruit, vt nomen atque auctoritatem aduerſus Pſeudapoſtolos ſibi paret. Illi gloriabantur in cicatricibus circumciſionis: Paulus circumferebat in corpore ſuo notas, & *Stigmata* crucis Chriſti.

Digitized by Google

Tali igitur Doctori credendum magis, quam delicatulis ex alieno vulnere gloriam affectantibus. Eodem Chryſoſtomi commentarius incumbit. Dico Latine: *Cur id dicit? Quamuis oratione, quamuis voce clarus per haec* [Stigmata] *defenſionem adorno, inquit. Haec enim elatiorem tuba vocem mittunt aduerſus obloquentes, & dicentes fucatam me doctrinam tradere, meque quo hominibus placeam, fari. Neque enim ſi quis militem ex acie cruentatum, & ſexcentis vulneribus ſaucium viderit, formidinis, ac proditionis ipſum inſimulare auſit, cum in ipſo corpore virtutis argumenta gerat. Eadem igitur, inquit, de me ferantur ſuffragia.* Denique ſic concludit: ἵνα μή τις λέγῃ, ὅτι μετέστη μὲν ἀπὸ διανοίας ὀρθῆς, οὐκ ἔμεινε δὲ ἐπὶ τῆς αὐτῆς προαιρέσεως, ὅτι καὶ ἔμεινε μάρτυρας παρέχει τοὺς πόνους, τοὺς κινδύνους, τὰς πληγάς. Suprema haec Chryſoſtomi componantur cum Suidae verbis praepoſitis, & cum Commentario ad Epheſios, cumque eiuſdem ſcriptis tom. 7. p. 832. Hanc ergo gloriationem in cruce D. N. I. C. Apoſtolo defenſionis neceſſitas extorſit. Id genus gloriam Celerino adſcribit, & euulgat D. Cyprianus epiſtola 34. *Iacuit inter poenas, poenis ſuis fortior, incluſus includentibus maior, iacens ſtantibus celſior, vincientibus firmior vinctus, ſublimior iudicantibus iudicatus: & quamuis ligati neruo pedes eſſent, calcatus ſerpens, & obtritus, & victus eſt.* Quibus apprimit Stigmata reapſe: *Lucent in corpore glorioſo clara vulnerum ſigna; eminent, & apparent in neruis hominis, membris longa tabe conſumtis, expreſſa veſtigia.* Intermiſſis pauculis: *In ſeruo Dei victoriam gloria vulnerum fecit, gloriam cicatricum memoria cuſtodit.* Lib. 1. Baſilij Thecla, Pauli deliciae in Chri-

ſto IESV a rogo, ab incicoribus feris, a theatro publico ſalua ſic in grates effunditur: Ὑπὲρ μὲν οὖν τούτων, ἀξίως μὲν οὐδαμῶς, εὐχαριστῶ δ' οὖν ὅμως, ὡς ἂν ὅλως τῶν ὑπὲρ σοῦ καταξιωθεῖσα παθημάτων, καὶ στιγμάτων. Perpeſſiones ſuas laxiuſcule *Stigmata* nominitat. Nam leonum, caeterarumque ferarum dentes ei non ſunt impacti: flamma nullam inuſſit cicatricem, vel in ſumma cute. In Paulo Stigmaton vtrumque genus. Toſtatus in c. 19. Leuitici, rationem dicti Paulini reddit: *Hoc autem quia gerebat continuam memoriam Paſſionis Chriſti, & etiam in corpore ſuo quotidianos labores, & frequentes ſuſtinebat plagas, vt patet 2. ad Corinth. cap. 11.* Tertull. 5. aduerſus Marcionem: *Cum vero adijcit Stigmata Chriſti in corpore ſuo geſtare ſe (vtique corporalia competunt) iam non putatiuam; ſed veram, & ſolidam carnem profeſſus eſt Chriſti, cuius ſtigmata corporalia oſtendit.* Pertinet haec diſputatio omnis ad animi magnitudinem, quae eluxit in Paulo.

Stigmatωn Pauli glorias laudatione ſecunda his Chryſoſtomus exaggerat: Εἰς τὴν ἅλυσιν οὕτως ἐκαλλωπίζετο, ὡς οὐδὲ τὸ διάδημα Νέρων ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἔχων· καὶ τὸ δεσμωτήριον δὲ ᾤκει, ὡς αὐτὸν τὸν οὐρανόν, καὶ τραύματα, καὶ μάστιγας ἐδέχετο ἥδιον τούτων τῶν τὰ βραβεῖα ἁρπαζόντων. *Tam ob catenas gloriabatur, quam ob diadema, quod capite geſtabat Nero. Carcere cum haberetur, coelum poſſidere videbatur: vulnera, & flagra libentius admittebat, quam qui brauia rapiunt.* Plura in epiſtolam ad Epheſios.

Quorſum iſta ſcriptoris de cruce lib. 1. cap. 40. de Paulo: *Quid haec ſtigmata aliud erant, quam ſymbola, & notae Chriſti crucifixi, cuius Paulus ſeruus erat?*

Digitized by Google

CAP. XIIII.

Deterſae Pauli blaſphemiae. Quid Κάθαρμα, *ſeu Purgamentum. Quid* Περίψημα, *Peripſema.*

NE vero tandem decoriſſimi Pauli Tituli veterum recordatione malorum foedentur, largiter profuſas in Chriſtum, Chriſtique Eccleſiam blaſphemias, vt paribus, aut etiam grauioribus ſanctitudinis momentis repenſauerit, nunc ex promiſſo paramus aperire. Blaſphemia autem arctiore gyro, quod ante dicebamus, in Deum, diuina, & ſancta armatur iuxta illud ad Rom. c. 2. *Nomen enim Dei per vos blaſphematur inter gentes.* Grauiſſima vero a Paulo blaſphemia, negitare Chriſtum eſſe IESVM, aut Deum, quam redhoſtiuit pientiſſima confeſſione, & praeconio, Actor. 9. *Continuo ingreſſus in Synagogas, praedicabat IESVM: quoniam hic eſt Filius Dei.* Nec pluribus opus: hoc enim per omnem vitam egit, nec ob aliud, opinor, viuere voluit. Ea autem mente, curaque demoueri non poſſe quibuſvis ingruentibus malis, infracti animi fuit, & a Deo ad Deum indeclinabiliter verti.

Altera blaſphemiarum expiatio eas ipſas demiſſo, memorique animo agnoſcere, confiteri, deteſtari, 1. ad Timoth. cap. 1. *Qui prius blaſphemus fui, & perſecutor contumelioſus.* Paulus Iudaeorum perfidiam, & blaſphemias zeli imagine

Digitized by Google

obnubilat, excuſatque: ſuas conlucat, & accuſat: Ὁρᾷς τὴν καταφορὰν αὐτοῦ; πῶς οὐκ ἔστι φίλαυτος; πῶς συνεσταλμένην κέκτηται τὴν διάνοιαν; Vides, inquit Chryſoſtomus, *Pauli demiſsionem? quam ſui minime amans ſit? quam reſtricti animi?* Nec ſatis erat blaſphemum, & perſecutorem appellitare: ſed & volentes pie agere, perſecutum ſe fatetur. Πολλὴ τῆς βλασφημίας ἡ μανία: *Multa blaſphemiae inſania:* ſed quam menti redditus publica confeſſione expiauit.

Blaſphemijs appeti tertium eſto expiamenti genus. Quas paſſus ſit, notant DD. Chryſoſtomus tom. 8. pag. 55. & Ambroſius ſerm. 8. in Pſal. 118. legentes Apoſtoli veſtigia 1. ad Corinth. c. 4. *Blaſphemamur, & obſecramus: tanquam purgamenta huius mundi facti ſumus, omnium peripſema vſque adhuc.* Ambroſius ſic legit: *Tanquam luſtramenta huius mundi facti ſumus, omnium luſtramenta vſque adhuc.* Prius dicitur, περικαθάρματα: poſterius, ἐνικῶς περίψημα, quas voces vni rei peſſimae, ac ſceleratiſſimae deſignandae Paulus adhibuit. Sic Imperatorum, hominumque poſtremiſſimum Neronem Philoſtratus grauatim vocauit Apollonij lib. 5. cap. 2. Τί τοὺς κακοδαίμονας ἀνθρώπους ἐρεῖς ὑπὸ τοιούτῳ καθάρματι ζῶντας; Interpres: *Quid de miſeris hominibus dices, ſub tali monſtro viuere coactis?* Parum adſtricte. Maluiſſem: *Sub impuriſsimo monſtro, ſub illo coeno hominis*, vel ἀνηθικοῦ: *Sub homine mori meritiſsimo viuentibus.* Hoc expreſſius, ſimpliciuſque, cum nulla in Graeco ſit *coactionis* memoria. Quod additamentum a falſo eſt. Vide mi auguſtam Taciti hiſtoriam, quot, quamve egregij viri Neronem pertaeſi vitam vi eliſerunt? Adeo ſub eo vi-

Digitized by Google

uere minime cogi potuere. Vt omittam quos ille mori coëgit, non viuere. Iterum ſic appellatur Nero, c. 10. Vocem amat, & vtitur Curtius lib. 4. *Tuguria conchis, & caeteris purgamentis maris ſtruunt*. Lib. 8. *Purgamenta exaeſtuantis freti*. Colu-mella lib. 2. de Re R. c. 15. *Si aliis villae purgamentis admiſceatur*. Palladius lib. 1. titulo 33. Liuius in 1., Seneca, alij. Curtius etiam abutitur libro 10. *Omnia potius toleraturi, quam purgamenta quondam vrbis ſuae admitterent*. Sic Apoſtolus: mirum vt ſit virum literatiſſimum, & quem meritiſſimo ſuſpiciat orbis, non ſola Gallia, malle Graecam vocem retineri *Catharmata*. Antetulerim *Purgamenta* cum vulgato Interprete, cumque Ambroſio, qui & *Luſtramenta* etiam loco *Peripſematis* ponit, eo videlicet ſenſu, quo *Luſtramina* Valerius Flaccus lib. 3.

—— *Luſtramina ponto*

Pone iacit. ——

Quae ex Homeri primo παρεξέδαι videntur:

—— Εἰς ἅλα λύματ' ἔβαλλον.

Sicut ergo locorum exuerrae, & purgamenta proijciuntur, & nullo loco ſunt: ſic homines ſacri, & ſceleratiſſimi cunctis ſunt deſpicabiles, omnium ore lacerantur, conuicijs, ac blaſphemijs onerantur; imo & vita indigni aeſtimati tolluntur e medio. Talem ſe multorum aeſtimatu Paulus olim blaphemus gloriatur; quod euidentius vt appareat, ex priſco gentium more res altius repetenda.

Cum Maſſilienſes peſte laborarent, vnus ſe ex egentibus offerre ſolebat annum integrum alendum publicis cibis, & purioribus. Poſtea ver-

benis, veſtibuſque ſacris ornatus, circumducebatur in orbem cum exſecrationibus: precabantur enim, vt in eum omnia mala ciuitatis incumberent, & inciderent; ſicque proijciebatur. Haec e Seruio. Compendi facit verba Suidas: Ὑπὲρ τοῦ καθαρμοῦ πόλεως ἀνῄρουν ἐστολισμένον τινά, ὃν ἐκάλουν κάθαρμα. Eadem vox Ariſtophani in Pluto vſurpata. Plutarchus de Iſide ex Manethone refert in Idithyis ciuitate viuos homines comburi, eoſq. Typhonios appellari, καὶ τὴν τέφραν αὐτῶν λικμῶντες ἠφάνιζον, καὶ διέσπειρον· idque eſſe καθαρμὸν μέγαν. Tzetzes conſulendus Chiliade 5. c. 23. vbi etiam purgationis eiuſcemodi cauſam famem addit, & ſimiles calamitates. Apoſtolus autem quo ſe animoſus abijciat, περικάθαρμα dicit a *circumactu* talium nefariorum. Huiuſmodi *Sacer* in XII. appellatur: SI QVIS EVM QVI EO PLEBISCITO SACER SIT OCCIDERIT, PARICIDA NE SIT. Liuius lib. 3. Macrob. lib. 3. c. 7. Dionyſius Hal. lib. 2. Antiq. Rom. item lib. 6. Cum autem piacularis hoſtia de praecipiti dabatur in mare, communis erat imprecatio: Περίψημα ἡμῶν γενοῦ. *Peripſema noſtrum eſto.* Eſt autem proprie quidquid deradendo, aut deterendo deijcitur, ſcobs, puluiſculi, coenum, titiuillitium, res nihili. Solens autem more ſuo notat Chryſoſtomus, Apoſtolorum non vnius vrbeculae *Purgamenta* dicere ſe, ſed vniuerſi: Περικαθάρματα οὐ τῆς πόλεως ὑμῶν, ἀλλὰ τοῦ κόσμου: neque Corinthiorum ſolorum *Peripſema*; ſed *Omnium*. Et huic periodo eiuſdem capitis illa pariſſima: *Puto enim, quod Deus nos Apoſtolos nouiſſimos oſtendit, tanquam morti deſtinatos: quia ſpectaculum facti ſu-*

Digitized by Google

mus mundo, & Angelis, & hominibus. Abjungo ab Apoſtolis *Nouiſſimos*, & vltimae voculae adjungo, tranſlatione a gladiatoribus accepta, quibus caeſis alius atque alius ſufficitur, & quidam tandem *Nouiſſimus*, qui vltima ſorte caeditur. Pro *Morti deſtinatos*, Graecis eſt ἐπιθανατίους.

Ij ſunt, qui ἐπὶ θανάτῳ aliorum caedendi, caeſive, quaſi ſupernumerarij adduntur. Eam vocem explicatiorem circumloquio poſuit Chryſoſtomus: Ἐπιθανατίους δὲ ἐνταῦθα τοὺς καταδίκους λέγει, καὶ μυρίων θανάτων ἀξίους, hoc eſt: Ἐπιθανατίους *hoc loco vocat morti deſtinatos, & ſexcentis mortibus dignos.* Pauli igitur ſententia haec: Nos tanquam piacula mundi facti ſumus. nos extrema pro omnibus hoſtia blaſphemijs impetimur, exſecrationibus deuotamur, & pro ſalute publica abijcimur, perimus. Hos animos, mortesque, blaſphemias ſpectat mundus, homines. Haec Paulum coelo extulere.

Porro iactarum in Paulum blaſphemiarum breuiarium conſtipat Tertullus, Actor. c. 24.

Prima: *Inuenimus hunc hominem peſtiferum.* Λοιμὸν, *Peſtem.* Vt Sophoniſbam furiam, peſtemque vocat Liuius lib. 40.

2. *Et concitantem ſeditiones omnib. Iudaeis in vniuerſo orbe.*

3. *Et auctorem ſeditionis ſectae Nazaraeorum.*

4. *Qui etiam templum violare conatus eſt.*

Haec Tertullus: *Adiecerunt autem & Iudaei, dicentes, haec ita ſe habere.*

Digitized by Google

CAP. XV.

Pauli doctus humanitus, diuinitus.

TARSVM Ciliciae, ſeu Sardanapali opus die vno conditum, quod volunt Euſtathius, atque Stephanus, ſeu Perſei, ſeu Triptolemi, ſatis conſtat e Lucana hiſtoria, S. Paulo patriam fuiſſe terram. Actor. 21. c. *Dixit ad eum Paulus: Ego homo ſum quidem Iudaeus, a Tarſo Ciliciae, non ignotae ciuitatis municeps.* Antonini Itinerarium a Pithoeo: *Ciuitas Tarſus* M. XII. *Inde fuit Apoſtolus Paulus.* Conſtantinus de Thematibus: Συνεργὶς ἢ τούτων, [Iſauriae, & Ciliciae] Ταρσὸς Παύλου πατρὶς καθίδρυται. D. Hieronymus lib. de Viris Ill. adſentit. Pauli parentes e Giſchalis Iudaeae vico, quondam vrbecula: vbi & conceptus in vtero videtur apud Photium. Ex eo *Iudaeum* ſe Paulus palam pronunciat: quod qui verum eſſe poſſit, ſi in Cilicia natus ſimul, & conceptus, aut ſi Tarſum Ἑλληνίδα πόλιν (vt appellat Photius in ſequente epiſtola) patriam habuit? Ecquid obſtupes velut ad fabellam? Non Chriſtus ipſe Nazarethi conceptus eſt, non & in Bethlehem Iudae natus? Imo & in Nazareth natus voce Angeli: tum videlicet cum virginei vteri latebris adhuc contineretur. Nec ignoro D. Hieronymum quorundam opinione recinuiſſe. Ex Giſchalis Tarſum immigrarunt, inibique mater Paulum enixa eſt.

Digitized by Google

Tandem ciuitate Romana donati ſunt, vt diſertim explicat Photius quadam in epiſtola. Hinc toties *Ciuem, & hominem Romanum* ſe Paulus appellitat, & ſupero loco *Municipem.* Gloriam autem, & iactationem refugit, dum *Tarſum non ignotam ciuitatem* loquitur: fuit enim maxime famigerabilis, & literarum honore nec infra Alexandriae ſcholas, aut Athenarum Academiam. Strabo lib. 14. Τοσαύτη δὲ τοῖς ἐνθάδε ἀνθρώποις σπουδὴ πρὸς τὴν φιλοσοφίαν, καὶ τὴν ἄλλην ἐγκύκλιον ἅπασαν παιδείαν γέγονε, ὥστ' ὑπερβέβληνται καὶ Ἀθήνας, καὶ Ἀλεξάνδρειαν, καὶ εἴ τινα ἄλλον τόπον δυνατὸν εἰπεῖν, ἐν ᾧ σχολαὶ, καὶ διατριβαὶ τῶν Φιλοσόφων, καὶ τῶν λόγων γεγόνασι. *Tarſenſibus tantus ad Philoſophiam capeſſendam, & totum diſciplinarum orbem ardor fuit, vt Athenas, Alexandriam, & quemcumque locum, in quo ſcholae, & Philoſophorum, ac humanitatis diuerſoria, ſupergreſſi ſint.* Tum pergit enumerare viros, qui e Tarſenſium gymnaſijs nomen aliquod, decuſque geſſerunt, quibus omnibus obſtat Pauli vnius gloria. Hic literas Graecanicas perdidicit, ac veterum Graeciae ſcriptorum nectar bibit. Ita 1. ad Corinthios. c. 15. opportune Menandri verſiculum inculcat: Actor. c. 17. cum Athenienſibus ex Arato diſputat: ad Titum exprobrantis odium declinans Prophetae gentilium, hoc eſt, Epimenidis verbis Cretas onerat. Rectiſſime Origenes tom. 3. contra Celſum: Ὁδὸς γὰρ ἐπ' ἀρετὴν ἐστιν ἡ παίδευσις.

Contra nonnulla, quae Paulum minus literatum, minus eloquentem comprobant, aggerant. 1. ad Corinthios, c. 2. Pauli confeſſionem nobis impingunt: *Quae & loquimur non in doctis humanae ſapientiae verbis.* Iterum 2. ad Cor. c. 11. *Nam*

Digitized by Google

etſi imperitus ſermone ; ſed non ſcientia. Rurſus 1. ad Cor. c. 2. *Sermo meus , & praedicatio mea non in perſuaſibilibus humanae ſapientiae verbis.* Proinde haec a Paulo pleriſque locis interſperſa, vt ſibi nomen eloquentis adimat. Nam:

Si latet ars, prodeſt: affert deprenſa pudorem,
Atque adimit merito tempus in omne fidem.

Deinde, *vt non glorietur omnis caro*, aut humanae ſapientiae verbis longe, lateque fuſa Fidei propagatio tribuatur: ſed crucis, ſed crucifixi viribus, & gratiae. Quae ita eſſe appoſita Apoſtoli verba locis ſuperis nimiuſquam euidenter commonſtrant 1. ad Cor. 2. *Veni non in ſublimitate ſermonis, aut ſapientiae*, &c. *ſed in oſtenſione Spiritus, & virtutis. Vt fides veſtra non ſit in ſapientia hominum; ſed in virtute Dei.* c. 4. *Cognoſcam non ſermonem eorum, qui inflati ſunt; ſed virtutem. Non enim in ſermone eſt regnum Dei; ſed in virtute.* Tantumdem 2. ad Cor. c.11. Fuit humanitus doctiſſimus Paulus: ſed abſque oſtentatione: imo idipſum occulebat pro animi ſui ſapientia, & moderatione, modo Corinthijs, modo alijs ſe, ſuaque ſubmittens. Opportune alibi D. Auguſtinus: *Videtur enim etſi imperitus ſermone, ſed non ſcientia, quaſi concedendo obtrectatoribus ſic locutus, non tanquam id verum agnoſceret confitendo.* Idem lib. 4. de Doctrin. Chriſt. c. 7. *Sicut ergo Apoſtolum praecepta eloquentiae ſecutum fuiſſe non dicimus: ita quod eius ſapientiam ſecuta ſit eloquentia, non negamus.* Eapropter Barnabam, cui prae Paulo vultus auguſtior, teſte Chryſoſtomo Actor. 14. Lycaones pro Ioue habuerunt, Paulum pro Mercurio facundo Atlantis nepote: *Quoniam ipſe erat dux verbi.*

Digitized by Google

Tantum quoque doctrinae exoticae faſtigium (nam de diuina iudicantem gentilem non audiuerim) ſuſpexit in Paulo Feſtus, vt illud Actor. 2. eblaterauerit *magna voce : Inſanis Paule, multae te literae ad inſaniam conuertunt*. D. Hieronymus in Apologia ad Pammachium : *Paulum Apoſtolum proferam, quem quotieſcunque lego, videor mihi non verba audire, ſed tonitrua.* Poſtilla : *Quocunque reſpexeris, fulmina ſunt.* Merito igitur ei, quod veteres Pericli, arrogabo : Ἤστραπτεν, ἐβρόντα, συνεκύκα τὴν Ἑλλάδα : *Fulgurabat, tonabat, permiſcebat vniuerſam Graeciam.*

Verum & Iudaïcae gentis leges, ac ſacra, Phariſaïcae ſectae diſciplinam, ac cerimonias Ieroſolymis doctus eſt. Sanctus Hieronymus libro de Viris Illuſtr. *Ob ſtudia legis miſſus Ieroſolymam a Gamaliele viro doctiſſimo, cuius Lucas meminit, eruditus eſt*. Ipſuſmet Paulus, Actor. c. 22. *Nutritus autem in iſta ciuitate, ſecus pedes Gamaliel, eruditus iuxta veritatem paternae legis, aemulator legis, ſicut & vos eſtis omnes hodie. Ciuitatem* Ieroſolymorum intelliges ex antegreſſi capitis ſerie. Gamaliel porro fide imbutus Chriſtiana in ſacro baptiſterio, Iudaeum exuit, vt ſcriptum Euſtratio apud Photium. Ex eo Paulum ſaepiſſimis locis tantopere depraedicat Cyrillus Alex. Hom. 10. Ὁ τοῖς ἱεροῖς ἐντεθραμμένος γράμμασι. Hom. 16. Νομομαθὴς ὢν ὁ Παῦλος, καὶ πεπαιδευμένος κατ᾽ ἀκρίβειαν. Hom. 30. Νομομαθέστατος Παῦλος. Hom. 6. Glaphyrorum : Ὁ σύμπασαν ἔχων τοῦ νόμου τὴν γνῶσιν. Pariſſima apud D. Chryſoſtomum, alioſque, quae ne meridiano ſoli lampadem accendere videar, non accumulo. Illuſtriſſimum huius teſtimonium in capite primo ad

Galatas: *Et proficiebam in Iudaïſmo ſupra multos coaetaneos meos.* Ecqui hi? Primus Nicodemus, ſecundus Abibas, tertius Stephanus. Hi Paulo condiſcipuli fuere. Nec tamen inde conſectarium eruditione legis Paulum his anteferendum: potuerunt enim alij ab his Paulo poſtferri. Neque enim Paulus dixit, *ſupra omnes.* Neque etiam conſtat iſtos tres viros Paulo anteferendos: quo ſigno, vel argumento?

Acerrimum autem Pauli ingenium diſciplinis exoticis exaſciatum, Moſaïcis inſtitutionibus informatum, coeleſtiſſima Spiritus S. ſapientia perpoliuit, atque perfecit. 1. ad Corinth. 2. *Loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quae abſcondita eſt, quam praedeſtinauit Deus ante ſecula in gloriam noſtram.* Nec multis interſitis: *Nobis autem reuelauit Deus per Spiritum ſuum. Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei.* Chryſoſtomi Commentarius Paulo legem docto, & Spiritu loquenti veriſimilem tribuit eorum ſcientiam, quae Samuël, alijque nouerunt Prophetae: eorum etiam librorum ſacrorum, qui interciderunt. Interiſſe autem quaedam volumina ex libris Regum, ac Paralipomenωn conſtat. Addit communicata per Spiritum ſcientia, Paulum ſciſſe Angelis imperceptа. Scientiam autem prophanam obſtaculo etiam eſſe, atque impedimento diuinae, ac velut intergerrinum murum ei oppoſitum. Haec enim crucem irriſui habet, aliaque diuiniora, quae ſunt ſupra ſenſilia, & ſenſilibus inimica. Haec enim eſt, quae velut ancillula minus aeſtimata, ad coeleſtis doctrinae penetralia, & dominica myſteria minime admittitur. Quare iam poſitis ex vero

Paulus attexit: *Quae & loquimur, non in doctis humanae ſapientiae verbis: ſed in doctrina Spiritus, ſpiritualibus ſpiritualia comparantes.* ad Galat. 1. *Paulus Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem: ſed per IESVM Chriſtum, & Deum Patrem.* Ita vt Paulus Apoſtoli partes expleret, ſcientiamque huic congruentem muneri participaret, tota ſe impenderit ſanctiſſima Trinitas.

Haec recte apud melioribus, ſeu Chriſtianis ſacris initiatos dicuntur. Verum apud prophanos debuerat Paulus firmamentum veri huius aliquod conferre. Dicant enim vti Lycurgus, Solon, Numa, Scipionis mater praeſentiam Numinis alicuius, opem, doctrinamque ſunt ementiti: ſic & Paulum, vt ſupra cognitionis humanae metas ſeſe efferret, ſcientiam ſibi modo a Spiritu S. modo a Chriſto infuſam audacius, quam verius praedicaſſe. Occurrit his Diuus Chryſoſtomus in illa ad Galatas, c. 1. v. 12. *Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici: ſed per reuelationem IESV Chriſti:* idcirco continenter adjectum: *Audiſtis enim conuerſationem meam aliquando in Iudaiſmo: quoniam ſupra modum perſequebar Eccleſiam Dei,* & inſequentia: *Cum autem placuit ei, qui me ſegregauit ex vtero matris meae,* & inſequentia. Antegreſſa conuerſio, inquit, ſignum eſt, & argumentum reuelationis arcanorum Dei. Niſi enim Deus ea reuelaſſet, momento temporis ea mutatio minime contigiſſet. Atque etiam ipſa animi demutatio cum fieret, Pauli mens in corpore ab omni corporeo ſeductior, *audiuit arcana verba,* reſque verbis pariſſimas cognouit, & myſteria, *quae non licet homini loqui.* Theodoretus in epiſt.

ad Galatas: *Cum Paulus humana doctrina non indigeret, vt qui ab vniuerſorum Deo illam accepiſſet.* Iſidorus a Peluſio ad Leontium Diaconum: Τὰ ὑπερφυῆ, καὶ θεῖα παιδεύματα διδάσκων ὁ Κύριος τὸν Παῦλον, ἐκ τοῦ οὐρανοῦ αὐτῷ διαλέγεται, οὐράνιον εἶναι δεικνὺς τὸ μέλλον αὐτῷ ἐγχειρίζεσθαι κήρυγμα. Quare ab Iſidoro, epiſtola ad Timotheum, dicitur Paulus, ὁ τῶν οὐρανίων ὑποφήτης δογμάτων. Ad Cynegyrum: Παῦλος ὁ τῶν οὐρανίων ἀκριβέστατος γνώσεως. Ad Herminium Comitem, & ad Lampetium Epiſcopum: ὁ τῶν τοῦ Χριστοῦ νοημάτων ταμίας, *Chriſti ſenſorum promuſcondus.* Iiſdem prope verbis de Paulo vſus eſt epiſt. 335. Similiter Origenes Philocaliae c. 18. Ὁ τοῦ Ἰησοῦ γνήσιος μαθητὴς Παῦλος. Cyrillus Alex. hom. 6. ὁ σοφώτατος Παῦλος ὁ τῶν τοῦ Σωτῆρος μυστηρίων ταμίας. Interpres: *Paulus ille omnium Saluatoris myſteriorum conſcius, & particeps.* Scelus non ſimplex: Ταμίας, neque *Conſcius* eſt, neque *Particeps*: ſed quod diximus, *Promuſcondus.* Monſtrata ſcilicet a Deo Paulus ſibi condebat, promebat alijs. Sic Homero Aeolus Ταμίης ἀνέμων dicitur, ſcilicet,

Qui premere, & laxas ſciret dare iuſſus habenas.

Dicere vero, atque Cyrillum interpretari dixiſſe Paulum *omnium* Chriſti Saluatoris myſteriorum conſcium, eſt phaleratis dictis lectori imponere, mendacemque tanto Eccleſiae Patriarchae ſententiam affingere, qui non dixit *omnium.* Quid enim? An cum ab aeterno myriadas coeleſtium mentium, & hominum Saluator ſtellimicantibus coeli ſedibus deſtinauit, Paulus eius fuit aut conſiliarius, aut ſecretarius? An etiam myſterium diei ſupremi, hoc eſt, diem, atque horam nouit Paulus, contra Chriſti veraciſſimam adſertionem?

Digitized by Google

nem? Hoc affirmat vox illa ſupernumeraria *Omnium*, nullo myſterio facto eximio. Et, vt ſciſſet *Omnia* Paulus, hoc non profitetur Cyrillus eo loco: haec igitur illi mens minime affigenda. Nec ibi aliud Cyrillus dictum voluit, quam ſcripto hom. 11. de eodem, τοῦ Σωτῆρος ὁ μαθητὴς, *Saluatoris ille diſcipulus*: aut hom. 23. ὁ τῶν αὐτοῦ μυστηρίων ἱερουργὸς, non *Omnium*. Hoc iurat Paulus indebitum ſibi, Cyrillus dicere erubeſcit, Celſum penitet, quem omnia ſcire gloriantem Origenes furcillis eijcit.

A doctrina diuinitus hauſta paſſim audit Paulus Σοφὸς, Σοφώτατος, Πάνσοφος, Θεῖος, Θεσπέσιος.

At mirari ſubit cum toties Cyrillo ſit Νομομαθὴς, cur etiam lib. 5. Glaphyrorum Νομοθέτης ὁ Παῦλος. Cur, inquam, *Legis poſitor*, ſeu *ſanctor eſſe* praedicetur? *Lex per Moſem*, inquit alibi de antiqua loquens, & antiquata: de noua, *Veritas per IESVM Chriſtum*, auctorem ſcilicet Nouae, cuius cum ipſe buccinator fuerit, & tuba, teſte Chryſoſtomo tom. 5. pag. 288. *Legis* nouae *Poſitor*, ſeu verius *Repoſtor* dici ex vero poteſt. E diuerſo de Virginib. praeceptum Domini ſe non habere profitetur. Verum & peculiares quaſdam condidiſſe leges videri poteſt, verbi gratia, de ordinanda, regendaque familia, quod notat Magnus Dionyſius epiſtola ad Demophilum: Εἰκότως ὁ μακάριος ἡμῶν ἐκ Θεοῦ νομοθέτης, οὐκ ἀξιοῖ τῆς Ἐκκλησίας τοῦ Θεοῦ προΐστασθαι τὸν μὴ τοῦ ἰδίου οἴκου καλῶς ἤδη προεστηκότα. *Merito beatus noſter ex Deo legiſlator*, inquit, *non dignum iudicat Eccleſiae Dei praeſici, qui domui propriae non recte praefuerit.* Nota, *ex Deo*: fuit enim ſubſecundarius quidam legum ſanctor Paulus. Finio

verbis Euſebij lib. 3. cap. 14. Γαῦλος πάντων ἐν τῷ παρα-σκευῇ δυνατώτατος λόγων, νοήμασί τε ἱκανώτερος γεγονώς. Γάντων, etiamne Iuriſprudentiae? Audi Iuriſconſultum, & praetorium virum S. Ambroſium lib. 1. de Iacob, c. 3. *Quis quaſi idiotam Paulum vel in ipſo iure aſſerit? Sciuit enim diſcernere, inter libertum, & liberum; & ideo non perfunctorie, ſed proprie dixit: Qui enim vocatus eſt in Domino ſeruus, libertus eſt Domini: ſimiliter qui liber vocatus eſt, ſeruus eſt Chriſti. Reuera enim omnes Chriſti liberti ſumus, nemo liber.*

CAP. XVI.

Paulus Doctor, Praedicator, Euangeliſtes.

SALOMON, qui omnigenarum ſcientiarum theſauros Numinis aeterni fauore obtinuit, idque ſomno indulgens, ſupremum in terris felicitatis gradum attigiſſe videri poſſit. Sed hoc vnius dumtaxat animae ornamentum, quamuis illuſtriſſimum, eſſe potuit. Scientiam ergo ſuam miſit in literas, & hominibus cum ſumma humanitate communicauit. Optime vero de mortalium genere meritus eſt, ſi qui ex Salomonis ſcriptis non ſcientior fuit, ſed melior. Quod an vſuvenerit, nec inficior, nec adſeuero. At D. Paulus, in quo ſecundum Chriſtum omnes ſcientiarum theſauri videntur fuiſſe, voce, ſcripto, congreſſu ſanctitudinis au-

ram audienti, legenti, congredienti inhalauit. Verbulo abunde docet Diuus Cyrillus Alexand. hom. 11. Τῶν ἁγίων παιδοτρίβης. *Sanctorum exercitator, ſeu magiſter.* Suas porro ſcientiarum diuitias explicaſſe Paulum dum ſcriptores ſacri commemorant, *Magiſtrum*, *Doctorem*, *Apoſtolum*, *Praedicatorem*, *Euangeliſtam*, *Tubam*, *Praeconem* dictitant, S. Macarius hom. 32. ἐπεξηγητικῶς tria pro vno: Οὕτως γὰρ καὶ ὁ Κύριος ἐνδυσάμενος τοὺς Ἀποστόλους, ἀπέστελλεν αὐτοὺς Εὐαγγελιστὰς, καὶ κήρυκας ὅλου τοῦ κόσμου. Omnia vero haec, vt rei vnius ſunt imago primulum contuenti: ſic perſpicacius mihi penſitanti nonnulla ex his ab inuicem placuit diſpeſcere. S. Ambroſio lib. 1. de Vocatione Gent. cap. 5. Paulus ſcribitur *Pius*, *& doctus magiſter*: hoc eſt, *Doctor*, qui quod diſcentibus adſolet eſſe verſatior, & in doctrina tritior, quaſi *Magiſterus*, ſeu *magis tritus* indigetatur, vt *Miniſter*, *Miniſterus*, *Minus tritus*. Item nec amplius c. 7. cum dicitur *Praecipuus magiſter gentium* Ambroſio, D. Bernardo epiſt. 190. Gregorio M. lib. 30. Moral. c 8. Prudentio, τῶν στεφάνων, S. Leoni, *Specialis magiſter gentium*. Iterum Ambroſius ſerm. 66. *Paulo tanquam idoneo Doctori magiſterium Eccleſiaſticae inſtitutionis iniunxit Chriſtus*. Ipſus Paulus 1. ad Cor. 4. *Vias meas, quae ſunt in Chriſto IESV, ſicut vbique in omni Eccleſia doceo*. Quo ex loco videtur Photio in Nomocanone vocatus Παῦλος ὁ τῆς Ἐκκλησίας διδάσκαλος, & Chryſoſt. hom. 40. τῆς οἰκουμένης διδάσκαλος. Qua mente Eccleſia Catholica: *Deus, qui vniuerſum mundum B. Pauli praedicatione docuiſti*. Eadem cauſa Dionyſio c. 2. de diuinis N. ὁ πολὺς τὰ θεῖα, τὸ φῶς τοῦ κόσμου Paulus dicitur. Papae! Laus ſupra hominem, &

Chriſto ſuppar. Vidae: —— *orbiſq. magiſter Terrarum.* —— Namque vt Gamaliel Doctor, & Adſertor Antiquae legis: ſic Paulus Nouae.

Doctoris autem, & Praedicatoris differitatem quaerenti, aeuo noſtro in facili eſt reſponſio: ſed & Apoſtolico nonnulla fuit. Primum auctoritatem ab alio deriuatam magis poſtulat praedicandi munus, quam docendi, quemadmodum & Apoſtolum agendi. Colligitur ex his D. Ambroſij in Pſal. 36. *Ieremias, qui cum ſe iuuenem contuitu memoraret aetatis, & per iuuentutem excuſaret, quod praedicandi impar officio videretur, ait illi Deus: Noli dicere, quia, Iuuenis ego ſum: quia ad omnes, ad quoſcunque miſero te, abibis.* Ecce tibi Ieremiae praedicandi Deus auctor eſt.

Domeſticis deinde parietibus obſaepta poteſt eſſe Doctoris doctrina; non ſolum in lucem prodire publicam. Actor. 20. *Docerem vos publice, & per domos*, inquit Paulus. Praedicatoris, ſeu κήρυκος vox, ſeu praeconium foras erumpit. Chriſtus Dominus Diſcipulorum, & Apoſtolorum potius Doctor fuit, quam Praedicator: turbarum, Phariſaeorum, Sacerdotum Praedicator potius, quam Doctor: vtrobique licet vtrumque fuerit. Paulus Actor. 9. docendi, praedicandique poteſtatem a Chriſto accipit: *Vade: quoniam vas electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filijs Iſraël.* Quae etſi Ananiae dicuntur; Paulo tamen a Chriſto dictum fuerat inibi: *Surge, & ingredere ciuitatem, & dicetur tibi, quid te oporteat facere.* Tunc Ananias Paulo Chriſti voluntatem verbis ſuperioribus explicatam aperuit.

Digitized by Google

Scio quendam e priſcis ſcriptoribus ſcripſiſſe Paulum ad Apoſtoli partes acceſſiſſe, κἂν μηδεὶς ὁ ἀποστελῶν ᾖ, idque ſtatim a fontibus ſacris : at ſine adſenſu noſtro. Cenſet tamen ille Pauli geſta illa primum abſque auctoritate, poſtmodum a Deo & approbata, & corroborata.

Factum eſt autem Iconij, vt ſimul introirent Synagogam Iudaeorum [Paulus, & Barnabas] *& loquerentur ita, vt crederet Iudaeorum, & Graecorum copioſa multitudo*, Actor. 14. Synagoga locus eſt publicus, templi inſtar, in qua Chriſtus publice locutum ſe perhibuit. At Iconij aedes Oneſiphori, priuati hominis fuere a luce publica ſepoſitae, non a conuentu : Nam quod in ijs actum, publice notorium dici potuit. Cum tamen Paulus fidei ſementem fecit, Doctorem potius egit, quam Praedicatorem. Tanta nihilominus vocis contentione vſus eſt, inuiſus licet, vt Paulo, ac fidei aurem, animumque S. Virgo Thecla ex patria feneſtella commodaret. Rem ita narrat D. Baſilius Seleuciae.

Proximae Actorum explicationi fauet D. Bernardus ſerm. 1. de Pauli Conuerſione: *Quando dirum toto pectore virus efflabat perſecutor crudeliſſimus, in fideliſſimum repente mutatus eſt Praedicatorem.* Item Iſidorus ad Heraclidem : Ὁ Παῦλος διώκτης ὢν ἀντεμαχέσατο, καὶ κήρυξ τοῦ διωχθέντος κατέστη. *Paulus perſecutor cum eſſet, aliam pugnam pugnauit.* [Gallice dicas, *Il s'eſt reuengé.* Billius : *Hanc culpam ſarciuit.*] *& eius, quem oppugnabat, praeco conſtitutus eſt.* Deſignat ipſum tempus Bernardus. Iſidorus *Conſtitutum* dicit *Praeconem* Chriſti, vtique cum poteſtate, quae ab eo munere indiuiſa eſt. Non

Digitized by Google

ergo Paulus iniuſſus vltro ſe ingeſſit, vt ſe Reip. Romanae gubernaculis primulum Auguſtus impoſuit, cuius acta poſtmodum rata Senatus habuit: ſed ab ipſo Chriſto per Ananiae manus, ac dictamen cum poteſtate multa, legitimaque ad docendum, praedicandumque euolauit. Neque hoc iſte Pater negat: quin affirmate ſcribit hom. 7. de Paulo: Ὁ Θεὸς ταχέως αὐτὸν ἐπὶ τὸ τῶν διδασκάλων ἀξίωμα ἀγαγών: *Deus confeſtim ipſum ad Doctoris euexit dignitatem.* At de tempore paullum diuerſus abit.

Euangeliſtes eadem de cauſa Paulus Chryſoſtomi praeconio declaratur tom. 5. contra non frequentantes Synaxim: Ὁ δὲ Εὐαγγελιστὴς μετῆλθε τῶν εἰρημένων τὴν δύναμιν. Et homil. 68. in 21. Matth. cap. Paulus ad Corinth. 1. c. 9. *Vae enim mihi eſt, ſi non euangelizauero, ſiue Chriſti Euangelium annunciauero, diuulgauero.* S. Ambroſius in 4. c. ad Epheſios: *Euangeliſtae diaconi ſunt, ſicut fuit Philippus. Nam quamuis non ſunt Sacerdotes, euangelizare tamen poſſunt ſine cathedra: quemadmodum & Stephanus, & Philippus memoratus.* Chryſoſtomo cognata haec ſunt, qui explicat illud 2. ad Timoth. c. 4. *Opus fac Euangeliſtae*; ſic: Τὴν διακονίαν σου πληροφόρησον. Ad Epheſ. c. 3. *Per Euangelium, cuius factus ſum miniſter. Mihi autem Sanctorum minimo data eſt gratia haec: in gentibus euangelizare inueſtigabiles diuitias Chriſti, & illuminare omnes, quae ſit diſpenſatio ſacramenti abſconditi a ſeculis in Deo.* Ex quibus apertiſſimum eſt, *Euangelizare*, eſſe, verbum Dei praedicare. Illud autem, *Inueſtigabiles diuitias Chriſti*, Ambroſius vertit, aut aliter verſum vſurpat, *Inueſtigabiles.* Graece, Τὸν ἀνεξιχνίαστον πλοῦτον

Inueſtigabiles autem male quidam retur eſſe a verbo *Inueſtigo*: componitur ex negante particula, & verbo, hic ſi χαμαιζηλεύεσθαι mihi fas. Sic, *Inſcriptum pecus* Varroni lib. 2. de R. R. c. 1. pro *non ſcripto*, & quod quis apud publicanos non eſt profeſſus, fit ex *In*, & *Scriptus*: non ex *Inſcribo*. Sic *Impreſſa vbera* Propertij lib. 2. eleg. vltima ſunt, ἠμελκτα, non ab *Imprimo*. Sic vulgati Interpretis cauſam, nomenque defendo. Adde ex primo ad Galatas: *Vt euangelizarem illum in gentibus*. Et, *Qui perſequebatur nos aliquando, nunc euangelizat fidem.* Quid quod Lucas Euangelij partem a D. Paulo doctus eſt? Euſebius lib. 3. hiſt. Eccleſ. Ἐκ τῆς ἅμα Παύλου συνουσίας τε, καὶ διατριβῆς. Sic ad Epheſios c. 3. *Mihi Sanctorum minimo data eſt gratia haec, in gentibus euangelizare inueſtigabiles diuitias Chriſti, & illuminare omnes, quae ſit diſpenſatio ſacramenti abſconditi a ſeculis in Deo, vt innoteſcat principatibus, & poteſtatibus in coeleſtibus per Eccleſiam multiformis ſapientiae Dei.* Quo more ipſi Angeli Euangeliſtae, qui Chriſto iam parto concinunt: *Euangelizo vobis gaudium magnum.* Ac de Paulo euangelizante, plura Iſidorus a Peluſio epiſtolis 443. 444. 445. D. Chryſoſt. in c. 1. ad Rom. Ὁ Παῦλος ἦν ἐν τῷ τὸ κήρυγμα εὐαγγελίζεσθαι λατρεύων. Item *Euangeliſtes* eſt Euangelij praeco. Vide ſupra, Apoſtolum.

Tuba quoque Paulus a Chryſoſtomo tom. 5. p. 288. dicitur; quia longe lateq. Euangelium Chriſti propagauit: Ἐπειδὴ γὰρ ἐσίγησε τὸ στόμα τοῦ Στεφάνου, ἤχησεν εὐθέως ἡ σάλπιγξ τοῦ Παύλου. *Vt os Stephani conticuit, extemplo audita eſt Pauli tuba.* Ecquid cecinit? Chriſtum Redemtorem, Chriſti crucem. 1. ad Timoth. 2. *Qui dedit redemtionem ſemetipſum*

Digitized by Google

pro omnibus, cuius teſtimonium temporibus ſuis confirmatum eſt. In quo poſitus ſum ego Praedicator, & Apoſtolus (veritatem dico; non mentior,) Doctor gentium in fide, & veritate. Crux praedicatur (inquit tom.8. Chryſoſt.) & mundus accurrit: mors ignominiae plena nunciatur, & omnes adſiliunt. Non innumerabiles acti ſunt in crucem? Non & bini cum Chriſto latrones crucibus ſuffixi ſunt? Non exſtitere ſapientes multi? Non multi potentia clari? Cuius nomen vnquam tam potenter inclaruit? Quid ſapientes, quid potentes dico? Non fuere Reges glorioſi? Quis ſic vniuerſum breui ſubegit tempore? Tum concludit: *Ταῦτα οὖν οὐ δοκεῖ τῆς δυνάμεως αὐτοῦ σαφεστέραν ἔχειν ἀπόδειξιν τῆς φωνῆς ἐκείνης τῆς ἐξ οὐρανοῦ κατενεχθείσης; Non ergo videntur haec eius potentiam euidentius demonſtrare, quam vox de coelo delata?* Cur enim Regum nullus ita rerum potitus eſt, ſicut hic? Et quidem per tot obſtantes obices peruicit. Etenim praedicationi fidei pugnarunt Reges, Tyranni aciem inſtruxerunt, populi vniuerſi contra inſurrexerunt: nec Chriſtiana res eo fuit attritior, quin etiam magis exſplenduit. Vnde tanta vis? Magus fuit, dicat quis. Solus igitur hic magus talis exſtitit? Prorſus audiſtis apud Perſas, Indoſq magos fuiſſe multos, atque etiamnon ſupereſſe. Verum eorum hodie nomen nuſquam eſt. Tyaneus, inquit, etiam enituit. Impoſtor, idem & necromantis. Vbi? quando? In orbis angello, minimo tempore: celeriter occidit. Non Eccleſiam reliquit vllam ſuperſtitem, non populum ſui ſequacem, nec tale quidquam. Haec ego ex Chryſoſtomo benignius promo, tam ad Pauli

praedicationem cohoneſtandam, quam ad fidem hodie contra Eccleſiae inimicos conlucandam. Tandem diuina vi, & inexpugnabili perfecta haec omnia conficit, qua crucifixus ipſe ſuperior euaſerit, & cum tabernaculorum fabro mentem inſpirando, potentiam tantam communicauit, quantam res ipſae conteſtantur. Homo namque ſtans in foro, circa pelles artem oſtentans, tantum potuit, vt Romanos, Perſas, Indos, Scythas, Aethiopas, Sauromatas, Parthos, Medos, Saracenos, ac omne hominum genus ad veritatis lucem annis triginta non totis perduxerit. Haec ille, quae vberius eloquitur. D. Hieronymus in 5. c. Amos: *A mari rubro vſque ad Oceanum, per totum fere orbem, deficiente prius eum terra, quam ſtudio praedicandi.* Neque Diui iſti extra veritatis orbitam feruntur. Stant eorum dicta illo ad Romanos: *Fides veſtra annunciatur in vniuerſa terra.* Cui propoſitioni animi demiſſio Pauli nomenclationem ſuffurata eſt: dicere namque erat; *Fidem veſtram annunciaui in vniuerſa terra.*

Superiora paulum enucleatius. Cum qui praedicat, idiota eſt, pauper, ignobilis: quod praedicatur, minime illecebroſum, ſed offenſionis habet plurimum: cum auditores pauperes, infirmi, nulli: cum in denſis, continuiſque periculis verſantur, vna cum magiſtris audientes: cum crucifixus annunciatur; quid eſt quod victoriam afferat? Non diuinam, & arcanam quandam eſſe virtutem manifeſtum eſt! Cuiuis manifeſtum. Sic enim euenit, ac ſi Rex exercitu, armis, acie barbaros ſubjugare nequeat: mendiculus autem neſcio quis nudus, perſolus, ne quidem

iaculum manu tractans, ſine veſte, ea congreſſus perficiat, quae caeteri cum armis, & apparatu multo nequeant: rem ſupra vires humanas dixeris. Paulus priore ad Corinthios ad pedem capitis primi tractat his cognata. Item illa primo ad Philippenſes: *Scire autem vos volo, fratres: quia quae circa me ſunt, magis ad profectum venerunt Euangelij. Ita vt vincula mea manifeſta fierent in Chriſto in omni praetorio, & in caeteris omnibus. Vt plures e fratribus in Domino confidentes in vinculis meis abundantius auderent ſine timore verbum Dei loqui.*

Tantae igitur, tamque magnificae res Pauli ore, atque gratia diuinitus illi collata perfectae ſunt, ᾧ τὸ κήρυγμα πᾶν, καὶ τὰ πράγματα τῆς οἰκουμένης ἐνεπίστευσε, καὶ τὰ μυστήρια πάντα, καὶ τὴν οἰκονομίαν ὅλην. *Cui totum praedicandi munus, rem vniuerſi, myſteria omnia, orbem totum Deus crediderat*, inquit Diuus Chryſoſtomus ſerm. 18. in epiſt. ad Romanos. Diuus Ambroſius lib. de Ioſeph. cap. 9. *Talis enim Pauli praedicatio, vt putrem aboleret affectum, corruptumque euacuaret humorem, diſputationis ſuae aculeo vrere magis aegra mentis viſcera cupiens, quam ſecare.* Ipſe Paulus his affinia 2. ad Timoth. 2. *Corripientes eos, qui reſiſtunt veritati, potentes exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere.* Eſt enim probi, numeriſque ſuis abſoluti Doctoris nothis Doctoribus obſiſtere. Expreſſim 1. c. ad Galatas: *Miror, quod ſic tam cito transferimini ab eo, qui vos vocauit in gratiam Chriſti, in aliud Euangelium. Quod non eſt aliud, niſi ſunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt conuertere Euangelium Chriſti.* Sed licet *nos, aut Angelus de coelo euangelizet vobis praeterquam quod euangelizauimus*

vobis, anathema ſit. Dum trepidant pueri, ferrumque venis horret admoueri, ferunt prudentiorem Medicum ſpongia merſam aciem condere, tum velut adulando fallaci impreſſione ſanguinem mitti. Sic Pſeudapoſtoli, & Euangelij falſarij, vt quod ſibi propoſitum celarent, Galataſq. incautos promtius fallerent, doctrinae ſuae Euangelij nomen inducebant, ſibi Euangeliſtae perſonam ſumebant. Laruam Paulus detrahit, eoſque luci exponit, ac traducit, euertitque conantes *Euangelium euertere.* Sic enim aptius, clariuſque vertas, quam *Euangelium conuertere*, μεταστρέψαι τὸ εὐαγγέλιον. Vult ergo Galatas ἀμεταστρεπτὶ ſtare, nec ab hominibus modo laruatis cauere; verum ab Angelis quoque. Quod ſi cum Chryſoſtomo, atque Iſidoro legas καταστρέψαι, *Euertere* neceſſario vertendum erit. Non ſic autem legiſſe videtur vulgatus Interpres, & DD. Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus *Conuertere* legunt: ecquis ſciolus contra hiſcat? Dubitauit olim Paulus Hypodiaconus, an Angelis hoc dicto factum iniuriam non iuiſſet Apoſtolus? Cui Iſidorus a Peluſio reſponſat: *Ardens ille verbi amator Paulus Apoſtolus, non modo aduerſus ſeipſum, alioſque Apoſtolos ſententiam fert, ſi quid nouarum rerum contra euangelicam praedicationem comminiſci audeant: ſed etiam aduerſus Angelos, nec Angelos ſimpliciter, ſed aduerſus eos, qui de coelo. Non quod eos, vt reris, contumelia voluerit afficere, qui nec hoc facinus vnquam auſi, auſurive, nec audent:* ἀλλὰ τοῖς ἀλιτηρίοις δαίμοσιν ἀποκλείων τὴν ὁδὸν τῆς ἀξιοπιστίας, μήποτε πρόφασιν λαβόντες ὡς Ἄγγελοι ἀναστρέψωσι τὸ κήρυγμα. *Verum ne ſpiritus nequitiae digni fide videantur aliquando,*

viam praecludit, ne forte Angelicae [naturae, aut dignitatis] *capto praetextu Euangelium euertant. Quid enim*, inquit, *etiamſi nos, aut Angelus de coelo euangelizauerit vobis aliquid praeterquam quod accepiſtis, anathema ſit.* D. Ambroſij nota eſt hoc loco: *Tam firmum, atque verum Euangelium, quod eis praedicauerat, adſerit, vt etiam ſeipſos, id eſt, Apoſtolos, ſi immutati forte aliter praedicarent, non audiri doceret, quorum vtique fama, quod eſſent Apoſtoli Chriſti, peragrauerat omnem locum.* Circumciſionem, Sabbatha, Calendas, cerimonias Galatis nonnulli ἀπρὶξ retinenda dictitabant. Quo colore? Dei. Dei, inquiebant, hoc praeceptum eſt. Ijdem Paulo detrectantes iactabant, vti prodictum, alios eſſe Apoſtolos, Euangeliſtas alios. At Euangelium alio verti vetat Apoſtolus verbis proxime trutinatis. Angeli *de coelo* acceſſione diſcludi Sacerdotem a Malachia eadem inſignitum appellatione vult Chryſoſtomi commentarius: Iſidorus auernalem ſpiritum, cuius opera, & ſuggeſtione Pſeudeuangeliſtae fieri queunt animatiores. Tantum abeſt autem, vt ſuperae mentes Euangelio obſtrepant, vt etiam malint illud ab hominum ore excipi, quam ſuo. Ita eſſe demonſtrat Iſidorus ex eo, quod miſſus ad Cornelium Angelus, ἐμήνυσε τὸν διδάσκαλον, οὐχ ἑαυτῷ τὸ κήρυγμα ἐπέτρεψεν. *Magiſtrum indicauit* [Petrum] *non autem ſibiipſi docendi munus permiſerit*, interprete Billio, a quo in anterioribus nonnullam ſeceſſionem fecimus. Notat inſuper Chryſoſtomus, quod cum ante falſarij dicti ſunt Euangelium euertere, non tantam ab Angelo noxam praecauendam praedicari: ſed vt periculo praeſenti ſeſe ferat ob-

uiam Apoſtolus, non permittere credi vel minimum ab Euangelio diſcrepans, κἂν μικρὸν ἢ εὐαγγελίζωνται, παρ' ὃ εὐαγγελισάμεθα: idque etſi ab Angelo coeleſti proficiſcatur.

CAP. XVII.

Cur Paulo credendum prae Angelo de coelo? Pauli item Prophetiae.

MIRIFICAE huius doctrinae contuitu ſciteтur quis: Cur Paulo fides adhibenda, praequam Angelo, hoc eſt Apoſtolo in terris agenti, praequam Angelo Deum contemplanti? Quia Chriſto credendum potius: Chriſti autem os Paulus. Neque in mentem veniat Paulo terram calcari: Angelo Deum videri: ſed ſi (quod pro impoſſibili etiam eſt Paulo) Angelus nunciaret euangelicae praedicationi, quam praedicauit Paulus aduerſa, atque inimica, tunc nuncium minime ſuſcipiendum. Neque quia Paulus praedicauit, ei credendum: quin magis, quia Pauli ore Chriſtus, qui prima veritas (a dolo, aut mendacio ſuapte natura diſſeparata) locutus eſt. Praeclare, vt adſolet Paulus: *In me loquitur Chriſtus*, quod cum totius Eccleſiae conſenſione hucuſque creditum eſt. Locus Pauli immutilatus 2. ad Corinth. c. 13. adſcribatur: *An experimentum quaeritis eius, qui in me loquitur Chriſtus? qui in vobis non infirmatur, ſed potens eſt in vobis*: Chryſoſt. in Epiſt. ad Rom. Τὸν Χριστὸν ἔχειν

ἐγκαθήμενον, καὶ μετ' αὐτοῦ πανταχοῦ περιῄει, καὶ ὅπερ τὰ Χερουβὶμ, τοῦτο ἡ Παύλου φωνή. καθάπερ γὰρ ἐπὶ τῶν δυνάμεων ἐκείνων ἐκάθητο, οὕτω καὶ ἐπὶ τῆς τοῦ Παύλου γλώττης. καὶ γὰρ ἀξία τοῦ δέξασθαι τὸν Χριστὸν ἐγένετο, ἐκεῖνα φθεγγομένη, ἃ ἦν Χριστῷ φίλα μόνῳ, καὶ πρὸς ὕψος ἄφατον ἱπταμένη καθάπερ τὰ Χερουβίμ. Inſinuat illo 1. ad Corinth. c. 15. *Tradidi enim vobis in primis, quod & accepi*: Vtique a Domino Chriſto IESV. Item c. 14. *Quid vobis prodero, niſi vobis loquar aut in reuelatione, aut in ſcientia, aut in prophetia, aut in doctrina?* Cap. 7. *Puto autem, quod & ego Spiritum Dei habeam.* Spiritus autem Dei creatis, quantumuis coeleſtibus, ſpiritibus abſque modo antiſtat. Cum vero Deus Angelo de coelo mentem dat, quod plurima Scriptura commemorat, Angelo non minus, quam Paulo fides habenda eſt, hoc eſt tanquam ipſi Deo.

Neque obſtat magnifica illa ad Corinthios praedicatio epiſt. 1. cap. 6. *Neſcitis, quoniam Angelos iudicabimus?* Quae oratio ad daemonas pertinet interprete D. Chryſoſtomo hic, & Tertulliano, quos Matth. 25. Chriſtus in ignem aeternum iubet ire tanquam iudex ſupremus, & iudicantium caput. Neque de Angelis tanquam ſua praedicatione in doctrina proficientibus iudicabunt Apoſtoli, quam nonnullorum ſententiam excutit, abrogatque D. Thomas 1. p. q. 117. a. 2. Hoc enim praeſtantiſſimam eorum naturam ſit indebito modo infimare. Vt omittam Apoſtolos *conſtitutos principes ſuper omnem terram*, non ſuper coelum, & Angelos coeleſtes. Pſal. 44. Vide Ambroſ. in 3. c. ad Epheſios: ſi modo eius eſt.

Tantum abeſt, vt Angeli quoque ore locutus

ſit Paulus, non Chriſti tantum. Sed quia tunc Angelus legatione a Chriſto fungebatur, eius reuelatio pro diuina ſuſpicienda fuit, atque amplexanda. Qua ratione dicta, & praedictiones ſuas formabat Paulus Actor. 27. *Nunc ſuadeo vobis bono animo eſſe: amiſſio enim nullius animae erit ex vobis praeterquam nauis.* Ecquod huic dicto, Paule, firmamentum? *Adſtitit enim mihi hac nocte Angelus Dei, cuius ſum ego, & cui deſeruio.* Futura ergo per noctem Paulum docuerat Angelus: hic ab illo ſocios. Quod autem occulta de venturis nunciabat, prophetiae pars fuit.

Eſt quando Paulus Spiritus S. ore locutus eſt, vt illud quod ex parte anteriori in capite tractauimus, quo ſuper Auguſt. tom. 6. lib. 12. contra Fauſtum Manichaeum: *Habemus enim Apoſtoli vocem, qui in Spiritu S. tales venturos eſſe cernebat: vnde fidelibus dicebat: Si quis vobis euangelizauerit, praeterquam quod accepiſtis, anathema ſit.* Item 1. Cor. 2. *Nobis autem reuelauit Deus per Spiritum ſuum.* Actor. 20. *Niſi quod Spiritus S. per omnes ciuitates mihi proteſtatur, dicens: Quoniam vincula, & tribulationes Ieroſolymis me manent. Eleganter in hoc loco* (inquit D. Hieron. in epiſt. ad Galatas) *vir doctiſſimus Tertullianus aduerſus Apellem, & eius virginem Philumenem, quam Angelus quidam diabolici ſpiritus, & peruerſus impleuerat, hunc eſſe ſcribit Angelum, cui multo antequam Apelles naſceretur, Spiritus S. vaticinio ſit anathema per Apoſtolum prophetatum.* Neque interim, quid de Angelorum doctrina ſenſerit D. Chryſoſtomus tom. 5. ſer. 167. ignoro.

In ſecundo quoque ſecundæ ad Theſſaloni-

Digitized by Google

cenſes capite quammulta de Antichriſto vaticinatur, quorum exordium : *Quoniam niſi venerit diſceſſio primum , & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis.*

Iam vero quando in eum incidimus locum Apoſtoli, qui plurimus hæreticis in ore eſt, vera, germanaque eius intelligentia reſeranda. D. Paulus ſcribebat ad Galatas ſuper ea quaeſtione, An eſſent circumcidendi , qui ad Euangelium ſeſe conferebant. Ipſe autem docuerat non circumcidendos. Epheſi agente Paulo, Galatis perſuaſum eſt, vt circumciderentur, & Iudaeorum feſta obſeruitarent. Quam perſuaſionem vt refellat Paulus, ait tam vera eſſe, quae docuerat, vt ſi ipſemet , aut Angelus aliter doceret , habendus ſit anathema. Intelligitur autem de re propoſita: alioqui cum eo tempore nondum ſcripta fuiſſent Euangelia, anathema eſſent omnes Euangeliſtae, qui ſcripſerunt multa, praeter illa, quae fuerant à D. Paulo ſcripta. Praeterea aliud eſt *Euangelizare praeter id* , ſiue contra id , quod euangelizauerat Paulus : aliud *Euangelizare praeter*, ſiue *Vltra*, & amplius, quod ſic interpretatur D. Aug. tr. 98. in Ioan. Eant nunc Eccleſiae deformatae, & ex hac Pauli adſeueratione Traditiones Patrum , & Eccleſiae ſenſa conuellant vniuerſae.

CAP.

CAP. XVIII.

Pauli Apoſtola.

Ἐπιστολὴ, *Epiſtola*: Ἀποστολὴ, *Apoſtola* eſto Apoſtoli dignitas a *mittendo*. Graeca voce nihil apud SS. Patres tritius. *Apoſtolatus* nomenclatio quibuſdam βαρβαρικώτερα: nos eam cum Pauli interprete non defugiemus, DD. Hieronymi, atque Auguſtini auctoritate ſubnixi. Vt ergo hactenus Pauli ad Chriſtum verſi animos magnos, & Atlanticis laboribus pares, ac Eccleſiae deuotos vidimus: ſic in paginas deinceps Pauli titulos, adoreas, & redhoſtimenta congerimus. Tabula prima ad Corinrhios: *Et quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia, primum Apoſtolos, ſecundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum.* Haec ita Paulus vniuerſa digerit, vt ſingulatim partiatur in Eccleſiae membra: ita ponit ſingula, vt non otioſus lector cunctim in Paulo totam iſtam dignitatum, gratiarumque congeriem reperiat. Quo de D. Auguſt. in Geſtis Pelagij: Hoc eſt *nempe quod quaerimus, nempe iſto munere Apoſtolatus illae omnes gratiae continentur. Non enim decebat, aut oportebat Apoſtolum non habere prophetiam, aut non eſſe Doctorem, aut non clareſcere virtutibus, donationibus ſanitatum, aut adjutoria non praebere, aut Eccleſias non gubernare, aut linguarum generibus non excellere.*

Paulus Cyrillo Alexandrino homil. 1. & 2. au-

Digitized by Google

dit, ὁ μακάριος Ἀπόστολος, vel tacito Pauli vocabulo, quod caeteris Patribus non infrequens. Cauſam non obſcuram affert Toſtatus Abulae Praeſul in 3. lib. Reg. c. 20. *Cum dicimus Apoſtolum non exprimendo nomen, intelligitur excellens inter Apoſtolos; ſcilicet Paulus, qui fuit excellentior in doctrina, licet non in poteſtate.* Quae ſuprema verba expreſſit S. Petri reuerentia. Praeiuerat S. Auguſtinus lib. 3. ad Bonifacium, c. 3. & alius verbis tribus: *Minor dignitate: praedicatione maior: aequalis ſanctitate.* Eundem titulum Paulo S. Ambroſius arrogat lib. 5. de Iſaac, c. 8. Idem Ambroſius in epiſtolam ad Corinthios, Paulum probat Apoſtolum: *quia miſſus ad gentes.* Sic de Ieremia Deus c. 1. *Prophetam in gentibus dedi te: quoniam ad omnia, quae mittam te, ibis.* Aut certe dicamus, quod vti Moyſes vale terrenis dicturus, Deuteron. 31. Ioſue ſibi ſurrogat: ſic Chriſtus terra iam ſuperior ſibi quodammodo Paulum ſurrogatum (illa Ananiae data teſſera: Act. c. 9. *Vade, quoniam vas electionis eſt mihi iſte: vt portet nomen meum coram gentibus, & Regibus, & filijs Iſraël*) ad gentes mittit. Actor. 22. *Et dixit ad me* [Chriſtus] *Vade: quoniam ego in nationes longe mittam te.* Graece, Ἐξαποστελῶ σε, Actor. 14. Sic enim praecepit nobis Dominus: *Poſui te in lucem gentium; vt ſis in ſalutem vſque ad extremum terrae.* Hoc Iſaïae vaticinium c. 46. de ſe Paulus explanat. Et D. Macarius vniuerſum orbem illuminare proprium retur Apoſtolorum munus, homil. 14. ſimili pulcerrimo: Ὥσπερ γὰρ ἐστὶ φῶς διὰ θυρίδος εἰσερχόμενον, ὁ δὲ ἥλιος ὅλην τὴν οἰκουμένην ταῖς ἀκτῖνας ἐπαφίησιν· οὕτως ἦσαν οἱ Προφῆται τοῦ ἰδίου οἴκου μόνον φωστῆρες τοῦ Ἰσραὴλ, οἱ δὲ Ἀπόστολοι ἥλιοι ἦσαν ἐκλάμ-

πόντιε ταῖς ἀκτῖνας εἰς ὅλα μέρη τοῦ κόσμου. Quod in Paulum quadrat maxime. Actor. 26. Chriſtus Paulo: *Ad hoc enim apparui tibi: vt conſtituam te miniſtrum, & teſtem eorum, quae vidiſti, & eorum, quibus apparebo tibi.*

Literas Canonicis annumeratas ſcriptitarunt DD. Iacobus, Iudas, Ioannes, Paulus, Petrus. Cur priores tres Apoſtoli lemma non praeferunt? cur alteri duo praeferunt hoc inſigne? Repono ex Ambroſio: quia Petrus caeteris poteſtate ſupereminet; Paulus caeteris doctrina, & miſſionum numero. Eo factum, vt praeterquam epiſtolae ad Hebraeos omnium Pauli epiſtolarum epigrammata *Apoſtoli* commemorata dignitate cohoneſtantur. Sic ad Romanos: PAVLVS SERVVS IESV CHRISTI, VOCATVS APOSTOLVS. Ad Corinthios priore: PAVLVS VOCATVS APOSTOLVS. Sic in caeteris.

Fit autem ob alterius conſortium (quem Apoſtoli dignitate ex vero ornare non poteſt) & ne iactantior videatur, vt neque ſe Apoſtolum nominet. Ad Philippenſes: *Paulus, & Timotheus ſerui IESV Chriſti.* Ad Theſſalonicenſes: *Paulus, & Siluanus, & Timotheus.* Supprimit titulum incommunicabilem.

D. Petrus adſimiliter ad Ponticos, vti S. Cypriano allegare ſollenne eſt: PETRVS APOSTOLVS IESV CHRISTI. Idem in altera epiſtola: SIMON PETRVS, SERVVS, ET APOSTOLVS IESV CHRISTI. Erat Iacobus Apoſtolus: erat Ioannes: erat Iudas: at non κατ' ἐξοχὴν, vt Petrus. Tantum inſtar & in Paulo

gentium diſiunctiſſimarum Apoſtolo.

Petrus ad hoc vt imperium in vniuerſam Eccleſiam tenuit: ſic Pauli miſſio fuit ad omnes gentes, etiam ad Romanos, vti ſupra delibatum, atque infra mox ampliter. Reliquis ex Duodecimuirûm cuneo ſua cuique deſtinata, determinataque prouincia.

Quod quam amplum ſit in Eccleſia munus, appendo ex D. Hieronymo in epiſt. ad Titum, vbi praeclare, vt adſolet: *Apoſtolus autem* IESV *Chriſti*, tale mihi videtur, quale ſi dixiſſet: *Praefectus prætorio Auguſti* Caeſaris. *Magiſter exercitus Tiberij Imp.* Vt enim Iudices ſeculi huius, quo nobiliores eſſe videantur, ex regibus quibus ſeruiunt, & ex dignitate, qua intumeſcunt, vocabula ſortiuntur: ita & Apoſtolus grandem inter Chriſtianos ſibi vindicans dignitatem, Apoſtolorum ſe Chriſti titulo praenotauit: vt ex ipſa lecturos nominis auctoritate terreret, iudicans omnes qui in Chriſto crederent, debere ſibi eſſe ſubiectos. Hinc Moſi ſe Paulus, Apoſtoloſque antefert teſte D. Thoma 2. 2. q. 174. a. 4. ad 3. D. quoque Chryſoſtomus Apoſtolatum ſummam in Eccleſia dignitatem cenſet, cum conſulatu confert, ac praefert. Vberrimus ille ſuper hoc, tom. 8. hom. vltima editionis Anglicanæ.

Signa miſſionis Moſaïcae virga θαυματουργὸς, ſeu ſceptrum mirificum Aaronicae, virga fronde, flore regerminans: Paulinae Miſſionis ecquæ ſigna? Pari expreſſa charactere: ſed quae auctoritatis aliquanto plus habeant. Secundæ ad Corinthios c. 12. *Signa autem Apoſtolatus mei facta*

Digitized by Google

ſunt ſuper vos in omni patientia, in ſignis, & prodigijs, & virtutibus. Papae! quantum recte factorum pelagus paucis verbis percurritur? Ac mihi vide, principem Apoſtolatus notam ponit Patientiam. Ea eſt, fuitque Chriſti amicorum, & Apoſtolorum certiſſima teſſera, qua modo Paulus Pſeudapoſtolis ſupercilium demit. Eſt enim Apoſtoli argumentum, cuncta generoſe ferre, quod quia ſuum, vnico verbulo expreſſit: Signa autem, ac prodigia, quae ipſius minime erant facinora, pluribus extulit. Puta namque quot carceres, quot plagas, quae pericula, quoties inſidias, quam numeroſas tentationes Patientiae nomine intellexit. Iterum per *Signa* quoties excitos mortuos, caecos rurſum oculatos, quoties deterſam lepram, quanta diffulminata daemonum examina. Haec ſunt ſigna, prodigia, virtutes, quibus apoſtolam ſuam manifeſtat Paulus, de quibus prodictum.

At Duodecimviris Paulus allectus non eſt: Ijſne igitur par, aut ſuppar Apóſtolus? Accipe veriſſimum Pauli oraculum. Ad Galatas cap. 1. *Paulus Apoſtolus.* Amabo, magne Dei praeco: ſi non es ex duodecim lectiſſimis illis ad vniuerſam Eccleſiam architectandam lapidib. quid te Apoſtolum proclamas? *Paulus Apoſtolus, non ab hominibus, neque per hominem; ſed per IESVM Chriſtum, & Deum Patrem, qui ſuſcitauit eum a mortuis.* Iactationis haec videri poſſunt: at non ſunt. Qui ex Iudaeis Euangelio fidem commodauerant Iudaïcae legis antiquitate glorioſi, ac fumo gloriarum ebrij, magiſtrorum nomen ambibant. Eo Galatiam petunt, docent circumcaeſuram, ſab-

batha, calendas, eorumque obſeruationem: docebant & Paulum haec antiquantem intolerandum. Nam Petrus, Iacobus, Ioannes, Apoſtolorum primates, Chriſti contubernales, haec minime vetabant, Iudaeorum ſeſe imbecillitati attemperantes, non dogmata cudentes. Paulus autem, inquit Chryſoſtomus, gentium buccinator, non neceſſe habuit ijs condeſcendere, qui cum in Iudaea terra verſaretur, eodem vſus eſt temperamento. Verum plani, & impoſtores tacita huius condeſcenſionis cauſa, falſis ratiunculis ſimplicitati quorundam illudebant, aientes Paulum intolerandum, Paulum heri, ac nudiuſtertius emerſiſſe: Petrum eſſe Principem: Petrum, eiuſque ſocietatem in Chriſti diſcipulatu fuiſſe: Paulum Apoſtolorum diſcipulum: Paulum perſolum eſſe: illos plures, & quidem Eccleſiae columnas. Calumniabantur & Paulum perſonatum Apoſtolum, qui aliubi circumcaeſura vteretur, aliubi tolleret: qui Galatis aliter, aliter alijs praedicaret. His igitur calumniarum flabris inflãmatam Galatarũ gentem vniuerſam animaduertens, eorumque Eccleſiae ſuppoſitos ignes periculoſos, aedificationem quaſſari, labefieri, periclitari, iuſta commotus indignatione, contra it audentior per epiſtolam, cuius ex capite machinam in eos intendit, & objectionum caput inuadit, quod erat alios Chriſti, Paulum aliorum eſſe diſcipulum. Sic igitur orditur: PAVLVS APOSTOLVS, NON AB HOMINIBVS, NEQVE PER HOMINEM: SED PER IESVM CHRISTVM, ET DEVM PATREM, QVI SVSCITAVIT EVM A MORTVIS. Paulum

Digitized by Google

Apoſtolorum poſtremiſſimum, ab eiſque do-ctum plani illi dictitabant; Petrum, Iacobum, Ioannem vocatos primos, diſcipulorum Principes, doctrinam a Chriſto excepiſſe; his prae Paulo credendum, parendumque. Tolluntur haec praefixo programmate, ne minus efficax Pauli diſciplina euadat. Quae non eo diſputabant belli Iudaei, iſtorum amplificantes gloriam, Pauli doctrinam eleuantes, vt eorum ſtruerent encomia: ſed vt Galatas cum in auia ſeduxiſſent, intempeſtiuae legis iugo ſubijcerent. Quare iure merito Paulus ſic exorſus eſt, & *Apoſtolum non ab hominibus, neque per homines* ſe decernit. Lauit quidem Paulum Ananias: at neque illum ab errore reduxit, neque ad fidem duxit. Verum Chriſtus e ſublimi vocem illam ad Paulum admirabilem edidit, qua ille irretitus. Petrum, Ioannem, eorum germanos ad fluenti praeripia litorales ambulones vocauit: Paulum, ſupergreſſus coelum. Et quemadmodum retibus, rebuſque relictis omnibus ſecundae vocis illi non eguere, Chriſtoque comitati ſunt: ſic Paulus a prima vocatione ad ſummum emicuit faſtigium: ſimul lotus eſt, ſimul cum Iudaeis bellum nullo reuocandum foedere ſuſcepit. Qua ratione Apoſtolis anteferendus vniuerſis. Hoc illud eſt, quod ad Corinthios ſcribit literis prius datis: *Abundantius omnibus laboraui.* Notes hic luculentam admodum D. Chryſoſtomi animaduerſionem. Illud, *Non ab hominibus,* commune eſt omnium (a ſuperis enim oritur fidei praeconium) hoc vero, *Non per homines,* Apoſtolorum peculiare. Neque enim Apoſtolos per homines vocauit: vocauit autem per ſeipſum.

Digitized by Google

Pauli autem, ac Barnabae character peculiaris triplex. Princeps, Immediate a Deo de coelo eligi. Alter, Sejungi quodammodo ab aliorum Apoſtolorum collegio. Tertius, Nulli certe, ac peculiari prouinciae alligari: namPaulum ſaepius τῆς οἰκουμένης ἀπόστολον Chryſoſtomus appellitat. Barnabas autem ſaepe a Paulo indiuiſus; vt orbis vniuerſi dromades videri poſſint.

Quaeres. Cum Actor. cap. 13. Simon Niger, Lucius Cyrenenſis, & Manahen *ieiunantes, & orantes, imponenteſque eis manus, diuiſerunt illos* Barnabam, & Saulum. Ergo ſi non *ab hominibus*, ſaltem *per homines* Paulus Apoſtolatum ſortitus, aut in Apoſtolum ab illis lectus, directuſque in varias regiones. Reſpondeo primum, ſi abſtractae a corporibus mentes ſunt *adminiſtratorij* ſpiritus omnes, atque ex auctoritate nihil agentes: quanto magis animae cum corporibus concretae aliquando erunt adminiſtrae tantum, & non ex auctoritate agentes? Sic ergo treſviri illi contuitu Barnabae, & Sauli, diuinae voluntatis interpretes tantummodo fuere, ac renuncij. Deus autem, ſeu Spiritus S. duumviros illos ex auctoritate mittebat cum ſumma poteſtate praedicaturos. Res non immanifeſta eſt ex antegreſſis, ſubjectiſque verbis. Verſu ſecundo dixit Spiritus S. *Segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus, ad quod adſumſi eos.* Graece ſignatius, Προσκέκλημαι αὐτούς, *Aduocaui eos.* Verſu quarto: *Et ipſi quidem miſſi a Spiritu S. abierunt Seleuciam, & inde nauigauerunt Cyprum. Et cum veniſſent Salaminam, praedicabant verbum Dei in Synagogis Iudaeorum. Miſſi* ergo a Spiritu S. ab alijs *dimiſſi* ſunt ſocijs: hoc

Digitized by Google

eſt, dimiſſi ab alijs negotijs liberi. Idque Lucae penicillo aliquanto eſt expreſſius: Act. 4. Ἀπέλυσαν, *Solutos abire ſiuerunt*. Οὗτοι δὲ ἐκπεμφθέντες ὑπὸ τοῦ Πνεύματος τοῦ ἁγίου. *Hi vero miſſi a Spiritu S.* a quo omnis auctoritas, atque poteſtas. Indicant vniuerſa haec Saulum, & Barnabam non eſſe a ſocietate illa ordinatos ordinatione ſacra, aut Apoſtolica: ſed ſocietatem illam Spiritus S. imperata feciſſe. Firmo Pauli verbo cap. 1. ad Romanos: *IESV Chriſti Domini noſtri, per quem accepimus gratiam, & Apoſtolatum*: non per Simonem, Lucium, Manahen. Quo fit, vt ſegregatio facta iam non contulerit Apoſtolatum Paulo, aut Barnabae: non *Impoſitio manuum.* opinetur quod volet Serarius. Retractabis iaculum, diceſque: *Imponenteſque eis manus:* ergo. Reponit tibi Zuareſius tom. 3. diſp. 34. ſect. 1. *Vltimo reperitur interdum quaedam manus impoſitio tantum deprecatoria, qualis fuiſſe videtur illa Act.* 13. *Tunc ieiunantes, & orantes, imponenteſque eis manus, dimiſerunt illos.* Nam Paulus, & Barnabas tunc neque fuerunt Confirmati, neque ordinati Preſbyteri, vel Epiſcopi: ergo non fuit illa manus impoſitio aliqua ex praedictis. *Fuit ergo tantum bona quaedam imprecatio*, inquit. Sic abſcedentes a nobis votis, omnibuſque bonis proſequimur, & quandoque manu ſublatiore. Neque vero ex oratione, & ieiunio manuum illa impoſitio ſacratior fuit. Siquidem & oratione, & ieiunio Barnabae, Paulique expeditio iuuari potuit, atque ea opera ſucceſſus ſperari felicior.

Multis alijs verbis, ac rationibus DD. Chryſoſtomus; & Hieronymus, multis item vterque

Digitized by Google

locis Petro Paulum praelocare videri poſſunt. Verum ne immodici laudum, funem contentioſum haereticis tradidiſſe videamur, Sixti Senenſis Bibliothecae libro ſexto Annotationis ducenteſimae ſexageſimae nonae fruſtum decerpamus: *Sciendum eſt*, inquit, *triplicem in Petro fuiſſe poteſtatem, Ordinis, Apoſtolatus, Regni. Si Apoſtolatum ſpectemus, hoc eſt, docendi officium, & Euangelicae praedicationis curam, recte dixit Hieronymus in Commentarijs ad Galatas, Paulum non eſſe Petro inferiorem: quia Paulus ad Euangelicum munus, non a Petro, ſed a Deo aeque, vt Petrus electus eſt, vt ipſemet euangelizaret in gentibus, ſicut ille in Iudaeis. At ſi ad poteſtatem inſpicimus, quae in ordinationis ſacramento confertur, ſcite in Iouinianum pronunciauit Hieronymus, omnes Apoſtolos ex aequo claues accepiſſe, & Eccleſiae fundamenta ſolidaſſe.* Poſt pauca: *Demum ſi de poteſtate Regni, deque illa primaria ſuper omnes Epiſcopos, & Eccleſias auctoritate ſit ſermo, optime contra Iouinianum, & contra Luciferianos, & alibi ſcripſit Hieronymus, vnum Petrum inter duodecim Apoſtolos electum, & caput omnium conſtitutum, vt eius ſuprema auctoritate, & eminentiori prae caeteris poteſtate contentiones Eccleſiae dirimantur, & omnis ſchiſmatum occaſio tollatur.*

Primaſius in collectaneis primi capitis epiſtolae ad Galatas, excerpſit ex Commentarijs Hieronymo adſcriptis, hanc periodum: *Qui operatus eſt Petro in Apoſtolatu, operatus eſt mihi inter gentes. Et cum cognouiſſent gratiam, quae data eſt mihi, Petrus, & Iacobus, & Ioannes, qui videbantur columnae eſſe, dextras dederunt mihi, & Barnabae ſocietatis: vt nos in gentes, ipſi autem in circumciſionem. Non illo ſum inferior: quia ab vno ſumus ambo in vnum*

miniſterium ordinati. Excerptum hoc de ſecundo capite ad Galatas. Addo ſecundae ad Corinthios caput vndecimum: *Exiſtimo enim nihil me minus feciſſe a magnis Apoſtolis*. Addo ex priore ad Corinthios: *Non ſum liber? non ſum Apoſtolus? nonne Chriſtum IESVM Dominum noſtrum vidi? Nonne opus meum vos eſtis in Domino? Etſi alijs non ſum Apoſtolus: ſed tamen vobis ſum. Nam ſignaculum Apoſtolatus mei vos eſtis in Domino*. Vide in haec Diui Ambroſij Commentariam notam D. Chryſoſt. de Paulo ſerm. 25. in eam quae ad Galatas: Μετὰ τοσαῦτα, καὶ τοιαῦτα κατορθώματα μηδὲν ἑτέρου δεόμενος, μηδὲ τῆς ἐκείνου φωνῆς. Quaerit cur Paulus ad videndum, ſeu potius coram agnoſcendum Petrum Ieroſolyma petiuerit, idque miratur; *Cum poſt tantas, taleſque res proſpere, recteque geſtas, neque Petri, neque vocis Petri eguerit*.

Quaeres de eo, quod praelibatum eſt, Cur Apoſtoli titulus, cur Pauli nomen epiſtolae ad Hebraeos non praefigatur, vti pleriſque caeteris? Reſpondeo ex ſupero ad Corinthios commate: *Et ſi alijs non ſum Apoſtolus, ſed tamen vobis ſum*. Alijs, Iudaeis ſcilicet, qui Paulum ob eius defectionem, Synagogae vomicam cenſebant: Legem Moſaïcam ab eo exhonoratam: caerimoniarum ſuarum excidium ab eo metuebant: eum errantiae animi praue morigerari: nec coeleſti flamma accenſum; ſed ebacchari rebantur: quibus denique Paulus Apoſtolus *non erat Apoſtolus*, quamuis Corinthijs. Ergo cum Iudaeos, ſeu Hebraeos lucri vult Paulus Chriſto facere: ne ſtomachum ijs moueat, quorum animum contra, mentemque benignam propitiare contendit, ma-

gnificum Apoſtoli titulum , & adoream ſilentio preſſit , & Pauli iam Chriſtiani nomen. Odijs autem Hebraeorum in Paulum Lucana redundat hiſtoria. Irritabiles igitur eorum animos cum exulcerare fugeret, dignitatis Apoſtolicae non meminit in lemmate. Mecum D. Chryſoſtomus prima tabula in epiſtolam ad Rom. & tom. 5. ſer. 59. Ἵνα γὰρ μὴ μετασχῇ τοῦ μίσους τὰ γράμματα, καθάπερ προσωπείῳ τινι, τῇ τοῦ ὀνόματος ἀφαιρέσει κρύψας ἑαυτὸν, οὕτως αὐτοῖς λανθανόντως τὸ τῆς παραινέσεως ἐπιτίθησι φάρμακον. Hæc ſunt : *Ne literae occaſionem odij Iudaeorum contineant, nominis ſui ſubtractione, veluti tegumento, ſeipſum occultans, ipſis latenter monitorum medicinam imponit.* Mecum Diuus Hieronymus lib. de Viris Illuſtr. Mecum Niceph. Calliſt. lib. 2. cap. 46.

Quin potius, quia gens Hebraeorum Filij Dei peculium fuit, ad quam ille a Patre miſſus, proprius gentis illius fuit Apoſtolus. Chriſtus, Matthaei decimo quinto : *Non ſum miſſus, niſi ad oues, quae perierunt, domus Iſraël.* Οὐκ ἀπεστάλην, 9. Non ſum Apoſtolus gentium ; ſed Iudaeae, ſed Hebraeorum. Ea re Paulus tertio ad Hebraeos vocat *Apoſtolum, & Pontificem confeſſionis noſtrae IESVM.* Ergo Apoſtoli, ſeu verius Principis Apoſtolorum nomen epiſtolae ad Hebraeos Paulus antepagmenti vice propoſuit : *Multifariam, multiſque modis olim loquens Deus Patribus in Prophetis : nouiſſime diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio.* Cate, & prudenter Deum, ac Prophetas loquitur, res, ac nomina Hebraeis cognitiſſima : ſe, nomenquè Pauli ; ac dignitatem Apoſtoli velat. Ac poſt pauca, auguſtiſſi-

mo Chriſti laudum concinnato choragio promulgat eius apoſtolam : *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terrae, dixit : Et adorent eum omnes Angeli eius.* Seſe igitur vt Chriſto Apoſtolo Paulus poſtferat, nominis, aut dignitatis ſuae ſponte non meminit. Euſebius libro ſexto Eccl. hiſtoriae, cap. 14. compendi verba facit : Ἐπεὶ ὁ Κύριος Ἀπόστολος ὢν τοῦ παντοκράτορος, ἀπεστάλη πρὸς τοὺς Ἑβραίους διὰ μετριότητα ὁ Παῦλος, ὡς ἂν εἰς τὰ ἔθνη ἀπεσταλμένος, οὐκ ἐγγράφει ἑαυτὸν Ἑβραίων Ἀπόστολον, διά τε τὴν πρὸς τὸν Κύριον τιμὴν, διά τε τὸ ἐκ περιουσίας καὶ τοῖς Ἑβραίοις ἐπιστέλλειν, ἐθνῶν κήρυκα ὄντα τὸν Ἀπόστολον.

Reliqua vnica eſt Ambroſij in ſecundam ad Corinthios epiſtolam quaeſtio, *Cur in omnibus epiſtolis, contra vſum epiſtolarum, primo ſuum nomen ponat, quam eorum, ad quos literae deſtinantur?* Quod quaeſitum dum lego, ſcitari ſubit, cur id contra vſum epiſtolarum affirmate dicat Ambroſius. Idem namque Paulo factitarunt DD. Petrus, Iacobus, Iudas: *Hieronymus Ruſtico, Pammachio, Oceano, Auguſtino, Marcellino: Auguſtinus Hieronymo, Bonifacio, Laeto, Vincentio : Cyprianus Donato, Presbyteris, & Diaconibus Romanae conſiſtentibus, fratribus ſanctis Martyribus, & Confeſſoribus IESV Chriſti.* Apud quem, *Celerinus Luciano, Lucianus Celerino. Cyprianus Cornelio,* qui Pontifex erat Romanus. Neq. D. Ambroſius Ciceronis vſum, ad cuius imitationem in officijs ſe cōpoſuit, potuit ignorare, cui praeter alios ſcriptum : *Cicero Lentulo Procoſ. Cicero Appio Imp.* &, *Caeſari Imp.* Quid moramur? Ipſe *Ambroſius Iuſto, Simpliciano, Felici* Comenſi Epiſcopo. Quid quod & *Am-*

Digitized by Google

broſius Valentiniano Imperatori ſaepicule? Item, *Ambroſius Theodoſio Imp.* Nec diſſimulo eum variaſſe: *Beatiſſimo Auguſto Gratiano, & Chriſtianiſſimo Principi Ambroſius Epiſcopus.* Item: *Auguſtiſſimo Imperatori Theodoſio Ambroſius.* Cum ſe ſubſcribit, modeſtiae dabis? cum proſcribit, conſuetudini? Ambroſius clamat hoc eſſe *contra vſum epiſtolarum.* Quid decernam? Omittamus objectam hanc legenti curam: ſit necne contra vſum epiſtolarum aeui priſci (nam aeui noſtri Ioues quemquam ſibi nominatim anteferri ſcelus putent) non diſquiramus: ſed cum Ambroſio ad principale quaeſitum reponamus: *Sed haec auctoritas Apoſtolici ordinis; quia minoribus ſcribit. Sicut etiam & Iudices ſeculi ſolent ad eos, quos regunt, ſcripta dirigere.* Verum & adſpectu *Minorum*, id qui fit poſitis ſuperioribus exemplis, alijſque innumerabilibus? N. L. Niſi ſi Ambroſio ſcriptum illud abrogamus.

CAP. XIX.

Paulus orbis peruagator.

PAVLVS olim itinere vario in Eccleſiam primulum emergentem furens irruebat: poſtmodum paribus animis, aut etiam flagrantior peruolitabat orbe toto Eccleſiae bono. Magna profecto diuini Numinis prouidentia, quod cum ſic fureret, morte non eſt ſubre-

ptus. Explicatius Iſidorus Peluſiota epiſt. 195. *Μὴ ἐκκόψας πλοῦτῃ τὸν Παῦλον διώκοντα, ἵνα μὴ ἀστοχήσωσι σωτηρίας τῆς οἰκουμένης τὰ πέρματα.* Billius: *Nec perſequentem Paulum morte abſcidit, ne orbis terrarum fines ſalute fruſtrarentur.* Crebris eum namque legationibus obeundis deſtinatum, ac Dei decreto in diuerſas iturum oras Chriſti vox indubitare non ſinit, Actor. c. 9. *Vas electionis mihi eſt iſte, vt portet nomen meum coram gentibus, & Regibus, & filijs Iſraël.* Hiſtoriae de Thecla liber primus: *Ὁ Παῦλος διαθέων τὴν οἰκουμένην: Paulus vniuerſum percurſans.* More, modoque equi generoſi:

stare loco neſcit. ———

Palpitat irrequies, vegetum, teres, acre, calens cor.

Vtor Auſonio. Rurſus Iſidorus Iſidoro Diacono, epiſt. 176. *Ἕκαστος μὲν τῶν Ἀποστόλων, ὡς ἔπος εἰπεῖν, μίαν ἀπολαβὼν χώραν, ταύτην ἐρρύθμισεν. Ὁ δὲ Παῦλος, ὥσπερ ὑπόπτερος γεωργὸς πᾶσαν σχεδὸν ἐπέδραμε τὴν οἰκουμένην, καὶ εἰς αὐτὰς ἐφοίτησε τῆς γῆς τὰς ἐσχατιάς. Apoſtolorum quiſque regionem nactus vnicam, eam recte finxit. At Paulus vniuerſum paene orbem, tanquam alatus cultor, peruagatus eſt, atque extremos aduſque terrae terminos ſe penetrauit.* Sanctus Ioannes Chryſoſtomus laudat. 2. Pauli, ijſdem orditur paene verbis: *Ὡς πτηνὸς τὴν οἰκουμένην διέδραμε, &c. Vt volucris orbem percurrit: vt incorporalis, labores ſpretim habebat, & pericula: vt iam coelum ſortitus, terreſtria contemnebat.* Addit laudem incredendam, & niſi Chryſoſtomus diceret, inauſam dici: Quod cum Angelis diuerſae gentes ſaepe commiſſae ſunt; Angelorum nullus commiſſam ſibi gentem ſic compoſuit, ſic ordinate, vt Paulus orbem vniuerſum. Michaël, inquit, Iudaeae gentis regi-

men accepit: Paulus terram, mare, quidquid eſt, aut non eſt habitabile. Quae dicta in Angelorum contumeliam rapi deprecatur. Hinc illa *ſolicitudo omnium Eccleſiarum*, 2. ad Corinth. c. 11. Qua ſolicitudine ictus fuit *in itineribus ſaepe*, & ſubinde has illas Eccleſias aditabat, viſebat, animabat ducis alicuius praeſtantiſſimi inſtar, ὁ τὰ καθ' ἑαυτὸν παρειδὼν ἵνα τὰ τῶν ἄλλων ἐπανορθώσηται (vt loquitur Peluſiota Syrioni per epiſtolam) *Qui ſua negligit, aliena vt erigat.* Qui cum generoſus ſit, non iugulans tantum, non pernecans; ſed potius ſauciatus ſuo obnoxios imperio facit audaciores. Nam cum eum viderint, inquit Chryſoſtomus, ſanguine cruentatum, & vulnera circumferentem, nec eapropter hoſtibus cedentem, ſed generoſe ſtantem, haſtam criſpantem, hoſtes petentem, nec in dolore remiſſum, cum maiori alacritate in aciem & ipſi procedunt. Talis Paulus, qui nec vinculis teneri, nec carcere, nec flagris cohiberi potuit, quo minus ardentiſſimo pectore Euangelij faces itu, manu, ore, atque animo per vniuerſum ſpargeret oſor inertiae, morarum impatiens. Cum igitur nepotis hortatu ſporta demiſſus liberatur, cum ad Caeſarem prouocat, cum Romam feſtinat, non id periculi defungendi cura facit: ſed vt Euangelio vias liberiores aperiat, ineatque.

Aeſtuat hic felix audito limite mundi,

vt clauſus Arabiae montibus, puſilla Damaſco, Iudaeae anguſtijs. Aeſtuat & liberos fidei, quam furit amplificare, campos poſtulat.

Primum igitur inquit, *Neque veni Ieroſolymam ad anteceſſores meos Apoſtolos: ſed abij in Arabiam,*

&

& iterum reuerſus ſum Damaſcum, ſcribit primore ad Galatas tabula. *Deinde poſt annos tres, veni Ieroſolymam videre Petrum, & manſi apud eum diebus quindecim.* Chryſoſtomi meditatio. Quid hac anima humilius? Poſt tanta, poſt talia facinora, Paulus Petri nihil indigus, nec illius vocis egens, tamen ad eum adit, ὡς πρὸς μείζονα, καὶ πρεσβύτερον. Atque peregrinationis huius cauſa fuit ſola, Noſſe Petrum. Vides, vt conuenientem Petro honorem habeat, & neque ſe illo meliorem, aut parem aeſtimet? Neque felix iſte Paulus ad Petrum adijt, vt ab eo doctior rediret, aut emendatior, ἀλλὰ διὰ τοῦτο μόνον, ὥστε ἰδεῖν αὐτὸν, καὶ τιμῆσαι τῇ παρουσίᾳ: *Sed idcirco tantum, eum vt videret, vt aduentu ſuo honoraret.* Attente hic *aduentum*, παρουσίαν interpretor: ne ſi *praeſentiam* dixero, Pauli modeſtiae, & Chryſoſtomi ſententiae videar aduerſari. Nam Paulus ex praeſentia Petri, vt pote dignitate, ac aetate praeſtantioris erat honoratior, non contra. Petrus tamen aduentu Pauli ad digniorem contendentis honorabatur, vt Dionyſius aduentu Platonis, Croeſus Solonis, Caeſar Auguſtus regulorum legatorum ex India. Paria Hieronymus, Ambroſius, Theodoretus, Oecumenius in epiſtolam ad Galatas. Vt autem ad Petrum ventitaſſe fuit honoris non modici; ſic apud eum dies omnino quindecim manſitaſſe, amicitiae fuit, amoriſque ardentioris. Haec vt ſint, non alienus ſum a Theodoreti mente, cum in epiſt. ad Leonem ſcribit: *Paulum, qui erat praeco veritatis, ad Petrum cucurriſſe (puta Ieroſolymam) vt ijs, qui Antiochiae de legalibus inſtitutis contendebant, ab ipſo ſolutionem afferret.*

Q

Deinde in partes Syriae, & Ciliciae, eadem in epiſtola ad Galatas, cap. 1. Coum, Pataram, Rhodum, inſulas alias, prouincias, oras a Paulo peragratas praetermitto. De Pauli peregrinationibus ex Actis, & literis eius ſcripſere non pauci, nec parce. Gregorius M. lib. 30. Mor. cap. 8. Ille ipſe 15. ad Romanos: *In virtute ſignorum, & prodigiorum, in virtute Spiritus S. ita vt ab Ieruſalem per circuitum, vſque ad Illyricum repleuerim Euangelium Chriſti. Sic autem praedicaui Euangelium hoc, non vbi nominatus eſt Chriſtus, ne ſuper alienum fundamentum aedificarem: ſed ſicut ſcriptum eſt, Quibus non eſt annunciatum de eo, videbunt; & qui non audierunt, intelligent.* Immo, vt ait Hieronymus in c. 5. Amos: *A mari rubro vſque ad oceanum, per totum fere orbem, deficiente prius eum terra, quam ſtudio praedicandi.*

CAP. XX.

Paulus cur Athenas profectus. De ignoto Deo pluſcula.

ARCIS vrbicae potens hoſtis ſpe vniuerſam vrbem deuorat. Sic Paulus Graeciae Chriſto vindicandae percupidus, prouinciae caput aggreditur: Athenas petit. Caeteras igitur a Paulo luſtratas oras, atque fidei luce colluſtratas vt omittam, *non omittam Graeciam, quae ſemper eloquentiae princeps eſſe voluit, atque illas omnium doctrinarum in-*

uentrices Athenas, in quibus ſumma dicendi vis & inuenta eſt, & perfecta, Tullij vox lib. 1. de Orat. Eas ἑστίαν σοφῶν Syneſius nominat: Florus, *Graeciae decus*: Nazianzenus, Ἑλλάδος αὖχος: Diodorus, Κοινὸν παιδευτήριον πᾶσιν ἀνθρώποις. Athenas igitur ſapientiae veteraſcentis arcem inuadere, magnae molis fuiſſet, niſi ex Spiritus S. dictamine id aggrederetur Paulus. Magnae, inquam, molis, teſte Strabone lib. 10. Ἀθηναῖοι γὰρ ὥσπερ περὶ τὰ ἄλλα φιλοξενοῦντες διατελοῦσιν, οὕτω καὶ περὶ τοὺς Θεούς· πολλὰ γὰρ ξενικῶν ἱερῶν παρεδέξαντο, ὅτε καὶ ἐκωμῳδήθησαν: *Athenienſes enim, vt circa alia, ſic circa Deos peregrinitatis amantes ſemper ſunt. Multa ſiquidem peregrina ſacra complexi ſunt, eoque comoedia traducti.* Hermaea ſacra teſtatur Herodotus Athenienſibus obſeruata: Apaturia Photius, ac Theophraſtus: Athenagoras Archephoria: Plato Delia: Philoſtratus Dionyſia, & Thucydides: Ariſtophanes Adonia, Hecateſia, Buphonia: Heſychius Halia, Bendidia, Dijpolia, Iliea, Hyacinthia: Diodorus Eleuſinia: Anaceïa Theodoretus: Plutarchus Charilia, Hecatomphonia, Thargelia: Alia alij Athenarum ſacra tradidere, quorum pleraque exotica. Templa Deorum, aras, in vrbe, extra, in vijs, vicis, montibus, omnigenumque Deûm monſtra dinumerare otioſi ſit. Adeo vt de Athenis illud Leonis M. queat vſurpari: *vbi diligentiſsima ſuperſtitione habebatur collectum, quidquid vſquam fuerat vanis erroribus inſtitutum.*

Ijdem Athenienſes vnius homunculi impulſi narratu ſub arce Cecropia Pani Arcadiae Deo templum ſtatuerunt, Herodoti lib. 6. Et Cle-

Digitized by Google

mens paucis abſoluit hiſtoriam in Paraeneſi: Ἀθηναῖοι δὲ Γαῖα ἤδισαι, εἴπερ ἦν, τὴν Φιλιππίδην εἰπεῖν. Ibidem Dijs duodecim faciunt. De pluribus ſacris, aut Dijs, quos Athenienſes deuenerati ſunt, plura fari vetat breuitatis furor. Et vero his delibatis, perſpici poteſt veriſſimum Pauli effatum, Actor. cap. 17. *Viri Athenienſes, per omnia quaſi ſuperſtitioſos vos video.* Scio Δεισιδαιμονίαν (Paulus Athenienſes Δεισιδαιμονεστέρους dixerat) quandoque damnari. Plutarch. lib. 1. contra Coloten: Ἡ δὲ πολλῶν, καὶ ἀμαθῶν οὐ πάνυ μοχθηρῶν διάθεσις πρὸς τὸν Θεὸν, ἔχει μὲν ἀμέλει τῷ σεβομένῳ, καὶ τιμῶντι μεμιγμένον τινὰ σφυγμὸν, καὶ φόβον, ᾧ καὶ δεισιδαιμονία καλεῖται. Quandoque autem decentem Dei metum conuoluit. Quod ergo Paulus Athenienſes δεισιδαιμονεστέρους vocat, ab amico pectore eſt, nec in Athenienſium contumeliam rapiendum. Vt de Numa ſcribit Ouidius in Faſtis:

—— Quo non metuentius vllum
Numinis ingenium terra Sabina tulit.

Sic δεισιδαιμονεστέρους, *Numinis metuentiores, & religioſos, & ſuperſtitioſos* pariſſime dixeris. Et ipſe Plutarchus dextre, ac bene ominate vſus eodem eſt verbo, libello de fluminibus: Καταφρονήσας δὲ τῆς δεισιδαιμονίας ὁ τύραννος: *Religione ſpreta.* Haec a Pauli prudentia vox delenifica, & ſalubris laudatio prima effunditur. Secunda: *Praeteriens enim, & videns ſimulacra veſtra*: non *Curioſe ſatagens*: non *Deſtinato inſpectans*: ſed *Praeteriens, ſimulacra v.* non *Oſus, Conſputans*: *Demoliens*: ſed, *videns, inueni & aram, in qua ſcriptum erat.* Haec ita Chryſoſtomus: Ὥσπερ ἐγκωμιάζων αὐτοὺς δοκεῖ οὐδὲν λέγειν βαρύ. Ὡς δεισιδαιμονεστέρους ὑμᾶς, φησὶ, θεωρῶ, τουτέστιν εὐλαβε-

σέρους : *Vt laudans ipſos, nihil graue loqui videtur. Quaſi δεισιδαιμονεστέρους, hoc eſt, religioſiores vos animaduerto.* Athenienſib. autem quam exoſi fuerint athei clamat proſcriptio, qua Diagoram atheum talento propoſito mortuum captabant, viuum duobus, Diodori lib. 13. Item Protagoras ejectus, eiuſque libri in foro combuſti. Crimini datum, Dubitaſſe, Eſſent Dij, necne, Diogenes Laërtius. Haec Athenienſium ingenium, moremque aduerſus religionem, ac ſacra oſtendunt.

Ara porro ſic inſcripta, IGNOTO DEO. Apud Pauſaniam, Diodorum, Laërtium, Tullium, Choulium, Gruterum, alios φιλαρχαίους, videas aras pleraſque in media, ſumma, ima ſui parte literata inſcriptione lectorem docere. Verum *Arae*, de qua Paulus, inſcriptio fuiſſe videtur in columella, ſi Chryſoſtomo apud Photium cap. 270. credimus : Τὸ τῆς πλάνης ἐπίγραμμα ὑπὲρ τῆς ἀληθείας ἐφθέγξατο· ἡ στήλη τῆς ἀπάτης ἐστηλίτευε τὴν ἀπάτην. De caeca nocte religionis antiquatae, dum verba facit Diuus Auguſt. lib. 13. cap. 12. de Ciuitate Dei, ſuggillat aeui priſci ignorantiam vagam, & variam : *Sub hoc tot Deorum praeſidio,* inquit, (*quos numerare quis poteſt?*) *indigenas, & alienigenas, coeleſtes, terreſtres, infernos, marinos, fontanos, fluuiales, &, vt Varro dicit, certos, atque incertos.* Quae non minus in Athenienſes, quam in Romanos librantur, vt ex arulae epigrammate manifesta fides. Apud Romanos culti *Incerti Dij.* Et vero Plutar. in qq. Rom. dum de Dijs tutelaribus agit, quos nefas fuit dicere, quaerere, nominare, ait: Οὕτως ᾤοντο Ῥωμαῖοι τὸ ἄῤῥητον, καὶ τὸ ἄγνωστον, ἀσφαλεστάτην εἶναι θεοῦ, καὶ βεβαιοτάτην φρουράν.

Apud Athenienſes, *Ignoti.* Nam epigramma pluratiue exprimit Philoſtratus lib. 6. vitae Apollonij: Ἀθήνῃσιν, οὗ καὶ Ἀγνώστων δαιμόνων βωμοὶ ἵδρυνται. *Athenis, vbi Ignotorum Deorum arae rectae ſunt.* Apud Pauſaniam in Atticis, βωμοὶ Θεῶν ἀγνώστων leguntur: at in demo Phalereo duobus ab vrbe lapidib. *Iam vero Chryſippus, qui Stoïcorum ſomniorum vaferrimus habetur interpres, magnam turbam congregat ignotorum Deorum, atque ità ignotorum, vt eos ne coniectura quidem informare poßimus, cum mens noſtra quidvis videatur cogitatione poſſe depingere.* Haec 1. de Natura Deorum Tullius. Sunt & plures huius aeui ſcriptores, quibus apud Athenienſes videatur ſcriptum fuiſſe, DIIS IGNOTIS, non IGNOTO DEO; ſuper quo priuſquam dico, vnde ſint in eam lapſi religionem, vt IGNOTO DEO, ſeu Dijs, aram voluerint inſcriptam Athenienſes, operae fuerit primulum dicere.

Diuus Chryſoſtomus in Acta, & Oecumenius alias, atque alias narrationes ſuper ea religione inſtituunt: nos a fontibus petita promamus ex Herodoto, Thucydide, Diodoro, Laërtio, Herodoti lib. ſexto. Phidippidi, (alij Philippidem nominant) Athenienſium miſſu Spartam itanti circa Parthenium montem fit Pan obuius, ſciſcitatur, cur Athenienſes nullam ſui pridem bene meriti, atque etiam merituri rationem ducerent? Athenienſes igitur narrationi Phidippidis fide habita, quodq. rerum ſuarum ſtatum loco optimo eſſe animaduerterent, Pani ſub arce templum ſtatuunt, anniuerſarias inſtituunt victimas, face quoque propitiant numen. Augeſcit inde metus, inquit Oecumenius, ne forte Deum quem

alium minus notum non coluerint: quare DEO IGNOTO altare aedificant. Thucydides hiſtoriae libro ſecundo, flagrantiſſimam deſcribit peſtilentiam, quam comitata ſit ſitis ardentiſſima, cuius leuandae multi ad fontes ſunt ſemineces reperti, obierint multi. Hoc ex malo tanta accepta clades, vt rogi, & ſarcophagi pleriſque defuerint, ac pleraeque circa ſepulturam caerimoniae, ac leges conuulſae, volataeque ſint. Animantium quoque omne genus labes promiſcua, & peſtis. Longum ſit omnia perſequi. Cum tandem Athenienſes tam dira lue ſubacti, cuius Numinis offenſione poenas luerent, ignorarent, aram DEO IGNOTO erexiſſe Oecumenius refertur. Diodorus Bibliothecae libro tertio in Arabiae deſcriptione: Ἑξῆς δ' ἐστὶ κόλπος κυκλοτερὴς μεγάλοις ἀκρωτηρίοις περιεχόμενος, ὧν κατὰ μέσην τὴν διάμετρον ἀνέστηκε λόφος τραπεζώδης, ἐφ' οὗ τρεῖς ναοὶ θαυμαστοὶ τοῖς ὕψεσιν ᾠκοδόμηνται θεῶν ἀγνοουμένων ὑφ' Ἑλλήνων, τιμωμένων δ' ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων διαφερόντως. Doctiſſimus interpres: *Sinus deinde rotundus, magnis circunuallatus promontorijs exſiſtit, in quorum diametri medio collis menſae in modum exſurgit, in quo tria mirandae celſitatis fana* DEORVM, *Graeciae quidem*, INCOGNITORVM: *ſed quos accolae ſummo venerationis cultu proſequuntur, exſtructa ſunt.* Arabum exemplum ad Athenienſes tranſiſſe tandem arioletur, cui libentia. Diogenes Laërtius lib. I. repetita peſtilentiae Athenis graſſatae memoria, & Epimenidis ſanctitatis fama, cum expiandam vrbem oraculo eſſent commoniti, nauem in Cretam ad arceſſendum ſapientem illum virum tradit. Qui cum Athenas veniſſet, eas hac ratione expiauit,

Digitized by Google

luemque ſedauit. Lectas oues geminas, vnam nigro, alboque vellere alteram agit ad Arium pagum. Inde, quo vellent ipſae, ire ſinerent, eas ſequentibus imperat: ac vbiubi requieſſet vtraq. Deo peculiari mactarent, qua ratione tanti mali finem fore: Ὅθεν ἔτι καὶ νῦν ἐστὶν εὑρεῖν κατὰ τοὺς δήμους τῶν Ἀθηναίων βωμοὺς ἀνωνύμους ὑπόμνημα τῆς τότε γενομένης ἐξιλάσεως. Hoc eſt: *Vnde in huius expiationis memoriam vel hodie inuenire eſt per Athenienſium domos, aras abſque nomine*, Numinis ſcilicet, cui illae rectae. In has incidiſſe Paulum non procul Ariopago vero eſt perquam ſimile.

Verum age, fuit inſcriptio IGNOTO DEO, an IGNOTIS DIIS? Ex Diodoro, & Laërtio ſpecies affulget aliqua multitudinis. Item ex Philoſtrato anterius, exque Philoſtrati verbis a Suida repoſitis, & Pauſania lib. I. Eliacῶn: Ἀγνώστων Θεῶν βωμός. Ita quoque diſertim placitum D. Hieronymo ſcribenti in epiſtolam ad Titum: *Inſcriptio autem arae non ita erat, vt Paulus adſeruit,* IGNOTO DEO: *ſed ita*, DIIS ASIAE, EVROPAE, ET LIBYAE, DIIS IGNOTIS, ET PEREGRINIS. *Verum quia Paulus non pluribus Dijs indigebat ignotis, ſed vno tantum* IGNOTO DEO: *ſingulari verbo vſus eſt, vt doceret illum ſuum eſſe Deum, quem Athenienſes in arae titulo praenotaſſent, & eum recte ſcientes colere deberent, quem ignorantes venerabantur, & neſcire non poterant.* Vel tam multorum teſtimonijs, vel vnius Hieronymi auctoritate aram pluribus IGNOTIS DIIS inſcriptam probabiliſſime ſuadetur. Tamen promuſcondus arcanorum Dei Paulus, aliter fatur: *Inueni & aram, in qua ſcriptum erat,*

Digitized by Google

IGNOTO DEO. Sequuntur D. Chryſoſtomus, Hieronymo non inferior, Oecumenius, Photius, Iuſtinus Martyr in Apologia, apud Lucianum Critias: Νὴ τὸν Ἄγνωστον ἐν Ἀθήναις. Inibi Triephon haec: Ἡμεῖς δὲ τὸν ἐν Ἀθήναις Ἄγνωστον ἐφευρόντες, καὶ προσκυνήσαντες, χεῖρας εἰς οὐρανὸν ἐκτείναντες, τούτῳ εὐχαριστοῦμεν. At Philopatrin Luciano abrogant nonnulli; & ego vel ob extremam iſtam clauſulam. Nihilominus cuiuſcunque ſit, priſci auctoris eſt, & opinionem de vnico *ignoto Deo* corroborat: Fauet Celtiberorum Ἀνώνυμος Θεός, lib. 3. Strabonis. Clemens Alex. lib. 1. Strom. diſertim. Iuuat ratio a politiſſimo Lorino poſita. Neque enim Paulus apte argumentatus videretur, ſi in ara inſcripti erant vel cum alijs Aſiae, Europae, Africae Dijs, Dij etiam plures ignoti, vel hi ſoli in numero multitudinis. Nam ſi plures inſcripti, non ex eo recte Deum vnicum adorandum Paulus conficeret. Attamen inexpugnabilem, & omni contradictione maiorem Pauli rationem pronunciat Iſidorus Peluſiota. *Praeualeat demum*, ait Caietanus, *auctoritas Pauli, quem alioqui falſitatis arguiſſent Athenienſes, ſi non inueniſſet aram inſcriptam* IGNOTO DEO; *ſed*, IGNOTIS DIIS.

Diſpiciendum reſtat, ecquis ignotus Deus? An verus mundi, rerumque omnium opifex, ac dominus? Tertullianus lib. 1. cap. 9. contra Marcionem: *Inuenio plane ignotis Deis aras proſtitutas: ſed Attica idololatria eſt.* Non igitur veri Numinis cultura. Diuus Chryſoſtomus in Acta, Athenienſes hoc temporis vocat ἀνθρώπους μήπω μαθόντας, ὅτι ἐστὶ μόνος Θεός. Si neſciunt vnicum eſſe Deum, non illi aram inſcribunt; ſed *Deo ignoto*, cum caeteris

multis cognitis. Et ſubjectius quaerit : Εἰπὲ γάρ μοι, περὶ τίνος ἂν λεχθείη κυρίως, Ἀγνώστῳ Θεῷ· περὶ τοῦ δημιουργοῦ, ἢ περὶ τοῦ δαίμονος; δῆλον, ὅτι περὶ τοῦ δημιουργοῦ. οἱ δὲ τὸν μὲν ἠγνόουν, τὸν δ' ᾔδεσαν. *Dic enim mihi*, inquit, *de quo proprie dici queat*, IGNOTO DEO, *de mundi procreatore, an de daemone? Liquet de procreatore : hi autem* [Athenienſes] *hunc ignorabant, illum autem norant.* Pauli vox : *Quod autem ignorantes colitis.* Quod colitis nomine tenus, rem interea, numenque ignorantes, ac nomen, *hoc ego annuncio vobis.* Neque cum his pugnant Clementis verba, penſius ſi quis examinet. Pugnat vero Auguſtinus 1. contra Creſconium, cap. 29. *Athenienſes quamuis extra Eccleſiam, vnum verum Deum colebant.* Idem in epiſt. ad Romanos, cap. 3. *Nam ſapientes gentium, quod inuenerint Creatorem, manifeſte idem Apoſtolus cum Athenienſibus loqueretur, oſtendit.* Occurſat Auguſtino Paulus: *Quod ignorantes colitis.* Verum Numen ignorabant, & nomen : verbali autem epigrammate ignotū Deum, & incertum colebant, vt qui Ieroſolymam offerrumenta miſſitabant : ad Deum quidem Iudaeorum, ſed quem inanium, pictorumque Deorum numero honorabant. Explicatiſſime Cyrillus Alex. lib. 1. Glaphyrorum : Εὐσεβεῖν γὰρ οἰόμενοι, διά γε τῆς εἰς τὸ θεῖον αἰδοῦς· πολὺ δὲ τῆς ἀληθείας ἀποσφαλλόμενοι. Βωμὸν γὰρ ἀναδειμάμενοι γραφὴν ἐνεκόλαπτον Ἀγνώστῳ Θεῷ, τουτέστι καὶ τῷ μὴ γνωσθέντι δαίμονι. Ἀλλ' ἐκεῖνοι μὲν ἀρίστην ἐνόμιζον ἐπὶ Θεῷ τινὰ δόξαν ἐλεῖν· καταςοφίζεται δὲ τὴν γραφὴν ὁ θεσπέσιος Παῦλος, καὶ πολὺ δὴ λίαν ἐντέχνως ἄγει πρὸς τὸ χρήσιμον, τὸν οὐκ ἐγνωσμένον αὐτοῖς Θεὸν Χριστὸν εἶναι λέγων. *Chriſtum, aut Deum*, inquit D. Chryſoſtomus. Tu intrepide dic a Paulo annunciatum

Athenienſibus & Chriſtum, & Deum vnum ſolum, ex Actis cap. 17. potiſſimum ex verſu 30. & 31. *Tempora quidem huius ignorantiae deſpiciens Deus, nunc annunciat hominibus, vt omnes vbique poenitentiam agant.* Hic de Deo: iam de Chriſto: *Eo, quod ſtatuit diem, in quo iudicaturus eſt orbem in aequitate, in viro, in quo ſtatuit, fidem praebens omnibus, ſuſcitans eum a mortuis.*

At verum, vnicumque Deum Athenienſibus notum ex Sibyllis volunt Lactantius, Baronius, Lorinus, Serrarius. Cur ergo aram IGNOTO DEO ponunt? Et vero, vt non vaniſſima eorum eſt coniectura: ſic neque certiſſima. Illam namque admittimus, qua Deum vnum verum illis potuiſſe notum eſſe ex Sibyllis adſerunt; qua notum dictitant, nondum cum affirmantibus affirmamus. Praeterea ſi hoc, abſque Athenienſium offenſione potuiſſet Apoſtolus Prophetarum oracula congerere. Magna tamen animi prouiſione vel ſuo conſulens capiti, vel illorum ignorantiae, qui Prophetas irriſui erant habituri, aram eorum arripuit, vt explicat Diuus Chryſoſtomus in Acta. Quod cum Paulus facit, haec loquitur: *Non in manufactis templis habitat.* Quod Sibyllina ſic exprimunt:

Οὔτε γὰρ οἶκον ἔχει ναῷ λίθον ἱδρυνθέντα.

Paulus: *Nec manibus humanis colitur.* Sibylla:

——— Τὸν οὐ χέρες ἔπλασαν ἀνδρῶν,
Εἰδώλοις ἀλάλοισι λιθοξέστοισιν ὁμοῖον.

Denique ſi ex Sibyllis Athenienſes verum Deum cognouiſſent, aut ex Triſmegiſto, aliove, non vnum Deum adoraſſent, caeteros repudiaſſent?

Cum autem Paulus omnibus omnia fieri ſtu-

deret, Iudaeis Prophetas exciebat, Athenienſibus aram gentilium more, & epigramma eorum diſciplinae, ac moribus conuenienter proponebat. Sic Iſidorus a Peluſio epiſtola 138. 346.

Huic capiti, Paulique imititati mantiſſam attexo ex Act. cap. 17. *Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis.* Momenti neſcio quid detritum ex verſione hac. Primigenia facies: Ὃν οὖν ἀγνοοῦντες εὐσεβεῖτε, hoc eſt, *Pie colitis.* Haec enim Athenienſium mens, & D. Chryſoſtomus tom. 6. ſerm. de non Anathematizando, dicti Paulum laudat, & manſuetudinis, qui ſciens illos idololatras, loquatur tamen ex eorum opinione, ſiue ex erronea illorum conſcientia. Tantae erant Pauli artes ad conciliandos fidei Athenienſium animos.

CAP. XXI.

Pauli in Hiſpaniam expeditio.

HISPANIA terrarum plaga comparanda optimis, nulli poſthabenda frugum copia, ſiue ſoli vbere, ſiue vinearum prouentu: ——— *Hic omne metallum:*

Electri gemino pallent de ſemine venae,
Atque atros chalybis foetus humus horrida nutrit.

Hic aurum vel ex telluris viſceribus, vel fluuiorum:

Hinc certant Pactole tibi, Duriuſque, Taguſque,
Quique ſuper Grauios lucentes voluit arenas,

Infernae populis referens obliuia Lethes:
Nec Cereri terra indocilis, nec inhoſpita Baccho:
Nullaque Palladia ſeſe magis arbore tollit.

Hoc Hiſpaniae terrae ingenium certatim in literas miſere Silius Italicus, Strabo, Plinius, Solinus, Diodorus, Philoſtratus, quorum aliqui parcius, vberius aliqui, vere ſinguli, omnes congruenter. Indigenarum, ſeu veterum belli gloriam ſpectes, ſeu hodiernam ipſorum in Legibus, ac Theoſophia diſciplinam, miriſſima eſt indoles: operae vt precium fuerit ad has plagas Apoſtolorum ex ſummatibus vnum aliquem olim deſtinari, potiſſimum vt diuinis oraculis ſua conſtet fides. Dauid Pſalmo 18. *In omnem terram exiuit ſonus eorum: & in fines orbis terrae verba eorum.* Actor. 1. *Eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & in omni Iudaea, & Samaria, & vſque ad vltimum terrae.* Quod Petri, Paulique aeuo fuit. Paulus cap. 1. ad Romanos: *Primum quidem gratias ago Deo meo per IESVM Chriſtum, pro omnibus vobis: quia fides veſtra annunciatur in vniuerſo mundo.* Magnum nomen, magna, & propemodum infinita populi Romani gloria, tot bellis parta, tot victorijs amplificata, tot trophaeis conſeruata: verum populi Romani fidem omnibus terrarum oris ſpargi, & ad aeternam cuiuſque animae ſalutem ſpargi, & communicari diuina res eſt, & humanas, coeleſteſque mentes ſupergreſſa. Fides autem Romana *annunciari in vniuerſo mundo* non potuit, Hiſpania diſcluſa. Potuit & Hiſpania in fidei Romanae ſocietatem coïre, tacente, ac abſente Paulo; quemadmodum citra Pauli operam quaedam terrarum ſola fidei Romanae ſplendore ſunt illuminata.

Paulum tamen Numinis miſſu in Hiſpaniam ap pulſum euangeliique buccinatorem fuiſſe multa ſunt, quae perſuadeant. Primum Pauli ipſius promiſſa literis ad Romanos exaratis conſignata, quos cum legatis, & ſcriptis ſaepiuſcule eſſet allocutus, viſere tamen incoram geſtiebat: quae vota alia ex alijs nata impedimenta ſaepe cum diſturbaſſent, ait tandem cap. 15. *Cum in Hiſpaniam proficiſci coepero, ſpero, quod praeteriens videam vos.* Graece aliter, atque expreſſius: *Ὡς ἐὰν πορεύωμαι: Quandocunque proficiſcar.* Non Si: nam τὸ Ἐὰν potentiale eſt, vt magiſtrorum vtar ore. Proficiſcar autem ſeu πορεύωμαι, παρατατικὸν eſt, temporiſque moram in itinere faciendo conſignat. Recte ideo Interpres *Proficiſci coepero.* Nam ſedium mutatio incoepta erit in Hiſpaniam itio: qua admiſſa Romam diuertetur, inde in Hiſpaniam tranſgreſſurus.

Huc vt Paulum euocarit ardens euangelij, fideique propagandae deſiderium de S. Ambroſij ſententia, euocabat & impetus Apollonio Tyaneo pſeudoapoſtolo ſeſe impingendi. Monſtrum hoc vt imperij Romani incendio gliſcenti facem ſuggereret, ſuapte ſponte ſe in Iberiam deportarat non multo ante Neronis exceſſum. Hiſpaniae praefectum Iulium Vindicem aduerſus Neronem acuebat, & adulando regnandi vim aperiebat, vel de carcere Neroniano vlciſci parabat. Vindex in ipſo fere conatu oppreſſus eſt. Apollonius in Hiſpania res nouas moliri coeperat futilibus, ſutelis potius, quam conſilijs, auctore Philoſtrato li. 5. c. 3. Cuius maturior receſſus potuit eſſe ſubmouento daemonio familiari. D. Paulus autem paſſim pſeu-

dapoſtolis concurrit, aut ne emicent, aut orti diſturbentur. Ante autem quam Iberis ſe afferret Apoſtolus, Romanos praeſentia, officijs, praedicatione pro mente ſibi à Deo iniecta deuincire debuit. Multum in eo praeſidij; Romani Hiſpaniam domitauerant Machabaeorum lib. 1. c. 8. *In poteſtatem redegerunt metalla argenti, & auri, quae illic ſunt.* Notat & Strabo l. 3. Mariana aeui noſtri ſidus l. 2. c. 9. Quod ergo tunc temporis ſub Romanorum rectoribus, legibuſque ea eſſet ora: Romanorum potiſſimum opera, atque auctoritate commendatus, adiutuſque eam in prouinciam itare parabat Paulus. Quare loco ſubiectiore hæc eius ad Romanos vox. *A vobis deducar illuc.* Ita fidei ſemen Romanorum nomine confotum apud Hiſpanos valeſcere poſſe ſperabat maxime. Hactenus Iberica profectio fuit in voto: an etiam reapſe?

Iſidorus Peluſiotes epiſt. 124. ὁ βαρβάρους φιλοσοφεῖν ἀναπείσας: *Qui barbaris ſapientiam* [Chriſtianam] *perſuaſit.* Barbarorum appellatione Hiſpanos intelligunt. Barbari moris putant lotio os eluere, aut dentes confricare, apud Catullum, & Strabonem: epulas calida torrere arena, apud Silium Italicum, & cantare in cruce. Expreſſiſſime M. Tullius Afros, & Hiſpanos *immanibus, ac barbaris nationibus* annumerat, lib. 1. ad Quintum fratrem. Creperum argumentum. Nam & ipſos Romanos, *Barbaros* appellatos a Graecis conſtat vel ex Plautinis fabulis. Iſidorus autem *Melitenſes* videtur intellexiſſe, quibus de Actorum cap. 28. *Cognouimus, quia Melita inſula vocabatur. Barbari vero praeſtabant non modicam humanitatem nobis.* Ve

autem conuerſi ad Paulum Melitenſium animi, diſpice : *Conuertentes ſe , dicebant eum eſſe Deum.* Inibi Publij principis inſulae patens *febrit, ac dyſenteria vexatus iacet.* Paulus intrat , orat, manus imponit , ſalutem confert. Explicatius Lucas: *Quo facto & omnes , qui in inſula habebant infirmitates , accedebant , & curabantur.* Fidius D. Chryſoſtomi teſtimonium Pauli laudatione 7. qui Apoſtolum Romae negat reſtitiſſe : Οὐδὲ ἐνταῦθα ἵσταται, ἀλλὰ καὶ ἐκεῖθεν εἰς Ἱσπανίαν ἔδραμε: *Neque Romae ſtetit : ſed & Roma in Hiſpaniam excurrit.* Iterum in Matth. cap. 24. Ὁρᾷς αὐτὸν ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ εἰς Ἱσπανίαν τρέχοντα; Toſtatus Abulenſis in Matthaei cap. 24. cum a Sabiniano , eiuſque ſocietate in Galliam terram Fidem dixiſſet importatam, ait : *Similiter ex parte Hiſpaniae, vbi Paulus praedicauit,* &c. *Et ſic patet*, inquit, *quod viuente Petro fides praedicata eſt in vniuerſo mundo.* Idem in c. 33. Geneſ. *Quod ſupponunt de Paulo, quod non venit in Hiſpaniam , non teneo.* D. Athanaſius ad Dracontium : Μὴ ὄκνει μηδὲ εἰς τὴν Ῥώμην ἀπελθεῖν, μηδὲ εἰς τὰς Σπανίας ἀναβῆναι. *Neque Romam abire , neque in Hiſpanias exſcendere Paulum pigitum eſt.* S. Epiphanius lib. 1. Hæreſi 27. Ὁ μὲν γὰρ Παῦλος καὶ ἐπὶ τὴν Ἱσπανίαν ἀφικνεῖται. D. Hieronymus in Eſaiam de Paulo : *In Hiſpaniam alienigenarum portatus eſt nauibus.* Idem in Amos c. 2. *Vt prædicaret Euangelium de Ieroſolymis vſque ad Illyricum , & ædificaret, non ſuper alterius fundamentum , vbi iam fuerat prædicatum : ſed vſque ad Hiſpanias tenderet , & a mari Rubro , imo ab oceano vſque ad oceanum curreret.* Martyrologium Romanum Martij 22. de Paulo Epiſcopo Narbonenſi : *Qui a B. Apoſtolo Paulo*

lo baptizatus, & cum in Hiſpaniam pergeret, apud Narbonem relictus. Eadem profectio prodita eſt ab Hippolyto lib. de 72. Diſcipulis, Cyrillo Alexandrino Catech. 17. Theodoreto in epiſt. ad Timotheum, & ad Philipp. ac alibi, Gregorio M. Iſidoro Hiſpalenſi, Beda, Sophronio, Luca Tudenſi, Aegidio Zamorenſi, Vſuardo, Adone. Quos forte ſecutus eſt Mariana in coeleſtiſſimi operis de Reb. Hiſpaniae lib. 4. capite tertio: *Neronis imperio tum Apollonius Tyaneus, magicis artibus clarus, cum omnes prouincias luſtraret, in Hiſpaniam venit: tum Paulus Apoſtolus Romae e vinculis liberatus, vt ipſe ſe in votis habere ad Romanos ſcripſit, & magnorum virorum auctoritate confirmatur.* Rodericus Doſma lib. 2. de Auctoritate S. Scripturae, cap. 4. *Illud: Per vos proficiſcar in Hiſpaniam, abſolute prolatum, re omnino impletum ob id exiſtimare par eſt, ſicut veniſſe propter graues auctores in Chronographia citatos, Dorotheus Epiſcopus Tyri affirmat.* Haec ille.

Ex ſacrarum literarum ſilentio clamoſius Paulum ab Hiſpania terra relegare, eſt ſine viribus argutari. Penſior enim eſt ratio. Paulus cap. 15. ad Romanos, ſeſe in Hiſpaniam iturum promiſit: ergo iuit. Cedo obicem?

Gratiani ſententia nobis obijcitur. Grauis auctoritas: ſed quae abſque rationum momentis facile eleuetur.

Digitized by Google

CAP. XXII.

Pauli Epiſcopa.

HONORIFICENTISSIMI profecti tituli ſunt, *Apoſtolus, Doctor, Praedicator, Euangeliſtes, Prophetes*, qui in Paulum cumulatiſſime congeſti ſunt. Eo autem haec efferri, eo in culmine collocari, vt Paulo prae Angelo ſit fides adhibenda, immane quam auguſtum. Verum an etiam Paulus Epiſcopus? Impetus ornandi Pauli intra gyrum rationis, & veri agendus eſt. Crepera ſurgit ob has cauſas ſententia. Et ſi inficiantis oratio minime probandi vim habet: ſi quis tamen quid feciſſe ex officio debuit, potuit, neglexit, culpam contrahit, a qua ſi non debuit, liber eſt. Lucas Apoſtolorum Acta ſcripſit, quae ſi Pauli nomine inſcripſiſſet, ne momus quidem vellicare poſſit. In ijs enim *pleniſſime de eius conuerſatione ſcriptum eſt*, inquit D. Hieronymus in Paulo. Paulus ſuperiores titulos ſparſit locis plurimis, ad fidem Euangelio conciliandam, & auctoritatem. At Epiſcopi dignitatem in Paulo tacent Acta: elingues ſuper hoc Paulinae ſunt literae: obmutuit ipſa Antiquitas: nouiorum ſcriptorum ingenia, quae diſputatione lucem incertis moliuntur afferre, nihil tradunt. Vnus, aut alter inflatius, quam conſideratius ſcripſit, & concionatus eſt Paulum Epiſcopum; neuter eorum, nemo poſt

Digitized by Google

homines natos locum Epiſcopae deſignauit: non Corinthum, non Antiochiam, Epheſum, Alexandriam, Ieroſolymam. Tunc temporis Romana Epiſcopa tota Petri fuit, non Pauli. Dicere oecumenicum quendam Paulum Epiſcopum, non inane eſt. Ea vero fuit Petri praerogatiua, vt vniuerſae Eccleſiae delatam a Chriſto Epiſcopam ceperit; non Paulus. Namque vt ſoles geminos non capit mundus: ſic neque duos ſummos Pontifices hierarchia Eccleſiaſtica. Quod ſi neque vniuerſalis Eccleſiae, neque peculiaris cuiuſquam Paulus Epiſcopus, & Epiſcopus tamen pronunciatur: nonne verendum eſt, ne abſque Epiſcopa ſit Epiſcopus?

Deinde lectus a Chriſto Paulus eſt, *vt portet nomen eius coram Regibus, gentibus, filijs Iſraël*: hoc eſt, vt praedicandi cauſa volitet orbe toto. Affige eum Eccleſiae cui particulari: cum diſiunctiſſimas ab ea Eccleſias, & regna perluſtrat, non commiſſi ſibi gregis curam deſeruiſſe videbitur? Eat, & Chriſti regis vexilla latiſſime porrigat: Epiſcopum Paulum volo dicere, volo credere; nequeo probare.

Diuinare poſſum ex his. Epiſcopum vrbibus, gentibuſve dare Epiſcopi munus eſt. Paulus hoc munus functus eſt. Nam Melitenſibus Publium dedit Epiſcopum (quem Actor. 23. Chriſto pepererat) & Athenienſibus Dionyſium, vt praeter Martyrologia, referunt Euſebius, Nicephorus Calliſtus, Suidas, Anaſtaſius; alij Timotheum Epheſo, Cretae Titum, auctore Nicephoro Calliſto lib. 2. cap. 34. Rufum Cyrenaei Simonis F. Alexandri fratrem Dertuſanis Epiſco-

Digitized by Google

pum reliquiſſe fertur. Sergium autem Paulum Proconſulem prius ad eandem euectum dignitatem Eccleſiae Narbonenſi praefecit, teſtibus Beda, atque Vſuardo: alibi alios ordinauit Epiſcopos. Quod ſi aquilarum eſt aquilas procreare; videtur & Epiſcoporum Epiſcopos. Addo Epiphanium veteris exemplaris mei p. 151. Ἐν Ῥώμῃ γὰρ γεγόνασι πρῶτοι Πέτρος, καὶ Παῦλος οἱ Ἀπόστολοι αὐτοὶ, καὶ Ἐπίσκοποι. Nec locum deſignat Epiſcopatus. Serarius, Eccleſiae gladius, tractatu de S. Paulo, & Iuda proditore, §. 31. *Hoc eodem Chriſti D. anno 44. aetatis ſuae 43. Claudij 2. cum egregium hactenus Apoſtolicae vitae ſpecimen edidiſſet, ad Epiſcopalis, & Apoſtolici honoris culmen, ita Spiritu Sancto iubente, Paulus vocatus eſt.* Caerimoniarum adhibitarum quatuor profert genera, quae non placet excuti. Ad oram D. Leo, in cuius epiſtola 81. citata, nil ad Pauli Epiſcopam conſtituendam ſufficiens eſt. Leonis veſtigia: *Cum Apoſtoli Paulum, & Barnabam ex praecepto Spiritus S. ad Euangelium gentibus mitterent praedicandum, ieiunantes, & orantes impoſuerunt eis manus.* Quae ex Actor. cap. 13. decerpta ſunt, vbi cum adſcribitur: *Segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus, ad quod adſumſi eos:* vides opus eſſe *Euangelij praedicandi*, ſic explicante Leone M. ſic D. Chryſoſtomo: Τί ἐστιν, Ἀφορίσατέ μοι εἰς τὸ ἔργον; εἰς τὴν Ἀποστολήν. *Quid eſt*, inquit, *Segregate mihi ad opus?* Reſpondet, *Ad Apoſtolatum*: non ait, Εἰς Ἐπισκοπήν, *Ad Epiſcopatum*; quae duo diſcernit ipſe Serarius: *Ad Apoſtolici, & Epiſcopalis honoris culmen*, & ſuapte natura ab inuicem diſſiliunt. Atque hac in explicatione de Pauli Apoſtolatu, non Epiſcopatu, Leo M. &

Digitized by Google

Chryſoſtomus Lucam auctorem habent inibi, cui paene ἀμέσως ſcriptum: *Et cum veniſſent Salaminam, praedicabant verbum Dei in Synagogis Iudaeorum.* Quare & Lucae, & ſibi congruenter Chryſoſtomus: Τί ἐστι λειτουργούντων; τοῦτ᾽ ἔστι κηρυττόντων. Nam & ſi fuſior videri Graeca vox poteſt, hoc loci de publico praedicandi munere intelligitur. Nec ab horum duumvirûm interpretatione mihi fas receſſiſſe: quemadmodum neque Bellarmino, Lorino, Serario aliter explicantibus pugnare.

Neque illud: *Imponenteſque eis manus dimiſerunt illos*, quidquam pro Pauli Epiſcopa facit. Vnde namque in Simone Nigro, Lucio Cyrenenſi, vnde in Manahen poteſtas ordinandi Paulum, & Barnabam in Epiſcopos? Qualis autem, quamque vim habuerit illa manuum impoſitio, ſic docet ὁ ἀκριβολογώτατος Zuareſius tom. 3. in D. Thom. Diſp. 34. Sect. 1. poſitis quinque χειροθεσίας acceptionibus: *Vltimo reperitur*, inquit, *interdum quaedam manus impoſitio tantum deprecatiua, qualis fuiſſe videtur illa, de qua eſt ſermo Actor. 13. Tunc ieiunantes, & orantes, imponenteſque eis manus, dimiſerunt illos. Nam Paulus, & Barnabas tunc neque fuerunt confirmati, neque ordinati Presbyteri, vel Eccleſiae Epiſcopi: Ergo non fuit illa manus impoſitio aliqua ex praedictis. Fuit ergo tantum bona quaedam imprecatio.* Non ergo Epiſcopalis conſecratio.

Rationi diuinandi propoſitae multis obſiſtitur modis. Primum naturae ſpatia eiuſdem ſpeciei finibus generationem concludunt: aliter fit in ciuilibus, & ſacris. Nam Reges, ac Principes infinitis officijs homines alligant, quorum & titulos

dedignantur, & munus. Scelerati quoque Chriſtiani ſanctitudinem, qua carent, ſacramentorum datione alijs infundunt. Sic Paulus Epiſcopi dignitatem conferre potuit, cuius ipſe fuerit exſors. Hodie quidem alij ſunt mores. Verum aliter, atque aliter ſeſe habuit Eccleſia in cunabulis, & poſtmodum amplificata. Quid quod Epiſcopatus Paulini adſertor illo Actorum loco tacito, deſignat Pauli in Epiſcopum inſtitutores, aut conſecratores Simonem Nigrum, & ſocios, qui necdum tunc Epiſcopi fuere? Cur enim illi ante Paulum ſint Epiſcopi? a quo? quando? Quae eadem ego de Paulo ab Epiphanio ſciſcitor. Nam etſi eius verba ſubobſcure Paulum Romae Epiſcopum facere videantur: huic dicto viam praecluſimus. Neque id Epiphanio ſedit: qui duos ſimul vnius loci Epiſcopos, non ſolum de Eccleſiae more eſſe non poſſe ſciuit; ſed & rerum naturam quodammodo refragari.

Verum ne quid diſſimulem, huiuſce tractationis pars nulla me magis anxium habuit, quam Pauli Epiſcopatus. Geſtio, vt ante dixi, Paulum Epiſcopum dicere: ratio autem non comparet.

Nondum nox abijt, nec tamen orta dies.

Si quis autem cum Baronio, alijſq. eum Catholicum, ſeu vniuerſalem Epiſcopum dixerit, ferendum eſt. Sed haec ratio longe diſſidet a proprie dicti Epiſcopatus ratione. Hiſce conſignatis, lego in Henotico, cui Salomon Theodotus auctor inſcribitur, pag. 330. *Imo ſi qui ex Apoſtolis Epiſcopatum ordinarium habuerint, illum non niſi in certam dioeceſim, nec ſine ordinatione Petri acceperunt.* Tum probationes aggerit, quas inibi vide.

CAP. XXIII.

An Paulus Virgo? An Inconiugus?

NOMEN *Virginis, titulus eſt pudoris*, inquit lib. 1. de Virginibus Ambroſius. Acceſſio igitur ſit haec ad antegreſſos Pauli titulos. Firmamus ex S. Ambroſio in epiſt. 1. ad Corinth. cap. 7. *Non diceret, Bonum eſt innuptis, vt ſint ſicut ego; niſi eſſet integer corpore.* Diuus Chryſoſtomus ſerram per eandem reciprocat lineam: Θέλω γὰρ πάντας ἀνθρώπους εἶναι ὡς καὶ ἐμαυτὸν, verbo idipſum declarans, Ἐν ἐγκρατείᾳ, *In continentia.* Paulum saepiuſcule vocat Ἄγαμον. Atque hic vir, hic eſt, qui ſupra omnium Eccleſiae procerum Pauli res geſtas, & ſcripta excuſſit, cognouit, publicauit; vt imprudentiae culpari nequeat, niſi ab impudentia. Tertullian. exhortatione ad caſtitatem: *Cum nos vero ad exemplum ſuum hortatur, vtique oſtendens, quid nos velit eſſe, vtique continentes.* Idem lib. ad vxorem, & lib. 5. ad Marcionem. Item libro de Monogamia: *Apoſtolus & ipſe caſtratus, continentiam maluit.* Sic locum hunc allegant, legunt, interpretantur D. Hieronymus de cuſtodia virginitatis ad Euſtochium, & epiſt. ad Ageruchiam; B. Cyprian. lib. 3. teſtimoniorum ad Quirinum, cap. 32. Auguſt. lib. de opere Monachorum, cap. 4. lib. 1. de adult. coniugijs ad Pollent. c. 4. Epiphan. lib. 3. haer. 88. διὰ τὸ ἀγνεύειν. Ruminanda ſunt Tertulliani verba. Cuius enim frontis erit,

vt in exemplum continentiae ſe proſcribat incontinens. Apage tantam a Paulo vel arrogantiam, vel temeritatem. Quae ratio vt ſit adſtrictior, iuuat admodum Serarij praeſtantiſſimi Theologi iudicium. Nam Paulus, ſi quid vnquam alicui optat, cum re minus optabili coniunctum, hoc prudenter excipit, vt is bono puro puto fruatur. Sic Actor. 26. *Opto Agrippae Regi apud Deum, & in modico, & in magno, non tantum te; ſed etiam omnes, qui audiunt hodie, fieri tales, qualis & ego ſum: exceptis vinculis his.* Cum ergo ait: *Volo omnes eſſe ſicut meipſum*, addidiſſet, *exceptis matrimonialibus vinculis his*, quae etiamſi iam me non premunt, caſtitatis tamen, quam vobis praedico, puritatem, quadantenus conturbarunt. Deinde, *Volo omnes eſſe, ſicut meipſum.* An etiam eos, Paule, qui te iudice melius quiddam iam habent, vel habere poſſunt? Vis tibi viduo, quae virgines ſunt, fieri ſimiles, vt virginitatis, quam tantopere hic laudas, & ſuades, iacturam faciant, tumque ad viduitatis tuae ſimilitudinem accedant? Nemo, quibus bene vult, optat deterius: ſed ſaepe deteriore loco conſtitutis optima, etſi non adſequantur. Sic Deus Opt. Max. vult omnes homines ſaluos fieri: licet pereant quamplurimi. Sic Diuus Paulus, quamuis plurimos coniugia rapiant, quod nec vellicat: optimam tamen coelibum partem, quam elegerat, omnibus precatur.

Quod ſi vxorem duxit vnquam Paulus, vbi animum ad Chriſtum appulit, quid ea factum? Vbi, cum in Arabiam terram ſe tulit, cum alijs, alijſque fatigatus eſt itineribus, haeſit illa? vbi de-

Digitized by Google

lituit? Cur eam Chriſto conciliare non elaborauit? Cur eam nunquam vel interuiſiſſe, vel inſtituiſſe legitur? Et, ſi cum ad Corinthios ſcriberet, mortua iam illa, quando? vbi? Vnde enotuit? Hiſcant ad haec Pauli pronubi.

Obſtrepit Spiegelius ſpurijs, vagiſque notis in quendam Prudentij hymnum. Obſtrepit: ſibine, an nobis, & Catholicis? Videtur dicere vxorem habuiſſe Paulum, & permanſiſſe virginem: *Quandoquidem multi, & clari viri, atque mulieres,* inquit, *coniugio adſtricti coelibes, atque virgines egerunt.* Amabo te, bone Spiegeli, poſt ſannas tuas, & ludibria haec, tu mente ſeria, aut integra? Multi coniuges virgines: ergo Paulus. Quin eadem opera parentes tuos clamas virgines? Tum te terrae filium dicat alius. Multi: ergo Paulus fuit coelebs. Siccine ex indefinita finitam conficis? Patent tuae artes, & technae. Tibi vis demus Paulum coniugatum, non vt, quod ſimulas (tuiqueſſocienni pariſſimi) virginem Paulum perſuadeas: verum vt coniugio poſito, vſum coniugij coniungas: vt

Deſinat in colubrum mulier formoſa ſuperne.

Hoc animo manus tuae Pauli locos ſcalpturiunt de compari, deque muliere circumducenda. Ad poſterius Iſidori aduocatione me, meoſque conuebor. Ille epiſt. 176. ad Iſidorum Diaconum, ludiones tibi ſimillimos elidit his: Apoſtolorum quiſque regionem nactus vnicam, eam regulis informauit: at Paulus tanquam pennatus operarius, vniuerſum prope orbem peragrauit, ſeque in extrema terrae penetrauit, & obſequentes regulis informauit; inobſequentes vero diuina do-

ctrina adſperſit. Quocirca illis comites erant mulieres non liberorum, non conuictus cauſa: ſed de ſuo largiebantur, alebantq. paupertatis praecones. Paulum vero, qui extremos terrae fines percurrebat, ſequi nec permiſſae ſunt, nec potuerunt. Ecquid vero mirum, ſi muliebre ſecus relictum eſt, quando Barnabas communis cum Paulo curae particeps, ad infinitum illum curſum, ac laborem fatiſcens, primas illi conceſſerit? Quando igitur cum eo ſtetit in acie, haec Paulus ſcribebat: *Nunquid non habemus poteſtatem ſororem mulierem circumducendi, ſicut & reliqui Apoſtoli, & fratres Domini, & Cephas? aut ego ſolus, & Barnabas non habemus poteſtatem hoc operandi?* Non quod cum mulieribus habitarent, qui virginitatem conſulebant, continentiam praedicabant, & virginum choros regebant. Nam quis virginitatis conſultores ferret, cum in voluptatibus ipſimet volutari deprehenduntur? Non hoc igitur dicit. Nam alioqui mulierem vxorem dixiſſet, quod notarij in dotalibus inſtrumentis ſcribunt, *Alimentum, veſtemque praebere pro mulieris vxoris dignitate, proque viribus ſuis.* Quo genere loquendi, *Mulier* naturae nomenclatio eſt: *Vxor*, conuictus. Non ad hoc, inquam, exemplum: ſed quia ipſos ſequebantur, ex ſuo paupertatis magiſtros alentes. Sororem dixit quidem, vt caſtitatem manifeſtaret: mulierem, vt naturam. Mulier quippe virgo quoque, etiamſi ſit intacta, appellatur: mulier ob genus, etiamſi ſit integra: mulier ob naturam, etiamſi maſculi congreſſus expers. Quia autem hoc a propoſito alienum non eſt, cum idem Paulus ſecundum

carnem a ſancta Virgine Maria Saluatorem partum diceret (cuius dicendi rationem peruerſa nonnulli interpretatione deprauare audent) ait *Factum ex muliere*. Haec Iſidorus, notans Virginem a Paulo mulierem vocitatam, quod & Chriſtus apud Ioannem factitarat: *Quid mihi, & tibi, mulier?* Item illo: *Mulier, ecce filius tuus*. D. Hieronymus lib. 1. aduerſus Iouinianum: *Perſpicuum eſt vxores non debere intelligi: ſed eas, vt diximus, quae de ſua ſubſtantia miniſtrabant*. Sic alij.

De loco Pauli ad Philippenſes, Spiegelio ſatis, ſuperque factum a Baronio tomo primo Annalium, a Bellarmino, Serario, quos noſſet, ſi non in melioris notae libris hoſpes eſſet. Pauca nos pro capitis huius coronide. *Syzygum comparem*, Ἄνδρα μιᾶς αὐτῶν, *virum eſſe vnius ex memoratis* a D. Paulo ſanctis mulierculis. Quam interpretationem pro tertia, optimaque collocaſſe videtur Chryſoſtomus, eum enarrans locum, longeque ſubmouens opinamentum de Pauli coniuge. Et vero qui apud Nonnum de ſe dicit:

Σύζυγός εἰμι τοκῆος, Patri ſum compar,

vnus & idem: ecquod coniugium reſpexit? Nicephorus Calliſtus lib. 2. cap. 44. viri nomen iſtud tetur.

Caetera objectamenta valenter ſuſtinuerunt, ac diſpulerunt memorati ſupra ſcriptores, qui pro Eccleſiae Catholicae muro omne genus arma procuderunt.

Digitized by Google

S·PAVLI APOSTOLI SANCTITVDO ab vtero.

LIBRI TERTII

Capvt I.

Sancti Pauli Nex.

Etiamne blaſphemis oribus mortem non indebitam Paulum obiiſſe dicendi cuiquam inerit audacia? Simonem Magum nonnullis in opinionem Numinis admiratum iuſto verborum dedecore a Petro affectum credibile eſt: an & a Paulo? Simonis autem exitiabili prolapſione commotum Neronem, ira praecipiti par iſtud Apoſtolorum in vincula dediſſe notum eſt: cauſa vero Paulinae mortis opertior. Annalium conditor conijcit ex Ambroſij lib. 5. epiſt. Caſtitatis com-

Digitized by Google

mendationem cauſam mortis fuiſſe Paulo. At de Paulo altum inibi ſilentium: & ſi de Petro Ambroſij vox eſt: *Cum praecepta Dei populo ſeminaret, doceret caſtimoniam, excitauit animos gentilium.* Comparia vero de Paulo coniectare, nulla ratio diſſuadet: quae ſuadet? At coniecturis in re capitali nil opus. Repetita forte, ac redintegrata Pauli accuſatio ex capite, quo Pauli blaſphemiae rependuntur ex quamlibet falſis. Paulum ſcilicet *Peſtem* eſſe, *Seditionis* facem Iudaeis per orbem accendere, *Sectae Nazaraeorum* auctorem. Ieroſolymitanum templum inceſtaſſe, ſimilia, diſſimilia ad verum perſonata. Cum autem iuſſu, ac voluntate Neronis, necem ſubiuerit: cur in cauſa mortis veſtiganda moremur, quando tyranni voluntas vna in varia mortium genera ſufficiat? Praeſertim cum tyranni huius mos crudeliſſimus obtinuerit plerumque abſque iudicio, ſiue abſq. iudicij forma, quos vellet, vita deturbare. Philoſtratus lib. 7. cap. 7. vitae Apollonij, tyrannidem pulcre partitur: Αἱ μὲν γὰρ ἀκρίτους ἀποκτείνουσιν· αἱ δὲ ὑπαχθέντας δικαστηρίοις. Tum pauculis verbis immiſſis: Τῆς μὲν ὁρμώσης, καὶ ἀκρίτου, Νέρωνα· τῆς δ' ὑποκαθημένης, Τιβέριον. Secutus alienae operae ſic inuerto: *Exemplum tyrannidis impetu ruentis, ac ſine iudicio, Neronem dicimus: ſubſidentis, Tiberium. Subſidentem* vocat tyrannidem, quae inſidiatrix iudicij nomen, aut formam ſimulat. Nam & qui in inſidijs, quo minus ſint conſpicui, ſubſidunt, & qui alienae vitae inſidiantur, non ira praecipiti inferuntur; ſed quaſi ſubſidat impetus, ſcenam inſtruunt. Ὁρμᾷν autem non eſt *Furere*, quod Interpreti ſedit: ſed *Impetum capere*, *Impetu ruere*,

Digitized by Google

ferri. Neque haec vſquequaque diſiuncta ſunt: ſaepe in vnum congruunt. I ad quintumdecimum Annalium Taciti (Dionem, Suetonium, Xiphilinum, alios ne nominem) videbis Neronis crudelitatem iuſtitiae, iudicijque perſonam aut induiſſe, aut quaeſiſſe. Sunt quos & Tiberius imperio inconſulto ſuſtulit. Verum in Tiberio regnabat ſimulationis nequitia: in Nerone ſaepiuſcule aperta vis, & abrupta crudelitas. Quae merito faciunt, vt in mortis Pauli cauſas non inquiramus, gnari innocentiae.

Quaereremus potius, cur Paulum ciuem Romanum & hoc nomine ex vitae periculis, vinculiſque ereptum non ſemel auſus ſit extremo ſupplicio contra leges mactare: ſi vlla fuiſſet in tyranno legum reuerentia. Dicamus igitur, cur gladio demeſſa ceruix? cur non in crucem actus ad exemplum vel Domini, vel Petri? Voluntati, aut dignitati eius morem geſtum ſine tabulis non dicam: tyrannus enim piacularem, ſacrum, inteſtabilem Paulum cenſuit. Dicamne honeſtati, ac legibus geſtum morem? Neque haec. Scio ſcriptum Xenophonti lib. 2. de Expeditione Cyri: Ἀποτμηθέντες τὰς κεφαλὰς, ὥσπερ κάλλιστον θανάτων ἐδόκει εἶναι. *Capita ſucciſi, quod pulcerrimum mortis genus videbatur.* Romanorumne ſenſus idem? Non equidem priſcae Reipub. temporibus, quibus ſecuris ſeruijt; ſed aeuo Imperatorum gladius increbruit in ſupplicio vltimo, praeſertim honeſtiorum, aut ciuium. Hirtius de bello Hiſpanienſi: *Serui ſunt in crucem ſublati: militi ceruices abſciſſae.* Sic de Paulo ſentit Gabriel Biel ſerm. 21. de Petro, & Paulo: *Petrum quidem tanquam aduenam*

Digitized by Google

crucifigi: Paulum tanquam Romanum ciuem capite ple-ćti. Neroni caput Petri vile: Pauli precioſius, tanquam Romani, tanquam ciuis.

Gladio autem non per pectus acto, quod Sanctorum nonnulli paſſi ſunt, caeſus eſt Paulus; ſed ceruices inciſae. D. Chryſoſt. tom. 5. ſerm. 167. *Παῦλος δὲ ὁ τρισμακάριστος τὴν κεφαλὴν ξίφει ἀπετμήθη. Beatiſsimus Paulus caput gladio truncatus eſt.* Abdias: *Deſecto capite.* Hanc ſententiam ſcriptorum vniuerſitas exoſculatur.

Deſecto autem capite, quo venarum capita conduntur, ex ceruicibus riuos ſanguinis natura, quos diuiſa nequit retinere, proijcit. Iturum autem ex Paulo decollato ſanguinem Gratia lacte vertit. Chryſoſtomus tom. 5. pag 994. *Τὸ σὸν ἐδέξατο αἷμα τὸ γαλακτῶδες ὁραθὲν ἐν χιτῶνι. Tuum excepit ſanguinem, qui lactis ſpeciem habere viſus eſt in veſte.* Quae res cum omnem vincat admirationem, pauciſſimorumque ea fuerit gloria, valentius adſtruenda eſt. Gregorius Turonenſis ſimul cauſam euoluit: *Nec mirum ſi lac eius manauit ex corpore, qui gentes incredulas & parturiuit, & peperit; ac lacte ſpirituali nutritas, ad cibum ſolidum ſcripturarum ſanitatis opaca reſerando perduxit?* Sic D. Aecatherina, quod animarum ſaluti impenſius operata, Chriſto, fideique ſe ſacrificauerit, lac pro ſanguine populis propinauit. Sanctus Ambroſius ſerm. 68. vberius miraculum hoc promit, & cauſas ſubtexit: *De Pauli vero ceruice, cum eam perſecutor gladio percuſſiſſet, dicitur fluxiſſe lactis magis vnda, quam ſanguinis, & mirum in modum ſanctum Apoſtolum baptiſmi gratia in ipſa caede exſtitiſſe ſplendidum potius, quam cruentum.* Alludit candidato-

rum baptiſmi niueum veſtimentum. Ratio prima, & iam proxime a Turonenſi enotata: *Quid enim mirum, ſi abundat lacte nutritor Eccleſiae? ſicut ipſe ad Corinthios ait: Lac vobis potum dedi, non eſcam.* Altera, quod ad veram promiſſionis terram gradu mortis perrexerit Apoſtolus. Illa ſiquidem lacte, ac melle manat, nectare, & ambroſia. Ambroſius: *Haec eſt plane repromiſſionis illa terra, quam patribus noſtris Deus promiſit, dicendo: Dabo vobis terram fluentem lac, & mel. Non enim de hac terra locutus eſt, quae manantibus aquis coenum inuoluit, lutumque permiſcet: ſed de illa terra Pauli, quae iugiter purum ſuaueque diſtillat.* Tertia: *Quae enim Pauli epiſtola non melle dulcior eſt, lacte candidior?* Sic D. Hieronymo *lactea* Liuij laudatur eloquentia, Homero Neſtoris *mellea.* Quarta: *Igitur iam Paulus poſſidet regnum: quoniam caret & ſanguine, qui impedire dicitur regnaturum. Adhuc ergo Paulus in terris poſitus, etiam in regni coeleſtis ſubſtantiam transformatur, cui celſo coeli lactea facta via eſt.* Lac iſtud virginitatis ſymbolum nonnemo ſtatuit. Si ſupra naturam ita ſtatuit, teſtem, viamque ſignificantiae huius perquiro: ſi naturae ſignificantiam aduocabit, vereor vt lac ſignum ſit matris futurae, vel iam enixae. Nec alterius opinio ſpernenda, qui poſt lacteam vndam, Pauli corpus exanimum ſanguinis tullios efflaſſe ſentit. Hoc enim ipſius Chryſoſtomi vox γαλακτῶδες complecti videtur: ea namque non tam eſt lac, quam lactis effigies. Neque reicula eſt Molani opinio lactis fluxam ſiſtentis: ſi tamen Chryſoſtomi locum vidit, aut Ambroſij.

CAP.

CAP. II.

Pauli corpus vbi? Anima vbi, niſi Seraphinos inter?

EFFOSSO iam altero imperij Chriſtiani lumine, vtri cedat Paulus, coelum, ac terra decertant: animam magnam, terraque maiorem coelum ſibi vindicat, exuuias terra. Vbi, vbi condemus orbis Chriſtiani ocellum? In orbis arce Roma? D. Chryſoſtomus tom. 5. ſer. de duodecim Apoſtolis: ὁ μετὰ Πέτρου τὴν Ῥώμην λαχὼν εἰς τάφον: *Paulus cum Petro Romam pro ſepulcro ſortitur.* Idem tom. 7. pag. 836. 845. at orbis alter eſt Roma. Vbi Romae? Via Oſtienſi. Prudentius:

Parte alia titulum Pauli via ſeruat Oſtienſis,
Qua ſtringit amnis caeſpitem ſiniſtrum.

Acta Sancti Timothei: *Corpus via Oſtienſi, prope ſepulcrum beati Pauli Apoſtoli ſepelitur.* Corpus itamque Apoſtoli a Lucina, clariſſima foemina ſenatoria, ſublatum in ſuo praedio via Oſtienſi, honeſto tumulo locatum tradit Gregorius Regiſtri lib. 3. Tumulum Pauli cum Alexandri M. ſepulcro componit D. Chryſoſt. in 2. ad Corinth. & anteponit. Nam Alexandri in ignoratione hominum eſſe ait: Pauli nobiliſſimum. Quod certe ad ipſius aeuum referas. Nam Strabo Alexandriae ponit: Pauli autem illuſtrius ſepulcrum prae Alexandri, valenti ratione conficit Chryſo-

ſtomus ibidem. Nam coccinati Reges tumulo Pauli circumfuſi amplexantur, faſtuque poſito, mortuum deprecantur, & praeſidium efflagitant. Qui honos, quibus eſt habitus Regibus? Memorat & Caius priſcus Theologus, apud Euſebium lib. 2. c. 5. ſe Apoſtolorum trophaea poſſe monſtrare: *Nam ſi libet ad Vaticanum proficiſci*, inquit, *aut in viam, quae Oſtienſis dicitur, te conferre, trophaea eorum, qui iſtam Eccleſiam ſuo ſermone, & virtutę ſtabiliuerunt, inuenies.* Atque hoc ducentis & amplius a Chriſto annis: etſi odijs auernalibus conciti gentiles Chriſtianorum oſſa refodere, cinerem ſpargere, ac diſſipare non erubuerunt, nonne miraculo proximum eſt Apoſtolorum ſepulcra ſarta tecta permanſiſſe? Scilicet vt agnoſcat orbis conditas ſepulcris mortuorum reliquias Apoſtolorum eſſe ſupra omnem armorum potentiam, atque adeo vt cognoſcat Eccleſiae ſtructurae tantam eſſe firmitudinem, vt quauis irruente procella ſit perſtatura.

Quod ſi cadaueris tanta eſt reuerentia, quanto ſurrecti corporis majeſtas erit auguſtior? ὅταν ἔλθῃ ἀντιλάμπων ταῖς ἡλιακαῖς ἀκτῖσι: *Cum ſolaribus radijs aemulus veniet Paulus*, inquit in ſecundam ad Timotheum Chryſoſtomus. Et ad Corinthiacam: Ἐννοήσατε, καὶ φρίξατε, ποῖον ὄψεται θέαμα Ῥώμη τὸν Παῦλον ἐξαίφνης ἀνιστάμενον ἀπὸ τῆς θήκης μετὰ Πέτρου, καὶ αἰρόμενον εἰς ἀπάντησιν τοῦ Χριστοῦ: *Cogitate, & reueremini, quale ſpectaculum Roma ſpectabit, cum Paulum derepente ſurgentem ex conditorio Petro comitatum Chriſto mittet obuiam.* Tunc Nero (inquit in eam, quae ad Timotheum) ſtabit moeſtus, & odioſus.

Porro ſi tantis corpus in tumulo fruitur hono-

ribus: quid ſit cum anima coelitum numeris adſcripta? Chryſoſt. tom. 6. pag. 569. In coelo crebrum Pauli nomen apud Angelos, apud Archangelos, apud ſuperas Virtutes, apud Deum horum Regem. Sed quo illa loco? quibus adſcripta ordinibus? Etſi aliubi curioſitas laude caret, hoc loco eam in Chryſoſtomo elaudabo, cuius illa ſunt tom. 7. pag. 845. Διὰ τοῦτο καὶ ἐκεῖ ἀπελθὼν ἐγγὺς ἵσταται τοῦ θρόνου τοῦ βασιλικοῦ, ἔνθα τὰ Χερουβὶμ δοξάζει, ἔνθα τὰ Σεραφὶμ πέταται: *Quas ob res iam mortuus ibi ſtat prope thronum regium, vbi Deum Cherubini glorificant, vbi Seraphini volitant.* Serm. 32. in eam, quae ad Romanos: Ἔνθα τὰ Χερουβὶμ δοξάζει, ἔνθα τὰ Σεραφὶμ πέταται, ἐκεῖ Παῦλον ὀψόμεθα μετὰ Πέτρου. In 20. Matt. cap. Ὅτι δὲ Παύλου οὐδεὶς πρῶτος ἔσεται παντί που δῆλον. Quod ne videatur inane, aliunde momenta ſuppetunt. Diuus Anſelmus ex quouis ordine Angelos aliquos deciduos cenſet. In quouis igitur ordine vacuefactae ſedes aliquae, quae per homines beatiores refrequententur. Cum vero de mente Chryſoſtomi pauci tanta inueniantur felicitate digni, quanta Paulus: quis cum paucis Seraphici ordinis dignitatem Paulo non arroget, aut Cherubici? Praeterea, Seraphinorum propriae partes amare, caritate ferri, ac disferri. Gregor. M. hom. 8. in Ezechielem: *Idcirco Seraphim Incendium dicuntur: quia Poteſtates ei proximae, in coelis inaeſtimabili amoris eius igne ſuccenſae ſunt.* Item ex ſimilium meritorum comparatione ſedes hominibus adſignandae ſunt, ad ruinas Angelorum reparandas. Quis autem neſcit quanto caritatis aeſtu Paulus efferbuerit? Totus fuit caritatis fax, flamma, rogus, incendium. Diuus Chry-

Digitized by Google

ſoſtomus laudatione Pauli tertia : *Vt ferrum igne merſum , totum fit ignis : ſic Paulus igne caritatis accenſus, ὅλος γέγονεν ἀγάπη, totus fuit caritas.* Ex*ca* parentem vniuerſi nominat: eam Pauli miraculis anteponit vniuerſis non vanus caritatis aeſtimator. Quid quod oblato coelo, coronis impendentibus, ac praemijs, *deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto , multo magis melius ; permanere autem in carne neceſſarium propter* Philippenſes arbitratur, & eligit? Ad Philippenſes cap. 1. Inflammatiſſimi fuit in Deum amoris, Abrahamum dexteram in filium armare, & mactandi voluntatem ſuſcepiſſe. At Paulus in Deum tanto ferebatur ardore, vt ſemet ſexcentis mortibus quotidie immolaret, vt ſecuritatem proximis , & ſalutem procuraret. Notat Chryſoſtomus laudatione 1. & alibi , differitque in ſexta nullum nauis gubernatorem, nullum cum beſtijs depugnantem, nullum gladiatorem tam parato animo aduerſus pericula, mortes, iugulationem conſtitiſſe, quam Paulum : tum Paulo maiora, crebrioraque objecta pericula, tum hoſtes formidabiliores, ac pro coronide : Οὐρανὸς γὰρ τὸ ἆθλον κεῖται: *Coelum namque praemij loco proponebatur.* Cumque in coelo ſtationes diuertantur : quis in celſiſſimam aliquam, hoc eſt, in Seraphicam ſtationem Paulum ſublimatum dubitet? Haec ſententia Maieronis eſt. Sanctus Gregorius M. lib. 38. in Iob, cap. 11. Stephano Paulum his anteponit : *Quis enim crederet , quod per Apoſtolatus gratiam lapidatum Stephanum ille praecederet , qui in morte eius omnium lapidantium veſtimenta ſeruauit?*

CAP. III.

Quid Paulo ſit Anathema.

DVBITET ad Seraphinorum ſtationem (quorum flagrantiſſimus eſt amor) euectum Paulum, qui vel in Deum, vel in proximum Paulini amoris neſcit incendia. Dubitet cuius mentem ardentiſſimae caritatis iſta praeteruolat teſſera Romanis data c. 9. *Optabam enim ego ipſe anathema eſſe a Chriſto pro fratrib. meis, qui ſunt cognati mei ſecundum carnem.* Quo dicto, quid ſibi velit Apoſtolus, quidque ſit *Anathema,* cum tractent plurimi, pauci peruadant, nonnulli delirent, nobis retractandi objecta eſt occaſio. Ante annos triginta ex Odyſſea prima illud;

Μολπή τ', ὀρχηστύς τε· τὰ γάρ τ' ἀναθήματα δαιτός·

ſic enarrabam. Iuſtinus Martyr reſponſat ad quaeſitum Orthodoxorum 121. ſic: Ἀνάθεμα λέγεται τὸ ἀνακείμενον, καὶ ἀφοσιούμενον Θεῷ, καὶ εἰς κοινὴν χρῆσιν μηκέτι λαμβανόμενον, ἢ τὸ ἀπηλλοτριωμένον Θεοῦ διὰ κακίαν: *Anathema dicitur Deo dedicatum, conſecratumque, nec amplius in communem* [ſeu prophanum] *vſum captum, aut quod ob malitiam a Deo alienatum.* Suidas: Ἀνάθεμα καὶ τὸ ἀνατεθειμένον τῷ Θεῷ, καὶ τὸ εἰς ἀφανισμὸν ἐσόμενον· ἀμφότερα σημαίνει. Λέγεται δὲ καὶ Ἀνάθημα. Hoc eſt, Ἀνάθεμα, *&* quod *Deo conſecratum, & quod in nihilum iturum eſt. Vtrumque ſignificat. Dicitur etiam* Ἀνάθημα. Vides tam Ἀνάθεμα, quam Ἀνάθημα, ambigua eſſe, in meliorem, deterioremque

partem abſque diſcrimine ſumi, vt veterib. Ἐπίθεμα, Ἐπίθημα. Φέρνμα paſſim: Macarij Alex. homil. 2. τόρεμα, edente Morello. Signat ergo *Donarium*, ſeu *rem ſacram*, & *Exſecrabilem*, καὶ εὐφημισμὸν, ſiue per antiphraſin, vt Grammatiſtis loqui ſollenne eſt, & dicit D. Chryſoſtomus in c. 9. ad Roman. Ἀπὸ τοῦ ἐναντίου. Quare vaneſcit diſtinctus, Ἀναθέματος, καὶ Ἀναθήματος, nuper inuectus ab enarratore Pauli. Eſt & prorſus indubium Alciatum, & quorum meminit D. Hieronymus, erraſſe perſpicue, qui vocem illam Graeciae negant. Atque haec propoſito noſtro apposite dicuntur: alioqui καθολικωτέρα ſignificantia Ἀναθήματα, ſunt quae *in ſublimi ponuntur*, puta ex tholis, & laquearibus appenſa donaria, dedicata, conſecrata, quibus differtiſſima eſt vetus hiſtoria. Herodotus libro 1. apud Taenarum effigiem Arionis delphino inſidentis vocat, Ἀνάθημα χάλκεον. Ibidem Croeſi lateres, leo, crater ex auro, crater alter, & dolia ex argento ſunt donaria, ſiue dona ſacra, de quibus ibi dicitur, Ἀνέθηκε, ἀνάθημα. Lib. 2. Ἀνέθηκε δὲ ἀναθήματα καὶ Ἄμασις: *Anathemata dedicauit etiam Amaſis*. De Croeſi *Anathematis*, iterum ſingillatim vt perierint, multa Diodorus lib. 16. Plutarchus in Pelopida, Ἀνάθημα δὲ τοιόνδε ποιῆσαι dixit de inſcriptione propoſita, editaq. Candelabrum Antiochi Regis, Verrina 6. Ἀνάθημα, *Anathema* dixiſſet Tullius, ſi Graece ſediſſet loqui potius, quam Latine *Donum* dicere. Quo verbi vſu vix aliud quidquam apud Pauſaniam crebrius occurrit. Ea autem *Anathemata* fuere templis ornamenta: hinc generatim *Anathemata* pro *ornamentis*, vt ſupero Odyſſeae loco, *Cantio*, & *Saltatio* conuiuij di-

cuntur *Ἀναθήματα*, *Ornamenta*. Interprete Heſychio: *Ἀναθήματα δαιτὸς, κοσμήματα τῆς εὐωχίας.* Vti vero Scripturae locutio eſt: *Benedic Deo*, pro *Maledic*, & ſic male ominatis parcere verbis: ſic *Anathema*, non pro *re* tantum *ſacrata*; ſed pro *re execrabili* quoque vſurpare. Pro *re ſacra*, ſiue donario, Lucae 21. c. Τινῶν λεγόντων περὶ τοῦ ἱεροῦ, ὅτι λίθοις καλοῖς, καὶ ἀναθήμασι κεκόσμηται: *Quibuſdam dicentibus de templo, quod bonis lapidibus, & donis ornatum eſſet.* Et *Dona* Cicero ſemper *Anathemata* vocat. Quemadmodum autem *Anathema* Deo conſecratum, nemo temere manu tangit, ne quidem fit propior, idque honoris cauſa: ita contrario ſenſu ſeparatum ab Eccleſia, refugiunt omnes, & longiſſime abeunt, ideoque *Anathema* dicitur. Haec Chryſoſtomus in epiſt. ad Romanos, quo ſuper pluria multa cum luce Couarruuias tom. 2. in c. Alina 1. p. §. 5. Item Chryſoſtomus tom. 6. ſerm. de non Anathematizando: Παρ' ἡμῖν ἄχρι τῆς σήμερον ἡμέρας κοινὴ συνήθεια παρὰ πᾶσι κεκράτηκεν, ὁ δεῖνα τόδε πεποιηκὼς, τὸ ἀνάθεμα εἰς τόνδε τόπον ἀπήγαγεν. Ἄρα γε τοῦτο ἐστὶ τὸ Ἀνάθεμα; καί τοι γε τοῦτο, ὡς περί τινος ἀγαθοῦ λέλεκται τὸ ἀνατεθῆναι Θεῷ. Τί οὖν ἐστὶν ὃ λέγεις ἀνάθεμα, ἀλλ' ὅτι ἀνατεθήτω τῷ διαβόλῳ, καὶ μηκέτι χώραν σωτηρίας ἐχέτω, γινέσθω ἀλλότριος ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ. *Apud nos in hodiernum vſque diem mos communis apud omnes obtinuit, Neſcio quis, hoc qui commiſit ſcelus,* Ἀνάθεμα *illud eo loci abijt. Namque igitur eſt Anathema, ſiue ſcelus illud? Licet hoc* [Anathema] *vt de bono quopiam, de re Deo dicata dicatur. Quid igitur vocas Anathema, niſi, Dedatur Diabolo, nec amplius locum ſalutis habeat, ſit a Chriſto abalienatus.* Sic vno, eodemque capite 7. Ioſue, Achan

tulit aliquid de Anathemate, hoc eſt, de re Deo dicata, aut dicanda. Item: *Pollutus eſt Anathemate.* Viderat enim inter ſpolia *pallium coccineum valde bonum, & ducentos ſiclos argenti, regulamque auream quinquaginta ſiclorum*, quae reuelata de humo, *proiecerunt ante Dominum*, quod prius factum oportuerat, & non in vſus priuatos ſeponi. Poſtea dicitur: *Quia turbaſti nos, exturbet te Deus in die hac. Lapidauitque eum omnis Iſraël: & cuncta, quae illius erant, igne conſumta ſunt.* Et ſic Achan factus eſt maledictum, & anathema, & ſi voles, expiationis hoſtia, homo piacularis proprio demerito. LXX. hiſce locis Ἀνάθεμα. Similiter c. 6. vbi eſt: *Cauete ne de his, quae praecepta ſunt, quidquam contingatis.* LXX. habent: φυλάξασθε ἀπὸ τοῦ Ἀναθέματος: *Cauebitis ab anathemate.* Conſequenter vulgata verſio: *Omnia caſtra Iſraël ſub peccato ſint, atque turbentur.* LXX. Ποιήσητε τὴν παρεμβολὴν τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ ἀνάθεμα, καὶ ἐκτρίψητε ἡμᾶς. Eraſmus: *Faciatis caſtra filiorum Iſraël anathema, & elidatis nos.* Hoc eſt, *Ne Iſraël velut ſacer, ſiue exſecrabilis Dei maledictionem incurrat, & exteratur*, ſiue *elidatur.* Chryſoſt. antedicto loco de Paulo: Οὐκ ἀναθέματα ἐπέφερεν οὐδενί: *Non anathemata* [ſiue *maledicta*] *ingerebat vlli.* Hinc Ἀναθεματίζειν, *Anathema imprecari, Maledicto obijcere.* Veteres, *Anathemare*, aut *Anathematizare* dixiſſe ex Euangelijs, & Auguſtino perſpicuum eſt.

Satis, ſuperque de plurifaria vocis ſignificantia, & emphaſi: nunc de ſenſu, ac mente Pauli veſtigandum. Diuus Hieronymus Algaſiae nouam quaeſtionem hanc explicat, cuius verba compendij facimus. *Si enim in Deum tantae eſt ca-*

Digitized by Google

ritatis , inquit , *vt nec metu mortis , nec ſpe vitae, nec perſecutione , nec fame , nec nuditate , nec periculo , nec gladio poßit ſeparari a caritate eius. Et , Si Angeli quoque , & Poteſtates , & vel praeſentia, vel futura , & omnes coelorum Fortitudines , & excelſa pariter , ac profunda , & vniuerſa ſimul creatura ei ingruat , quod nequaquam poteſt fieri : tamen non ſeparetur a caritate Dei, quam habet in Chriſtum IESVM, quae eſt iſta tanta mutatio , imo inaudita prudentia, vt pro caritate Chriſti nolit habere Chriſtum? Et ne forſitan non credamus, iurat, & confirmat in Chriſto, & conſcientiae ſuae teſtem inuocat Spiritum S. ſe habere triſtitiam non leuem , ac fortuitam : ſed magnam , & incredibilem; & habere dolorem in corde, non qui ad horam pungat , & tranſeat : ſed qui iugiter in corde permaneat.* Tandem praetermiſſis Moſis votis, concludit, diffinitque: *Simulque cerne Apoſtolum, quantae caritatis in Chriſtum ſit, vt pro illo cupiat mori , & ſolus perire , dummodo omne in illum credat humanum genus : perire autem non in perpetuum, ſed impraeſentiarum.* Firmat ex eo, quod adducit Apoſtolus de quadrageſimo tertio Pſalmo : *Quoniam propter te mortificamur tota die, reputati ſumus vt oues occiſionis. Vult ergo Apoſtolus* , inquit, *perire in carne , vt alij ſaluentur in ſpiritu : ſuum ſanguinem fundere , vt multorum animae conſeruentur. Quod autem Anathema interdum occiſionem ſonet , multis veteris inſtrumenti teſtimonijs probari poteſt.* Haec Hieronymus, quibus de temporaria vita, & morte Paulum audit. Micat in hac D. Hieronymi ſententia multum veri, ideoque magis declaratur, & explicatur ex proxime collatis verbis eius. *Anathema* occiſionem eſſe vult, idque ex vetere

inſtrumento, quod indubium eſt primum ex morte Acham; tum ex eo quod Anathema ſit homo ſacer, inteſtabilis, & *Purgamentum*, de quo capite 14. lib. 2. compluſcula ſcripſimus. Praeterea, rem quamuis magnam, & arduam ſi quis morte paciſci promtus, paratuſque eſt, non videtur quidquam vltra offerre, liceri, aut paciſci poſſe. Quare abunde multum eſt, ſi Paulus huius lucis honorem, & vſuram pro ſuorum ſalute prodigat. Abunde multum eſt, ſi hanc caritatem Deo, proximoque impendat. Hauſit forte doctrinam hanc ex Baſilio M. qui ad Interrogationem tertiam reſpondens ait: Παῦλος δὲ ἀνάθεμα εἶναι ἀπὸ Χριστοῦ ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν αὐτοῦ τῶν συγγενῶν κατὰ σάρκα ἀπετόλμησεν εὔξασθαι, τῆς πάντων σωτηρίας ἑαυτὸν ἀντάλλαγμα κατὰ μίμησιν τοῦ Κυρίου γενέσθαι βουλόμενος. Ἅμα δὲ καὶ εἰδώς, ὅτι ἀμήχανον ἦν ἀλλοτριωθῆναι Θεοῦ, τὸν διὰ τὴν εἰς αὐτὸν ἀγάπην ὑπὲρ τῆς μεγίστης τῶν ἐντολῶν τὴν παρὰ τοῦ Θεοῦ χάριν προϊέμενον, Dei gratiam prodigeret.

Verum haec ſententia Chryſoſtomo non neſcia eſt, & vilis tamen, ad quam deterendam vires adſumet in medio poſita mens Chryſoſtomi, & collata firmamenta. Scribit igitur Chryſoſt. tom. 8. Pauli laudatione prima, eum non communi cum ſocijs exitio perire optaſſe: Ἀλλ' ἑτέρων σωζομένων αὐτὸς ἐκπεσεῖν τῆς δόξης τῆς ἀπείρου: *Sed alijs ſaluis interminata gloria geſtit excidere.* Commentario in epiſt. ad Romanos exaggerat Iudaeorum murmura, & blaſphemias. Iudaeis promiſſus eſt Saluator: gentibus datus ſcilicet. Ex Iudaeis generatus: & alienigenis ſalutem attulit. Iudaeorum maioribus promiſſus eſt: & poſteros eorum valere iuſſit, inque Iudaeorum poſſeſſiones eos,

qui nunquam Saluatorem norant, immiſit. Iudaei legem meditando fatiſcebant, prophetiaſq. lectitando: atque heri, & hodie ab aris, ab idolis reuerſi, primas obtinent. Vbi in his prouidentia? Hae res fabulae ſunt. Pauli animum magnum acrius haec feriebant. Haec igitur vt ſubmoueat, haec ne audiat de Domino ſuo, etſi dicebantur iniuria: Βασιλείας ἡδέως ἂν ἐκπίπτειν, καὶ τῆς δόξης ἐκείνης τῆς ἀπορρήτου, καὶ πάντα ὑπομένειν δεινά, μεγίστην ἁπάντων ἡγούμενος παραμυθίαν εἶναι τῶν πόνων, τὸ τὸν ποθούμενον μηκέτι βλασφημούμενον ἀκούειν: *Regno libenter excidam*, inquit, *illaque ineffabili gloria, & omnia quantumuis grauia ſuſtinuerim, maximam laborum omnium conſolationem ratus, dilectum meum [IESVM] blaſphemijs appeti non amplius audiens.* Ecquae illa *quantumuis* grauia? Laudatione ſexta: Οὐδὲ γέενναν παραιτεῖται διὰ τὸν ποθούμενον Ἰησοῦν: *Neque ob dilectum IESVM gehennam recuſat.* Haeccine Chryſoſtomi mens? Haec ne dubites, etſi haec teſtatiſſima, apertiſſimaque eſt lib. 4. de Sacerdotio, ſiue de Epiſcopatu: tot, tantiſque rebus praeclare geſtis ſexcentas meritus coronas: Ηὔξατο εἰς γέενναν ἀπελθεῖν, καὶ αἰωνίῳ παραδοθῆναι κολάσει ὑπὲρ τοῦ τοὺς πολλάκις αὐτὸν καὶ λιθάσαντας, καὶ ἀνελόντας τό γε αὐτῶν μέρος, Ἰουδαίους σωθῆναι, καὶ τῷ Χριστῷ προσελθεῖν. Haec ſunt: *Optauit in gehennam deſcendere, & aeternis tradi poenis, vt qui ſaepius ipſum lapidauerant Iudaei, & ſaepius, quantum pote, ſuſtulerant, ſalutem conſequerentur, & Chriſto coniungerentur.* Papae! Si ſemel dumtaxat eſſent haec a Chryſoſtomo conſignata, eſſet fortaſſe mens eius dubitabilis. At tot locis id videmus, vt nefas ſit indubitare. Quare verbis grauiſſimis, atque euidentiſſimis hanc Pauli caritatem exagge-

Digitized by Google

rat, modo ἀπόρρητον, καὶ παράδοξον ἀγάπην appellitans, *ineffabilem caritatem*, *praeterque opinionem*: modo φλόγα τὴν ἄφατον, *flammam dictione inexplicabilem*: modo πέλαγος τῆς ἀγάπης, *Caritatis mare*: modo *eum omnium mortalium ſupergreſſum caritatem*: modo *ſupereminentem.*

Eius autem eminentia haec. Quot diebus emoriens, & creberrima ponens pericula dixit c.8. ad Romanos: *Quis ergo nos ſeparabit a caritate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius?* Et neque his contentus; ſed coelum ſupergreſſus, inquit Chryſoſtomus, & coelum coelorum, & Angelos, & Archangelos, & ſuper omnia ſupera curſans, ſimulque comprehendens praeſentia, futura, quae oculis, ac mente fas aſſequi, triſtia, ſuauia, omnino praetermittens nihil; & neque ſic ſatiatus; ſed & ſuppoſita creatura alia non exſiſtente: non putas maius aliquid elocutum Apoſtolum, cum ſe optat anathema, quam vt mortis temporariae mentionem iniecerit? Non ita eſt, non ita. Vermiculorum in fimo haerentium opinio haec. Id ſi tantum dixit, cur ſe *a Chriſto Anathema optauit?* talis namque mors cum Chriſto ſocietatem coït, non quenquam ab eo diuellit. Deinde eorum ponit opinionem, qui Paulum putarint Chriſti κειμήλιον, καὶ ἀνάθημα τοῦ, (vbi animaduerte Ανάθημα etiam ex Graecorum intelligentium vſu in optimam partem vſurpatum) Chriſti *delicias, & donarium fieri optaſſe*: quam opinionem perridiculam, fabularem, puellarem, balbutientium nominat, & ſpernit.

Suam vero ſententiam Chryſoſtomus ex cauſa

& fine potiſſimum corroborat, quam niſi conſideramus, & Eliam homicidam, inquit, dicemus, & non homicidam tantum Abrahamum, ſed & filij interemtorem: & Phinees, & Petrum commiſſae caedis inſimulabimus. Neque vero de ſanctis tantummodo; verum & de vniuerſi Deo multa ſuſpicabitur abſurda, qui legem hanc, canonemque non ſeruauerit. Quod ne eueniat, & cauſam, & mentem, & occaſionem, & omnia, quae ad facinoris alicuius defenſionem conferri ſuetum eſt, circa rem hanc examina. Ecquae igitur cauſa? IESVS ipſe amatus. Nam cum pro fratribus ſuis, pro cognatis ſuis ſecundum carnem ſe *Anathema* optare dixiſſet, addit, *Quorum adoptio eſt filiorum, & gloria, & teſtamentum, & legiſlatio, & obſequium, & promiſſa. Quorum Patres, & ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula, Amen.* Haec finis, haec meta ſuprema. Atque vt ſe purae putae Chriſti gloriae ſtudere commonſtret, optat *anathema* eſſe pro fratribus, hoc eſt, pro Iudaeis. Id ſi, vt aliqui fidem conſequerentur, optaſſet, oportebat & pro gentibus id optaſſe. Quod ſi pro ſolis Iudaeis optaſſet, viſus eſſet, hoc eorum familiaritati tribuiſſe, non propter Chriſtum. Si pro gentibus id familiaritati datum, non peraeque manifeſtum fuiſſet. Quandoquidem autem pro ſolis Iudaeis votum hoc concepit, pure ob Chriſti gloriam hoc Paulum efferri ſtudio demonſtratur. Quoniam, vti dictum, Chriſtum Iudaei blaſphemijs proſcindebant, & criminabantur omnes, quod filiorum Dei dignitatem

Digitized by Google

conſecuti, lege honorati, ante omnes Numinis gnari, & tantae gloriae fructu laetati, quod ipſum prae vniuerſo orbe coluiſſent, quod promiſſa Dei excepiſſent, quod contribules eſſent, quod ipſius Chriſti progenitores; & nihilominus eiecti ſint, & dedecore affecti. Harum blaſphemiarum aculeo Paulus ictus, & pro gloria Dei, dolore correptus, optabat *anathema* eſſe, vt Iudaei ſalutem conſequantur, vt blaſphemiarum finis ſit, ac ne Iudaeorum poſteros, quibus gratias Deus promiſerat, fefelliſſe videatur. Quo autem intelligas ideo doluiſſe Paulum, ne Abrahamo facta promiſſio: *Tibi dabo terram hanc, & ſemini tuo*, intercidiſſe videretur, hoc optauit, ac deinde haec vbi dicta, adiecit, *Non autem quod exciderit verbum Dei.*

Porro vt animi dubios certiores faciamus, non determinata, fixaque voluntate *anathema* eſſe Paulus optauit: res namque impoſſibilis extra humanae appetentiae metas proiecta eſt. Sed, *Si fieri poſſet*, hoc optauit. Chryſoſtomus: Ηὔξατο ἀνάθεμα εἶναι εἴγε δυνατὸν ἦν. Sic in c. 9. ad Romanos. Alias quoq. Apoſtolus poſſibilitatis conditione nixus, ſic Galatas animabat in circumciſionis legem propenſiores, c. 1. *Licet nos, aut Angelus de coelo euangelizet vobis, praeterquam quod euangelizamus vobis, anathema ſit.* Si fieri poſſet, vt Paulus animi mutatus, aliud euangelizaret: aut ſi fieri poſſet, vt Angelus Euangelij veritati reclamaret. Iſidorus Peluſiota ad Chryſoſt. accedit epiſt. 58. ad Iſchyrionem: Ἐκεῖνος μὲν γὰρ ἔλεγεν, Ἀσμένως ἄν, εἰ οἷόν τε ἦν, καὶ ἀλλοτριωθῆναι τοῦ Χριστοῦ ὑπὲρ τοῦ αὐτὸν τὸν Χριστὸν παρὰ πάντων δοξάζεσθαι. Vide ſis reſtantia.

Digitized by Google

Nihilominus ex hac animi promtitudine conditionata, mirus in Chriſtum ardor erupit, & Seraphici exercitus honore dignus.

A Chriſto autem vel amante, vel amato ſeiungi nullus optauit Paulus. Optare autem a beatorum conſortio, & voluptate diuelli, ac gehennae pati incendia pro Chriſto, amor eſt nimis exuberans, ſupra ſortem humanae philautiae, ac forte Angelorum. His tamen votis pectoris ſui aeſtus Paulus eructatus eſt, & quam torrentiſſimis pro Iudaeorum ſalute deſiderijs excubaret, patefecit.

CAP. IV.

Mortis tempus an Paulo neſcium fuerit?

PAVLI corpus exanimum ſepulcro condidimus: animam Seraphinorum numeris additam cum aliqua probabilitate poſuimus: ſed anne Paulo priuilegium hoc diuinitus datum, vt abitionis ſuae tempus praecognoſceret? Eccleſiaſtae 7. *Futura nullo poteſt ſcire nuncio* homo. Horatius lib. 3. Od. 29.

Prudens futuri temporis exitum
Caliginoſa nocte premit Deus.

Dionyſius Halicar. lib. 8. Οὐδενὶ θνητῷ φύσει Θεοὶ τῶν μελλόντων ἔσεσθαι βεβαίαν ἐπιστήμην ἔδωκαν ἔχειν. Quare vanis rationibus Apollonium Philoſtratus lib. 1. c. 2. defendit, ac magiae turpitudinem ab eo

depellit. Naturae namq. facultates futuri ſcientiam dant nemini: neque diuinitus futuri ſcientiam indeptus eſt: ergo vel neſciuit, vel a daemone ſciuit, vel magico cantu. Effecta cum cauſis neceſſario connexa iure excipimus. Philoſtrati autem prima defenſio ex eo petitur, quod alioqui pariter accuſandi Socrates, qui daemonij ope multa praenouit, & Anaxagoras. Hocce ſcripto Socratem ipſe damnat. Anaxagorae praedictio de pluuia, naturalium cauſarum ſpeculatione ſtat, & altera de ruina domus, muſculorum fuga niti potuit, & tertia de 4. die in noctem verſa, pertinet ad ſolis deliquium. In eo Apollonij capite interpretis ſtupor mirus. Ponit enim de ſuo, *Domum omnium iudicio firmiſſimam.* Quae ἀντίρρησις in Graeco non eſt. Ἀντίρρησις autem eſt. Nam ſi omnes iudicarunt firmiſſimam: ergo Apollonij fuit idem iudicium. Non potuit autem ſimul iudicare firmiſſimam, & ruituram, quia ruinoſa. Altera eius in eo eſt contradictio ibi: *Cum nulla pluuiae ſuſpicio immineret.* Hoc in Graeco non eſt. Quo tamen poſito, conficio illud: Ergo ad Anaxagoram non pertinebat ea ſuſpicio: pertinebat tamen: quia praedixit, & aduerſus pluuiam ideo villoſa pelle ſe protexit. Cum tamen Apollonius Apollinis conſuetudini haec tribuit, & Ioui, quae Pythagoras certo vaticinatus videbatur: a daemonibus eam hauſtam diſciplinam non immanifeſtum facit.

Quod ſi homo futuri neſcius eſt: & futurae mortis, etiam ſuae, niſi ex Dei doctrina. Deus autem an Paulum hac cognitione participarit, quaerimus, ac ſic primum diuinamus. Cum Sanctorum

Digitized by Google

ctorum plurimi meritis etiam infra Paulum mortis ſuae praemoniti ſint cum ſumma ſua conſolatione: cur non Apoſtoli par erit praerogatiua? Sanctus Petrus in 2. *Certus ſum quod velox eſt depoſitio tabernaculi mei; ſecundum quod & Dominus noſter IESVS Chriſtus ſignificauit mihi.* De S. Martha dicit Eccleſia lect. 3. *Morte ſua multo ante praedicta.* De S. Cypriano idem a Pontio narratur. In monaſterio S. Iſidori in Thebaïde M. monachi, quorum ſinguli toti ſocietati lethi tempus indicabant imminentis, & in certam mortem compoſiti obdormiebant, Palladius ſect. 71. Mortis nuncium mercatori cuidam a Presbyteris allatum, idem commemorat ſect. 65. & ſect. 139. virgo ſexagenaria nec febri, nec dolore capitis tentata, moritur, de die mortis per Coluthum Martyrem facta certior. Apud eundem Acepſymas quinquaginta diebus ante mortis praemonetur. Idem priuilegium Cunoni conceſſum apud Caeſarium lib. 11. c. 17. Iſabellae, Fauſtinae, cuidam crurifragium pano apud Caciagnerum. De S. Lyduina, de eius parente, de S. Franciſca Romana; deque alijs perplurimis prodúnt idem hiſtoriae. Cur non & Paulo, quem in benedictionibus gratiarum praeuenit Deus, & in delicijs habuit? Dices ex communi paene omnium ignoratione praeſumendam non eſſe praerogatiuam, niſi ex veterum monimentis. At ſacrarum literarum monimentis ſatis id teſtatum videtur. Primo c. 9. Actorum dicit Chriſtus: *Ego enim oſtendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Inter alia paſſus eſt mortem, & quidem ex humanae naturae neceſſitate: ergo *oportuiſſe* Pau-

Digitized by Google

lum mortem pati oſtendit illi Chriſtus. Reclamabis. Oſtentam eſſe mortem abſque temporis reuelatione. Repono abſque temporis reuelatione mortem non oſtendi: ſciunt enim omnes naturaliter *ſtatutum eſſe hominibus mori*. Item Actorum c. 20. *Nunc ecce ego ſcio, quia amplius non videbitis faciem meam vos omnes, per quos tranſiui praedicans verbum Dei.* Ibidem ſubtexitur: *Magnus autem fletus factus eſt omnium; & procumbentes ſuper collum Pauli, oſculabantur eum. Dolentes maxime in verbo, quod dixerat: quoniam amplius faciem eius non eſſent viſuri.* 2. ad Timotheum 4. *Ego enim iam delibor, & tempus reſolutionis meae inſtat.* Quid diſertius, aut euidentius? Atque hunc locum quoque Nicephorus Calliſtus lib. 2. c. 34. ita intellexit. Quod tempus idem Nicephorus expreſſit c. 36. *Paulum vero gladio feriens occidit, eodem tempore, eodemque die*, quo Petrum. Sic & ſerm. 68. D. Ambroſ. *Nam prima haec in illis beatitudo eſt, quod ambo vna die paſſi eſſe noſcuntur. Scilicet, vt quos vna fides ſeruitio deuinxerat, vna dies martyrio coronaret.* Quam ſententiam ita diuinus corroborat Baronius, tam multa fulcit auctoritate, vt contrariam opinionem haereticorum garritum cum priſcis nominet. Dies autem fuit tertio Calendas Iulias, praeſcijtque Paulus. Prudentius:

Non hora vatem, non dies feſellit.

Quod eum diuina reuelatione praeſciſſe volunt Dionyſius Chartuſianus, & Arias in 20. c. Actorum.

CAP. V.

Paulo Feſtae luces.

QVAMPLVRIBVS animis coelo receptis feſtos dies inſtitui Eccleſiae Catholicae mos ad coelitem vſque Paulum explicatus inueterauit.

Felix videlicet, — *diciq. beatus*
Ante obitum nemo, ſupremaque funera debet.

Nemo beatitatis nomine honorandus, niſi beatorum numeris adſcriptus. Coeleſtis beatitas ſuprema, atque abſolutiſſima eſt: ſanctitatis, ſeu gratiae nomine cognita beatitas, imperfecta adhuc illa quidem, ſemen tamen abſolutiſſimae beatitatis in gremio complectitur. Ob hanc inchoatam beatitatem cum Paulo in terris communicatam in conuerſionis animi primordio Eccleſia alterum diem feſtum Paulo coeliti inſtituit. Quid cauſae? Matthaeus lucris inhians, Magdalis victa turpitudine, Latro iam iam impendente letho territus, Cyprianus magiae, Auguſtinus Manichaeorum pertaeſus, vitae anteactae ſexcenti alij Fidem, Crucem, Chriſtum ſerio, & conſtantiſſime complectuntur: de eorum in melius conuerſione, & ſi non ſiletur, feſti tamen dies non agitantur. Vnius Pauli Conuerſio feſti die obſeruatione ſollemniter in Eccleſia vniuerſali celebratur. Cur hoc? Ad Romanos 7. *Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia*, non

Dei ſolum; ſed hominum, ſiue Eccleſiae in Diui Pauli honorem eo nomine propenſiſſimae. Id ſi ſit, quia Chriſto vocanti non interceſſit Paulus objecta mora: Petrus, & Andreas, qui *continuo relictu retibus* ſecuti ſunt eum, ſuppares hoc merito videre poſſunt. Item Matthaeus, qui audito, *Sequere me*, ſecutus eſt. Si id ſit, quia viſo Chriſto Paulus manus dedit: non potiores ſunt Valerianus, & Tiburtius germanitate nobiles, qui Caeciliae Angelum dumtaxat *diuino ſplendore fulgentem* conſpicati, Chriſti iugum volentes ſubiere? Theophilus quoque viſis roſis, maliſque miſſu S. Dorotheae, nedum Chriſto. At in Paulo *ſuperabundauit gratia* Dei: in eo congeſtum eſt, quidquid in caeteris ſparſum, in Conuerſione. Ab vltimo vocationis principio renouanda memoria. Totis in Eccleſiae ſurgentis vulnera, & excidium viribus ibat Paulus, vtque mellitiſſimi Bernardi ore loquar, hac furia vectus ibat. Sedent interim Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, coelitum omnium cunei. Vnus ſolus horum, & vniuerſi Deus, ac Dominus Paulo manum inijcit: ille ipſe, qui olim mundo liberando eſt a Patre deſtinatus, rurſus effulſit e coelo, Paulo retrovertendo, & recreando Chriſtus IESVS, multa luce amictus, quae & circumfuſum aërem illuminabat, & Pauli, comitumque oculos perſtringebat. Chriſtus Verbum Patris voce valentiſſima in Paulum inuehitur, eum corripit, corrigitque deuium. Chriſtum deinde Paulus audit, videtq. in corpore immortali glorioſum de mente Diui Thomae 3. p. q. 57. a. 6. ad 3. Viſo Chriſto, viſa luce nimia Paulus occaecatur, toto corpore co-

horreſcit, in terram ruit. Haec aut miracula ſunt, aut miraculis proxima. Diui Thomae ſigillum 1. 2. q. 113. a. 10. *Quandoque vero tam vehementer Deus animam mouet, vt ſtatim quandam perfectionem iuſtitiae adſequatur, ſicut fuit in conuerſione Pauli, adhibita etiam exterius miraculoſa proſtratione, & ideo conuerſio Pauli tanquam miraculoſa in Eccleſia commemoratur celebriter.* Vbi notare videtur Angelicus Doctor auerſiſſimam a Chriſto Pauli mentem de-ſubito ad eum ab eo verti, rem eſſe miraculo proximam. Nec immerito. Cum enim zeli Paulini rabies ferueret maxime: tunc zeli IESV ardor Paulum coquit, & verſat: aliaque omnia miranda in hanc feruntur metam.

Eſt & alia miraculorum congeries in Pauli conuerſione. Viſus Paulo reſtitutus: Spiritus S. gratia apertiſſimis catarractis pleniſſime in eum effuſa: nec ſolum gratia, ſed coeleſtis doctrina. 2. ad Galatas: *Non enim accepi ab homine: ſed a Deo.* Adde reuelatum Paulo Ananiam, & quae Ananiae de Paulo per reuelationem Deus notificauit, Iturum per gentes, ac regna, nomenque IESV ijs importaturum, &, quod caput eſt, certiorem factum Ananiam de Pauli ſalute, ac praedeſtinatione: *Quia vas electionis eſt mihi iſte.*

Conuerſionis luce feſta honoratae haec cauſa princeps eſt, ac potiſſima. Altera. Vt coelum, vt terra ſpatio, poſituque diuertunt: ſic ingenio. Coelum ſolas animas ab omni ſorde ſecretas receptat: terra plures maculis, ac peccati faece litas. Plures autem impenſius curat Eccleſia prae paucioribus, & maculas detergendi, quam immaculatas ſeruandi cura aliquanto magis eſt ne-

Digitized by Google

ceſſaria. Scelere igitur maculatis hominibus Pauli ad meliora verſi ſpeculum proponit, quippe qui ex deterrimo perfectiſſimus euaſit. Hoc & Chriſto fuiſſe propoſitum, Paulus ipſemet Timotheum docet: *ſed ideo miſericordiam conſecutus ſum* (non iam dicit, quod alias: *Quia ignorans feci:* ſed) *vt in me primo oſtenderet Chriſtus IESVS omnem patientiam ad informationem eorum, qui credituri ſunt illi in vitam aeternam.* Exemplum enim Pauli conuerſi eſt illuſtriſſimum.

Tertia eſto, ſi volentia eſt. Vt cum procella deſaeuijt, purior aether nitet: nec coelo tantum, ſed & mentibus humanis ſerenitas redit. Sic Paulus cum rabiret inſanum, ardentiſſimo luctu conficiebatur Eccleſia: deſijt irarum, & odij Paulus; illa periculis, metuque liberata laetatur immenſum, atque hoc ſuum gaudium feſta luce Conuerſionis S. Pauli venturum in aeuum producit.

Verum, quod omnia mira, prodigiaque ſuperat, Eccleſia vniuerſa Pauli Conuerſionem feſta luce confitente, quis eam abneget? Quiſquis Paulum in vtero ſanctificatum ſcribit, praedicat, decernit.

Conuenit autem haec feſtiuitas cum octauo Kal. Febr. ſuper quo Beda, Vſuardus, Ado, Baronius adiri queunt.

Peculiaris haec D. Paulo feſtiuitas: communis, quam tertius Kal. Iuliarum ſibi vindicat, cum caetera Sanctorum ſocietate, & cum S. Petro indiuiſa, de qua cum praeclare in Martyrologio Romano Baronius egerit, dicere plura ſuperſedeo.

Digitized by Google

CAP. VI.

Pauli Viſiones.

SI *oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis adſcendit, quae praeparauit Deus ijs, qui diligunt illum*, 1. Cor. 2. Si ſempiterna Dei viſio, quae vel imi ſubſellij coelites beat, mortali homini inaperta eſt, inguſtata, ineffabilis: quid Paulo fiet ordines coelitum omnes ſupergreſſo, cuique pro amoris Dei in terris aequipondio, viſionis diuinae fructus redhoſtitur vberrimus; atque inexplicabilis! Mergitur mens eius aeternae voluptatis oceano: quis ad haſce delicias adumbrandas animum, calamumve applicet? Deſiderijs ſatis ſit eo adſpiraſſe, ac in Pauli, Sanctorumq. veſtigia pedem poſuiſſe conari. Nos alias hinc ad viſiones prolixiſſimus in Paulum coeli fauor vocat: ad viſiones Dei ſcilicet Paulo dum mortali conceſſas. Neque Chriſti IESV auguſtiſſima majeſtas atteritur, aut anguſtatur, ſi pro ſapientiae ſuae modo, quamuis coeli fornices ſuperuaſerit, quandoque terras reuiſat. Doctor Angelicus 3. p. q. 57. a. 6. ad 3. αὐτολεξεὶ ait Chriſti dignitati nil derogari, *Si ex aliqua diſpenſatione Chriſtus quandoque corporaliter ad terram deſcendat, vel vt oſtendat ſe omnibus, ſicut in iudicio: vel vt oſtendat ſe alicui ſpecialiter, ſicut Paulo, vt habetur Actor. 9. Et ne quis credat hoc factum fuiſſe, non Chriſto ibi corporaliter praeſente; ſed ali-*

qualiter apparente, contrarium apparet per hoc, quod ipſe Apoſtolus dicit 1. *ad Cor.* 15. *ad confirmandam reſurrectionis fidem: Nouiſsime omnium tanquam abortiuo viſus eſt & mihi. Quae quidem viſio veritatem reſurrectionis non probaret, niſi verum Chriſti corpus viſum fuiſſet ab eo.* Chryſoſtomus item in 1. ad Corinth. cap. 15. quaeſita veritate illius: ὤφθη Κηφᾷ, εἶτα τοῖς δώδεκα: *Viſus eſt Cephae, & poſt hoc duodecim.* Sic Graeci codices, Graecique Patres legunt. Haec vt vera, ſi viſus ante adſcenſionem, cum Matthias nondum tunc Iudae locum ſubijſſet? veriſimile reſpondet Chryſoſtomus, viſionem hanc ab adſcenſione Chriſti contigiſſe. Ego vt hunc articulum temporis complecti non neceſſe habeo: ita ex Chryſoſtomi ſententia, apparitionem poſt adſcenſionem Chriſto indecoram, aut inhonoram nemo iudicare poteſt.

Primum igitur Pauli oculis Chriſtus ſe videndum dedit in corpore vero, glorioſoque, Act. 9. vbi prima conuerſionis ad Chriſtum Pauli, gentiumque fundamenta iacta ſunt. Primulum argumentum ex Chriſti verbis: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Item: *Ego ſum IESVS, quem tu perſequeris.* Item: *Surge, & ingredere ciuitatem; & dicetur tibi, quid te oporteat facere.* Reſponſat Paulus: *Quis es, Domine? Domine, quid me vis facere?* Paulum, Paulique voces omnes indubitanter agnoſcunt: cur non IESVM ipſum, IESVque voces? cur non pariter alterum cum altero congreſſos in veris, animatiſque corporibus coeleſtia colloquia miſcuiſſe? Certe δακτυλοδεικτοῦντος vox illa: *Ego ſum IESVS.* Quorſum illa cap. 22. *Vt audires vocem ex ore eius?* Iſta conſignantius

profatur Ananias cap. 9. Actor. *Dominus miſit me IESVS, qui apparuit tibi in via, qua veniebas.* Non his, o Caietane, diſertiſſimis verbis IESVS a Paulo viſus narratur? Indiligentiae, remiſſique animi eſt id negitare. Lumen quidem videbatur vberrimum: ſed ipſum viſum lumen miniſtri vice fuit Paulo, vt IESV corpus videret: idipſum lumen miniſtri vice Chriſto fuit, vt ſua exuberantia Paulum occaecaret ad lumen gentium. Tertull. contra Praxeam cap. 15. *Hunc & Paulus conſpexit, nec tamen Patrem vidit.* Poſt pauca: *A ſe nouiſſime viſum per acceſſibilem lucem: quamquam & illam neque ipſe ſine periculo luminis expertus eſt.* Subiectius narrat Barnabas Apoſtolis de Paulo, *quomodo in via vidiſſet Dominum, & quia locutus eſt ei:* Idque vt ex eorum animis metum, ac pauorem excuteret, qui vel audito Sauli nomine illis incutiebatur. Actor. 22. Ananiae vox ad Saulum: *Deus patrum noſtrorum praeordinauit te, vt cognoſceres voluntatem eius, & videres Iuſtum* [IESVM] *& audires vocem ex ore eius. Quia eris teſtis illius ad omnes homines, eorum, quae vidiſti, & audiſti.* Niſi autem ipſum Chriſti, quod ſurrectum erat, corpus vidiſſet, teſtis reſurrectionis parum appoſitus fuiſſet, niſi & oculis ſuis vidiſſet; ſi vel animo, vel mente dumtaxat a corporeis functionib. ſeductiore per ecſtaſim. Oculatus quippe teſtis futurus erat Paulus, nec infra teſtes caeteros. Hoc eſt, quod Actor. 26. Chriſtus renauat operam, vt cognoſcatur: *Ad hoc enim apparui tibi, vt conſtituam te miniſtrum, & teſtem eorum, quae vidiſti, & eorum, quibus apparebo tibi.* Non *teſtem luminũ* dumtaxat, non vmbrae euanidae: ſed *teſtem*

Digitized by Google

meae reſurrectionis per veri corporis, animaeq; verae coniugium veriſſimum, qualiter tibi factus ſum obuiam. Ibidem Paulus: *Vnde, Rex Agrippa, non fui incredulus coeleſti viſioni.* Pauculis interſitis: *Hac ex cauſa me Iudaei, cum eſſem in templo, comprehenſum tentabant volentes me interficere. Hac de cauſa*: quia palam in vulgus efferebam Damaſci, Ieroſolymis, in omni regione Iudaeae, per exteras gentem Deum, & IESVM Deum mihi viſum, *vt poenitentiam agerent, & conuerterentur ad Deum, digna poenitentiae opera facientes,* mortem mihi machinabantur. Deum ſibi viſum quemlibet adſerentem inuitiſſimi audiebant Iudaei. Iſaïae hoc profitentis membra ſerra exſecuerunt. Ex hac viſione Apoſtolatus ſui indicinam petit Apoſtolus 1. Cor. 9. Cum enim maliuolis in procliui eſſet ei objectare: Petri, Iacobi, Ioannis, caeterorum, qui Chriſtum IESVM oculis viderunt, auctoritas, ac diſciplina momentum apud nos habet grauiſſimum. Tu qui nec Chriſto conuixiſti, nec eum vidiſti, tu quis es? Apoſtoli munus fungeris, an affectas? Si fungeris, vbi miſſionis tuae diploma? ecquod argumentum? Talia commurmurantibus reponit: *Non ſum Apoſtolus?* Signaculum apponit, vtque inuidiam leniat contentus interrogaſſe: *Nonne Chriſtum IESVM Dominum noſtrum vidi?* Addit: *Signaculum Apoſtolatus mei vos eſtis in Domino.* Vrgent & illa 1. ad Cor. 15. *Nouiſſime autem omnium tanquam abortiuo viſus eſt & mihi.* Vrget, inſtatque Chryſoſtomus: *Viſus eſt Cephae: Viſus eſt pluſquam quingentis fratribus ſimul: Viſus eſt Iacobo: Viſus eſt & mihi.* Omnis illa multitudo Chriſtum IESVM Dominum no-

ſtrum in ſuo corpore ſuis contemplata eſt oculis: cur non & Paulus, cum Chriſti viſio Paulo obiecta, caeteriſque eodem Graeco, Latinoque verbo exprimatur? ὤφθη, *Viſus eſt?*

Cur *Abortiuo*? D. Ambroſ. *Quia extra tempus natus in Chriſto, Apoſtolatum accepit, iam Chriſto in coelos recepto cum carne.* Verum, amabo, vllumne tempus in Chriſto naſcendi alienum, aut ſerum? Perplacet Theophylacti ſenſus: *Quia igitur ipſe ſe indignum Apoſtolici muneris functione dicit, ac reiecticium, ſic ſeipſum nominauit ceu imperfectum, & immaturum, quantum ad Apoſtoli dignitatem, & auctoritatem attinet. Nonnulli*, inquit, *per Abortiuum, poſtremum foetum intellexerunt, quandoquidem & ipſe poſtremus Apoſtolorum fuerit. At enim eam ob rem nihil Pauli auctoritati decedit, quod poſtremus Dominum conſpexerit.*

Textor Annalium Eccleſiaſticorum in *Abortiui* Pauli reddenda ratione non tam allucinatus eſt, quam a ſciolo neſcio quo ludificatus.

Ipſummet Chriſtum IESVM Pauli oculis obiecimus, non vanam imaginem, non fictum ſimulacrum. De re conuenit: locum veſtigemus. Lucana tabula cap. 9. *Apertiſque oculis nihil videbat.* Affigo Chriſtum coeli empyrei conuexitati, cur ab eius corpore glorioſo lux permanans, tanta caecitate Pauli oculis officeret potius, quam iubar ſolare? In procliui eſt Pauli verbis mihi reſponderi ex cap. 26. eiuſdem tabulae: *Die media in via vidi, Rex, de coelo ſupra ſplendorem ſolis circumfulſiſſe me lumen, & eos qui mecum ſimul erant.* Quia ſcilicet Chriſti lumen *ſupra ſplendorem ſolis circumfulſit.* Refero. Sed *& eos*, qui cum Paulo

ſimul erant, circumfulſit. Cur non ij pariter quoque caeci? Cauſam vnam in antedictis locis attulimus: alteram conferimus. Quia Chriſtus in terra Paulo propior, quam comitibus, magis in eius oculos incurrebat, vtque ὑπὲρ βάλλον ſenſile Pauli oculis nocebat ad inuehendam nouam animo lucem, & ſanitatem: comites, qui paulum ſeductiores audiebant, non tanta luce feriebantur. Alioqui ſtatue Chriſtum in conuexa facie coeli ſupremi: lux ab eo vibrata, ſic in terras vibrata, ſenſim debilitabitur, vt vel ſit innoxia, vel his, & illi aeque noxia: & ſi pro poteſtatis arbitrio aliter eſſe queat. Sed hoc ita diſputo, ac ſi cauſas creatas motibus ſuis agi ſinat, abſque nouo aliquo imperio, aut noua radiorum directione. Quale autem lumen cumque iſtud circumfulſerit, comitum oculos non laeſit, idque quod in terra Paulum propior Chriſtus fuerit, quam comites, qui loci ſpatio longiuſculo aberant. Amplius. Eſto Chriſti ſplendor *ſupra ſplendorem ſolis*, quaero de acceſſione, quanta ea fuerit? An forte tanta, quantam ſol alter conferre poſſet? Addamus & ſolem tertium, non qualem de tribus ſolibus prodigioſa monumenta narrant: ſed verum ſolem tertium, veros, geminoſque de ſe luminis radios in haec ima terrarum vibrantem: non opinor oculum viribus ſuis integrum, acie ſua debilitatum iri: non quia non ſit futurum ſenſile ſupra vires oculi humani, ſed tanto ſpatiorum diuortio nocendi vires ad videntem non peruenturas.

Deinde lumen hoc & Pauli comites viderunt, quorum oculis ſumma coelorum penetrare da-

Digitized by Google

tum non fuit. Quorum quoque ſtupor ex nimietate luminis circa vicinum aërem fuſi, quam circa diſiunctiſſimum facilius oriri potuit. Quod lumen ſi in coelo: cur vicini Damaſceni non vidiſſe narrentur? cur non aliae gentes? Nam quae in coelo oſtenta, multis patent, & hemiſphaerio vni fere ſunt aperta.

Vox quoque ingeminata ſi de altiſſima ſede prorupiſſet, & Paulo, & comitibus, adaeque eſſet intellecta. Audita Pauli quidem Actor. 9. non intellecta tamen Actor. 22. ipſius IESV: *Et qui mecum erant, lumen quidem viderunt: vocem autem non audierunt eius, qui loquebatur mecum.* Vt enim tonitrus e nube diſcluſus, aequabiliter aures aeque appoſitas ferit: ita vox ex alto ruens: quae vox ex ore alicuius in ſolo conſtituti ad viciniores citior, & perfectior accidit prae remotioribus.

Illa deinde: *Quis es, Domine? Ego ſum IESVS*, alterum alteri proxime praeſentem indicant, vt alios ſermonem ſerentes. Si enim Chriſtum in arce coeli Paulus vidiſſet, vti Stephanus, facile Deum intellexiſſet apparere, cum hominum terra ſit locus, coelum autem Dei ſedes: neque Deuſne eſſet, an homo, dubitans quaeſiſſet: *Quis es, Domine?* Cum vero repens, & rutilans ſub ora Pauli Chriſtus ſe ſtiterit, quaeſtionis nata eſt occaſio.

Neque vero Paulus Dominicae reſurrectionis teſtis aeque appoſitus fuiſſet, ſi de coelo Chriſtum ſuſpexiſſet tantummodo. Dicant enim non facile creduli deluſum Paulum, aut imaginatione mira iſta ſibi fabricaſſe, qualia fabri-

care amant, qui coelum, aut nubes otioſi contemplantur.

Actor. 26. *in via* contigiſſe haec omnia narrantur. Chriſtus igitur, & Paulus *in via*, hoc eſt in terra: non deuij.

Obſtrepes ex Iſid. Peluſiota ad Leontium Diaconum: Τὰ ὑπέρφυῆ, καὶ θεῖα παιδεύματα διδάσκων ὁ Κύριος τὸν Παῦλον ἐξ οὐρανοῦ αὐτῷ διαλέγεται, οὐράνιον εἶναι δεικνὺς τὸ μέλλον αὐτῷ ἐγχειρίζεσθαι κήρυγμα. Billius: *Natura praeſtantiora, & diuina documenta Dominus Paulo tradens, e coelo eum alloquitur, vt praedicationem, quam ipſi commiſſurus erat, coeleſtem demonſtraret.* Nil ſuper his moueor. Tantumdem namque legas Actor. cap. 9. vbi ſcribitur, φῶς ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ, *lux de coelo.* Chriſtus coelo degrediens, amictus erat luce plurima, eamque ſecum ipſe conuehebat, qua & aethram circumfuſam colluminabat. Itaque *lux de coelo* erat. Similiter *de coelo* apud Iſidorum coeleſtia Paulo loquitur: quae videlicet a Patre coeleſti accepit, vt eſt apud Ioannem. Nec pertinacius quidquam adſeri poteſt, quam Iſidori eam fuiſſe opinionem, aliam aliorum.

CAP. VII.

Pauli Viſiones trinae.

EX 2. ad Corinth. cap. 12. D. Chryſoſtomus adſerit plures Paulo viſiones obiectas: *Veniam ad viſiones, & reuelationes.* Alteram igitur viſionem ponit Lucas cap. 22.

Digitized by Google

Factum eſt autem reuertenti mihi in Ieruſalem, & oranti in templo, fieri me in ſtupore mentis, & videre illum dicentem mihi: Feſtina, & exi velociter Ieruſalem: quoniam non recipient teſtimonium tuum de me. Zuarezius tom. 2. diſp. 51. ſect. 4. decreto Chriſtum Dominum poſt adſcenſionem corporaliter in terris viſum ſecundum veram, corporalem, ac ſenſibilem praeſentiam, hanc ingeſtam D. Paulo viſionem talem opinatur. Thyraeis Apparitionum Chriſti lib. 3. cap. 7. quaerit, quid prohibeat hanc apparitionem dici intellectualem? Quod ex *ſtupore mentis* arguit. Eſt enim *ſtupor mentis* ἔκστασις, qua voce Lucas hic vtitur, & ſacris folijs ſollemne eſt. Super ea ſic animaduertimus. Ἐκστῆναι, ἐξεστηκὼς, ἐξίστασθαι, ἔκστασις ſunt, *Extra ſtare, Extra ſtans, Extra ſtatio*, quod cum varijs eueniat modis, varie ſunt illa tractata, appoſitaq. Quandoque enim, vt Tullius dixit, *Exire de ſtatione corporis*, ſic Arrianus lib. 4. cap. 7. Περὶ τὸ σωμάτιον διδάσκουσιν ἐξίστασθαι, iteratoque inibi. Similiter in Herodoti Thalia, Ἐκστάντες τῆς ὁδοῦ, *Egreſſi via.* Etiam Ἐκστῆναι, *Extra ire.* Suidas: Μιθριδάτην ἐκστῆναι Βιθυνίας. Sic apud Demoſthenem, περὶ τῆς ἀτελείας, Ὑπὲρ δὲ δόξης οὐδένα κίνδυνον ἐξέστησαν: *Pro gloria extra periculum nullum ſtare*, ſiue *detrectare*, *ſubterfugere.* Ἐξιστῶ, metaphorice *Seduco*, Actorum cap. 8. v. 9. Exinde, *Exire de mente.* Integra illa eſt Macarij Aegyptij locutio hom. 45. Ἐξέστησαν γὰρ αὐτὴν τῶν ἰδίων φρενῶν: *Eam de ſua mente deturbarunt.* Plutarchus de Iugurtha triumphato: Ἐξέστη γὰρ τυμπανισθεὶς, ὥς λέγουσι, τότε τῶν φρενῶν. Idem nihilo ſecus dixit in Solone, Ἔκστασιν τῶν λογισμῶν. Et locutione ſemiputata vſus eſt Stephanus in voce Τραπεζοῦς, Ἀφ' οὗ

[μέλιτος] τοὺς φαγόντας ὑγιαίνοντας μὲν ἐξίσασθαι, τοὺς δ' ἐπιληπτικοὺς εὐθέως ἀπαλλάττεσθαι. D. Chryſoſtom. de non anathematizandis : Γελῶμαι παρά τινων ταῦτα λέγων, καὶ ἐξεστηκὼς δοκῶ : *Inſanire videor.* Idem tom. 7. Οὐ παύσῃ παραφρονῶν, καὶ ἐξεστηκώς, καὶ ἐν νεότητι ληρῶν; Vide ſis peritiſſimi Gorraei Definitiones medicas verbo, Ἔκστασις. Simili modo illud ad Corinth. 2. 5. Εἴτε ἐξέστημεν Θεῷ, explicat : Μαίνεσθαί τις ἡμᾶς φησί; διὰ τὸν Θεὸν ταῦτα μαινόμεθα. Epiphanius haereſ. 48. Τὸν ἀφραίνοντα, καὶ ἐν ἐκστάσει γινόμενον, *Dementientem, & delirantem.*

Tertio, abſque dementia ſignificant haecce verba *Admirationem.* S. Methodius in Martyrio S. Dionyſij : Θαύματα, ὥστε ἐξίστασθαι πάντας τοὺς οἰκοῦντας, καὶ παρατυγχάνοντας : *Miracula, quae incolae, aduenaeque admirentur omnes.* S. Dionyſ. epiſt. 8. ad Demophilum : Ἐξέστη οὐρανὸς ἐπὶ τούτῳ, καὶ ἔφριξα ἐγώ, καὶ διαπιστῶ ἐμαυτῷ. Perſimilis Ieremiae locus cap. 2. *Obſtupeſcite coeli ſuper hoc.* D. Epiphan. vbi ſupra: Ἔκστασις δι' ὑπερβολὴν θαύματος. Ad eundem modum Dauidem interpretatur : *Ego dixi in exceſſu meo.* Ἐπειδὴ γὰρ ἐθαύμασεν ὁ Προφήτης, διὰ θαυμασμὸν ταῦτα λέγει. Melius ſane, quam Suidas. Apud S. Gregentium Herbanus : Ἐξίσταμαι ταῦτα λογιζόμενος. Pariter Geneſ. 27. Ἐξέστη Ἰσαὰκ ἔκστασιν μεγάλην. Vulgatus Interpres laborioſe vertit : *Expauit Iſaac ſtupore vehementi.* Item cap. 45. Iacob audito Ioſephum viuere : Ἐξέστη τῇ διανοίᾳ. Interpres habet aliquid nebulae : *Quaſi de graui ſomno euigilans.* Recte tamen, & ſibi congruenter cap. 1. Geneſeως, vbi eſt de Adamo : Ἐπέβαλεν ὁ Θεὸς ἔκστασιν ἐπὶ τὸν Ἀδὰμ, καὶ ὕπνωσε, quo ſuper Epiph. haereſ. 48. Ἐκείνη γὰρ τοῦ ὕπνου ἔκστασις. infraque : εἰς τοῦ παντὸς ὀργάνου, διὰ τὴν

αἰχ πασιν

ἀναπαύσοιτο τοῦ ὕπνου, ὀκναίοιτο ἀπὸ τῆς ἐνεργείας : Vt organa omnia propter quietem ſomni, ab operatione interquieſcerent, feriarentur.

Denique *Furorem*, quod praecipuum amentiae genus videri poteſt, conuoluunt eae voces, & *Furias*, quales in euante Maenade, in Pythoniſſa, in Sibylla., &, quod animaduerſione digniſſimum, in Montano, & Priſcilla, Maximilla, quos aduerſus Eccleſiae proceres feruntur infeſti. Tricipitina haereſis haec prophetiae, ecſtaſeoſque affectatione ſe ipſa magnifice circumſpiciebat, efferebat in vulgus, venditabat. In eam tandem ruina plorabili lapſus eſt Tertullianus, & ad erroris patrocinium *de Ecſtaſi* contra Eccleſiam libros ſex compaginauit. Inter alios ſumma Scripturae, & rationum vi in Montaniſtas pugnat Epiphanius haereſi 48. differitatemque Montaniſtarum a Dei Prophetis ponit, quod *ἐν ἀληθινῷ πνεύματι, καὶ ἐρρωμένῃ διανοίᾳ, καὶ παρακολουθοῦντι νῷ οἱ αὐτοῦ ἅγιοι τὰ πάντα προεφήτευσαν : Quod in veraci ſpiritu, firmiſſimo animo, mente rationem conſequente, ſancti Dei Prophetae omnia praedixerunt, repleti Spiritu S. proportione, qua cuique ſpirituales gratiae tributae ſunt, & proportione fidei, quod conducibilius eſt, reſpicientis.* Quam rem propoſitis Iſaïae, Ezechielis, Danielis exemplis digito monſtrat. Contra Montaniſtae vaticinia cum promittunt, *οὐδὲ εὐσταθοῦντες φανοῦνται, οὐδὲ παρακολουθίαν λόγου ἔχοντες· λοξὰ γὰρ τὰ παρ' αὐτῶν ῥήματα, καὶ σκαληνὰ, καὶ οὐδὲ μιᾶς ὀρθότητος ἐχόμενα : Neque mente placida conſpicientur, neque rationi conſequuntur eorum dicta. Perplexabilia namque ſunt eorum verba, contorta, claudentia, neque vlli haerentia rectitudini*. Et mage gemino diſcrimine

Digitized by Google

illis tribuit ἔκστασιν φρενῶν, &, Τὸ ἐκστατικόν: *Mentis alienationem*, *Mentis alienandae facultatem.* In quem vaniſſimum errorem Tertullianum Catholicum dum propenſiorem fuiſſe, ex verborum eius charactere manifeſta fides, lib. de Anima, cap. 45. *Ecſtaſim dicimus exceſſum ſenſus, & amentiae inſtar.* Apertiora ſunt illa cap. 21. de Adamo: *In illum Deus amentiam immiſit, ſpiritualem vim, qua conſtat prophetia.* Loco non vno eiuſcemodi *Ecſtaſim* haereticorum *Irrationem*, ſeu Ἀλογίαν appellitat. Epiphanij diſciplinam exoſculatur Franciſcus Picus libris de rerum Praenotione. Magna nos orbat luce iactura libelli de Ecſtaſi a Dionyſio Ariopagita, quod e Suida didici.

Nunc age, ecquae Pauli *ecſtaſis?* ecquid Paulo hac viſione viſum? Pauli, Adamique *ecſtaſes* pariſſimae ſunt. Alter humani generis parens in carne: alter gentium in Chriſto, ac prope dixerim Eccleſiae vniuerſae: Quare modis ſupparibus Deus de vtroque bene meritus. Vterque Propheta euadit futurorum praenotione, ac praedicendi dexteritate. Vterque ſenſuum ferias experitur, quo mens a ſenſibus diſtracta, diuinorum ſit capacior, & ſcientior. Atque vti Adam in ſoporem datus, vt quieſcenti ſine doloris ſenſu eximeretur coſta, quae adoleſceret in mulierem: ſic Paulum Chriſtus apparens, de Ieroſolymorum educit anguſtijs, vt in patentiſſimum deinceps nationum campum longe exſpatietur, v. 21.

Adamum in *ecſtaſi* iſta de diuinae ſapientiae, & reuelationum fonte affatim bibiſſe Patres ſentiunt: & Paulus in hac ſua ecſtaſi cum alia multa haurit a Chriſto; tum qui populi Paulo de Chri-

ſto praeconium facienti, credituri ſint, qui non, panditur.

Hac porro in *ecſtaſi* Paulo ſe videndum objecit idem Chriſtus, qui Actorum cap. 9. & 22. Vti videlicet Tobiam direxit olim in itu, reditio Raphaëlis: ſic quaqua greſſum ferenti Paulo Chriſtus adſtet praeſenti numine, conſilio, dextera.

Tantum abeſt vero, vt aduerſis frontibus in hac explicanda viſione concurrant Thyraeus, & Zuareſius ſupra, vt manus iungant, & operas. Docet enim Zuareſius, reapſe Chriſtum in corpore ſuo, non in alieno, non in adumbrato per Angelum, etiam poſtquam in coelum euaſit, in terris viſum: Thyraeus videntis modum, rationemque aperit. Alter quid hac in viſione fuerit ex parte objecti: alter quid ex parte ſubjecti.

Tertium quoque Paulo ſpectandum ſe Chriſtus affert, Actor. cap. 23. *Sequenti autem nocte adſiſtens ei Dominus, ait: Conſtans eſto: ſicut enim teſtificatus es de me in Ieruſalem, ſic te oportet & Romae teſtificari* Vt autem ſecreta ſunt hiſtoriae Lucanae capita: ſic viſiones geminantur in ijs, quod hiſce praeterea rationibus corroboratur. Prior Ieroſolymitano in templo contigit: altera in caſtris, quo ne diſcerperetur Paulus a Sadducaeis ſalutis cauſa tribuni imperio raptus, perductuſque erat. Prior die lucente: altera nocte. In priore orationi comitabatur *ecſtaſis*: in altera nec *ecſtaſeos*, nec ſomni, nec vigiliae memoria vlla. Etſi non procul vero eſt ex *vigilijs plurimis* Paulo vigilatis hoc noctis vnam fuiſſe. Vigilax enim Paulus, tantis praeſertim ingruentibus periculis, quibus propulſandis praeter tribuni ſolicitudinem,

Digitized by Google

& induſtriam Chriſtus velut de machina ſuccenturiatus *adſtiterit.* Diſcretis viſionibus fauent & diuortia temporum Lucae penicillo deſcripta: *Poſtera autem die*, cap. 22. *Sequenti autem nocte*, cap. 23.

Tertia tandem haec Pauli viſio cuiuſmodi? Lorini manus Actor. capiti 23. appreſſa: *Nunc probabilis eſt ſententia Carthuſiani: Fuiſſe apparitionem imaginariam dormienti factam ab Angelo, qui referret Chriſtum: ita vt nec Paulus, dum affirmat ſe vidiſſe Chriſtum, ad confirmandam veritatem reſurrectionis eius, vel aequalem dignitatem ſuam in Apoſtolatu, inde ducere voluerit argumentum: nec qui ex hac praeſenti apparitione colligunt Chriſtum eſſe in ſacramento Euchariſtiae, & in coelo, ſatis firmiter argumententur.* Hanc ego opinionem ſecundum omnes ſuas partes falſo contaminatas pronuncio, & quod caput eſt, & meta diſputationis, dico Chriſtum ipſummet ſuo in corpore objectum Paulo, vere Chriſtum videnti oculis corporeis: quod affirmarem quoque de viſione ſecunda, cap. 22. niſi me *ecſtaſis*, ſeu *ſtupor mentis* aliter ſentire cogerent. Capite 23. Actor. dicitur, *Adſiſtens ei Dominus*, ἐπιστὰς αὐτῷ ὁ Κύριος. *Domini* autem nomenclatione in nouo inſtrumento ſexcentis locis Chriſtus exauditur. Illuſtria teſtimonia haec: *Ecce ancilla Domini.* Matth. 21. *Dominus his opus habet.* Luc. 24. *Surrexit Dominus vere.* Ioan. 21. Petro Ioannes ait: *Dominus eſt. Simon Petrus cum audiſſet quia Dominus eſt, miſit ſe in mare.* Similiter Actor. 23. *Adſiſtens Dominus*, hoc eſt, Chriſtus Ieſus, ille ipſe, qui locis collatis deſignatus eſt.

Eſt quoque Theologorum decretum Scriptu-

Digitized by Google

rae voces in proprietate ſua accipiendas, niſi quid iure vetet. Nihil autem hic vetat Chriſtum *Domini* nomine intelligi. Quin magis illa compellunt: *Sicut enim teſtificatus es de me in Ieruſalem: ſic te oportet & Romae teſtificari.* Teſtificatus eſt autem de Chriſto Paulus vtrobique, non de Angelo, quod Carthuſiani opinionem ſequenti neceſſum eſt confiteri. Chriſtus quoque fidei noſtrae cardo, caput, ſumma: Angelus pars quota?

Neque Angelus in Nouo abſque acceſſione vlla *Dominus* indigetatur.

Rationibus deinde abdicatiuis Lorinus vtitur. Apoſtolum ſcilicet *neque ad confirmandam veritatem reſurrectionis, neque ad aequalem dignitatem ſuam in Apoſtolatu,* ex hac viſione ducere voluiſſe argumentum. Quid ſi amplius, negem hoc ipſum? Apoſtoli verba 1. ad Cor. 9. *Non ſum Apoſtolus? Nonne Chriſtum IESVM Dominum noſtrum vidi?* cap. 15. *Viſus eſt & mihi.* Non comparet in hiſce cubilibus viſio prima magis, quam tertia. Quamuis quia prima pictior eſt apud Lucam, & prima tempore, cuiuis interpreti fiat obuiam. Et de tertia aequo iure cum prima poteſt capi: quandoquidem opinione noſtra fuerit vtraque ἐνσώματος, & vtraque reſurrectionis Dominicae veritas ſtabiliri queat.

Quid quod quemadmodum caeteris Apoſtolis ſaepicule ſe Chriſtus videndum; non per nubem, ſed in corpore objecit: ſic & iterum Paulo, ne viſionum numero videatur impar, decens fuit. Quare, quod in capitis huius antepagmento poſuimus, 2. ad Cor. 12. *Viſiones Domini* effert Apoſtolus.

Digitized by Google

Paribuſque mihi liceat argutijs vti : Paulus *nec ad confirmandam veritatem reſurrectionis , vel aequalem dignitatem ſuam in Apoſtolatu* ducit argumentum ex viſione Angeli : non igitur Angelum vidit.

Haec mea opinio quantum a Lorino recedit, tanto propius ad Thyraeum accedit.

An autem ex hac viſione, aut apparitione Chriſti, eius in ſacramento praeſentiae argumentum peti poſſit, alius eſt loci, & nouae liticulae ſemen Theologorum diſſidio, aut haeſitantia.

CAP. VIII.

Ad quam harum Viſionum pertineat Pauli Raptus.

ISTA diſcretis, conſtitutiſque Pauli viſionibus, quae in legentium, meditantiumque oculos incurrunt maxime, quaerendum de nobiliſſimo eius *raptu*, qua in viſione acciderit. Prima viſio miriſſima videtur τῷ ἀσωμάτῳ, ϗ αὐτοπροσώπῳ IESV Chriſto, Chriſti voce, luce circumfuſa, Pauli proſtratione, tremore, ſtupore, occaecatione, debilitatione, & tantum non interiunctis dexteris. Eapropter *raptum* Pauli tertium inuſque coelum, quae ipſius eſt 2. ad Cor. cap. 12. Deo inſtigante gloriatio. primae viſioni adſcribendum olim communis inueterauit opinio. Liranus enim notatione in 12. cap. 2. ad Cor. notat id accidiſſe *iuxta principium ſuae conuer-*

Digitized by Google

ſionis. Quod ex D. Chryſoſt. commentario in epi. 2. ad Corinth. hauſtum non vana coniectura eſt. Sic enim ille de hoc raptu cum diſſerit: Εἰ δὲ ἐκ προοιμίων τοιοῦτος ἦν ὁ Παῦλος, ὥστε τοιαύτης καταξιωθῆναι ἀποκαλύψεως, ὅτε οὔπω τοιαῦτα κατορθώματα εἶχεν· ἐννόησον ἡλίκος ἐν τεσσαρεσκαίδεκα ἔτεσι γέγονεν. Haec ſunt: *Si a principio* [conuerſionis] *talis erat Paulus, vt tali reuelatione dignus cenſeretur, cum necdum res tales, tantaſque geßiſſet: quantus annorum quatuordecim ſpatio euaſerit, animo perpende.* Mox ſubijcit Chryſoſt. hanc ſuam de raptu narrationem non hic Paulum confirmare, quam in Damaſcenorum vrbe confirmaſſet. Damaſci autem Paulus primam dumtaxat, deſcriptamque cap. 9. Actor. viſionem narrauit. Beda lib. 2. in Acta: *Apparet, quia per triduum illud, quo caecatus fuerat, lucis futurae gratiam expectabat. Nequaquam otioſus torpebat: ſed diuina potius illuſtratione ſublimatus, arcana coeleſtia rimabatur. Eſtque, ni fallor, credibile, quod eo tempore myſterium diſpenſationis Euangelicae edoctus fuerit, de quo ipſe gloriatur ad Galatas 1. dicens: Neque enim accepi ab homine, neque didici: ſed per reuelationem IESV Chriſti.* Toſtatus Abulae Praeſul in Exodi cap. 11. locutus de apparitione, quae cum Raptu coniuncta fuit, addit: *Et videtur facta fuiſſe illa apparitio ex eo, quod ex tunc incoepit praedicare mirabilia, quae ante non nouerat, vt patet ibidem Actor. 9. Tunc enim collapſus eſt in terram quaſi mortuus, & fugit lumen ab oculis eius, & ad manus ſuorum portabatur in ciuitatem.* Illephonſus Giron ſerm. 1. de S. Paulo: *Quod vero in his tribus diebus, atque initio vocationis, & conuerſionis ſuae fuerit Pauli raptus, probat aperte S. Thomas ex ipſis verbis Pauli.*

Neque vero primori viſioni *raptus* ſic adſcribendus, vt primulum plurima luce praefulgentem Chriſtum cum vidit Paulus, tunc raptus adſeratur. Raptus enim fueritne in corpore, an extra, neſcire ſe profitetur. Attamen viſionem iſtam primam oculata fide, vt Cypriani verbis vtar, perfectam fuiſſe non eſt dubitandum. Cum autem oculus videt, animae miniſterio, ac facultate videt: non item in raptu, in quo anima ab ſenſibus abrepta, alienataque, ad celſiorem contemplatum a Deo rapitur. Vt omittam Macarium homil. 25. adſerentem Chriſtum, Chriſtiq. lucem Paulo non ſine carne conſpectam: In triduum igitur proxime ſecutum raptus differendus, deferenduſque eſt, cum artuum, facultatumque vitalium plurimarum functiones interceptae fuerunt, interque peditae. Tunc enim fuerit in corpore Paulus, an extra, iure videtur addubitari potuiſſe ex cauſa iam reuelata, quamuis *nuſquam animam ſine carne eſſe, quamdiu in carne eſt*, veriſſime dixerit Tertull. lib. de Reſurrectione carnis. Quo ſuper nonnulla poſt afferemus. In triduum hoc raptum rejecerunt quidam Theologiae magiſter Louanij primam D. Tho. partem interpretans, & quorum Serarius meminens eſt, Franciſcus Mayeron, Toſtatus loco Exodi antedicto: *Vtrum in illa locutione Chriſti, quando in terram collapſus fuit, raptus fuerit, vel poſtea in illis tribus diebus ſequentibus, quando non manducauit, nec bibit, vt patet ibidem, non conſtat*. Ipſe D. Thomas quoque.

Verum Baronius ſubducta temporum ratione doctiſſimum quemq. ab hac ſententia diſpulit,

Digitized by Google

ipſum quoque Serarium. Nam cum paene certum ſit Pauli vocatum biennio a Chriſto in coelum recepto contigiſſe, ſi quatuordecim annis in ſecunda ad Corinthios poſitis, duos illos incluſeris, anno tantum quadrageſimo ſeptimo ſcripta illa erit epiſtola, cum exiſtimet Baronius ſcriptam anno Domini octauo ſupra quinquageſimum a Chriſti ortu, ita vt tribus ac triginta vitae Chriſti annis appoſiti quatuordecim. confecturi ſint annos ſeptem & quadraginta: futuriq. ſint a Pauli raptu, & tempore ſcriptae iſtius epiſtolae anni plus minus vndecim vaga ſupputatione inutiles, & vacui. His ego tantis ſcriptoribus ſocius non deforem, ſi Baronius ſolide, ac neruoſe & Nicopoli ſcriptam ſecundam ad Corinthios probaret, & quod factum maxime oportuit, ſcriptam anno Chriſti 58. Quae duo cum nullis firmamentis roborauerit, fama, & exiſtimatione contentus ſua, non trepidem ab eius opinione ſeceſſionem facere. Eoque potiſſimum argumento, quod omnibus ei opinionibus conceſſis, non propterea tot annorum interualla de nihilo eſſe videam. Dixit Apoſtolus: *Ante annos quatuordecim.* Verum dicere eſt non ſignate poni tempus immediatum, quo *Raptus* contigerit, ita vt non potuerit annis aliquot ante illos quatuordecim contigiſſe. Georg. 1.

Ante Iouem nulli ſubigebant arua coloni.

non ſolum anno ante Iouis natales, ſed multis ante annorum centurijs. Matth. 5. *Perſecuti ſunt Prophetas, qui fuerunt ante vos.* Praepoſitura haec latius explicatur, quam pro tempore, quo viuebant, in quos fertur Chriſti oratio. Actor. 21.

Digitized by Google

Nonne tu es Aegyptius, qui ante hos dies tumultum concitaſti? Ne *ante hos dies*, pauculos dies, ſeptimanas, menſes putes, reſiſtit ipſe Baronius, qui triennium interijſſe notat. Ioannis cap. 12. *Dilexiſti me ante mundi conſtitutionem.* Non diſcluditur puſillus temporis articulus, ſed vaſtiſſima aeternitas, quatenus *ante mundi conſtitutionem* ſtetit.

Quia vero ſimilia haec diſſimilitudinis argui poſſunt: nulla enim in his annorum eſt commemoratio, cominus congrediamur. Iudaei Chriſti os intentius contemplati dicunt: *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidiſti?* Quantus natu tunc erat Chriſtus? Annorum trium ac triginta, aut praeterpropter. Nam Irenaei opinionem curioſitas exploſit. Iudaei ne vana vtantur coniectura, quod certiſſimum apparebat ex toto Chriſti ore, annorum quinquaginta imaginem arripiunt: intererant tamen anni ſeptemdecim ab eorum ſupputatione. Similiter quid ſi Paulus cum ſcribit ſecundam ad Corinthios, noluit eos docere, Raptuſne ſit in corpore, an extra: noluerit quoque certa deſignatione articulatam temporis notam ſcribere, ita vt immediate ante annos quatuordecim raptus contigerit; ſed vtcumque ſit, indeterminata ſit eius adſertio, *Ante annos quatuordecim*, etſi praefluxerint anni paulo plures? Quid ſi non potuerit Paulus Corinthios docere, raptuſne in corpore, an extra contigerit? Certe ſalua fide negari hoc non poſſe Auguſtinus affirmat. Quid ſi coniecturae locus aperiatur, vt Paulus quoque non ſatis exactum habuerit tunc, cum ſcriberet, quo, quantove tempore *ante annos quatuordecim* raptus ſit? Neque enim Sancti in

omni dicto tempora in articulos digerunt. At ne coniectura, ampliſſima Pauli cognitio fiat deterior, abſtineamus nos, dicamuſque Baronium nulla vſum temporum digeſtione ſufficienti, qua annos quatuordecim a raptu diuelleret. Ait enim tom. 1. *ibi, vt exiſtimamus, ſcripſit ſecundam epiſtolam ad Corinthios.* Neque praetermittendum veterum ſcriptorum opinionem communem fuiſſe de *raptu* Pauli in prima illa viſione.

Lorinus (cuius ſcriptis nihil literatius in Apoſtolorum Acta vidit aetas noſtra, forte nec nepotum) non neſciuit haec omnia: auſus tamen eſt Pauli *raptum* ſecundae viſioni adſcribere, cum in templo Ieroſolymitano ſe Chriſtus in ſtupore mentis Paulo videndum objecit. Neque tantam de temporibus diſputationem procreabit ſententia haec. Quia huius apparitionis tempus obſcurum: prioris paene certum biennio plus minus a Chriſto mortalitatem exuto. Addo *ſtuporem mentis* hanc *ecſtaſim* fuiſſe, quod praeſcriptis folijs mandauimus: *Raptus* autem idem paene, quod *Ecſtaſis*. Caeteris autem Pauli viſionibus *ecſtaſis* deſit Actor. 9. & 23. vni, ſolique ineſt viſioni commemoratae cap. 22. in templo. Quod vt apertius fiat, noto ex Toſtato in 2. Paral. q. 18.

Ecſtaſis fit propter neceſſitatem, ſcilicet quando intellectus noſter debet aliquid intelligere, ad quod non ſufficit intelligere, niſi anima ſe totam conuerterit in illud intelligibile: & quia quamdiu anima manet occupata officijs corporis, nondum ſe totam conuertit ad actum intelligendi, oportet circa talem intellectionem animam extrahi ab officijs corporalibus; & tunc patitur ecſtaſim homo: quia videtur corpus mortuum, ve-

Digitized by Google

getatione vitali carens. Sic fuit, inquit, *in beato Paulo, qui eleuatus eſt ad videndam diuinam eſſentiam, cum dicat ſe vidiſſe arcana verba, quae non licet homini loqui. Et quia illa non poterat intelligere, niſi anima totaliter occupata circa illa, & deſerente vegetatione corporis, deſeruit ad tempus. Et ſic apparuit corpus beati Pauli tanquam mortuum: Vnde & ipſe neſciebat, an mortuus eſſet tunc, vel viuens, cum ſpiritus in actu ſuo ſolutus eſſet ab officijs ſuis.* Et conſpicuum eſt, quod naturalis contemplatio detrahit ſenſui; vt qui intentius diſputant, meditantur, orant, ſolent plurima, quae coram fiunt, aut dicuntur, neque videre, neque audire, ac nonnunquam ſenſuum munere priuari, quam *Ecſtaſim* naturalem vocant, qualis fuit Socratis apud Platonem, qui militares inter turmas aliquando vno gradu diem, & noctem ſtetit vſque ad ſolis exortum cogitabundus. Simile quiddam pugnata ad Thraſymenum pugna accidiſſe narrantium numero credo, potiſſimum Liuio lib.22. *Tantuſque fuit ardor animorum, adeo intentus pugnae animus, vt eum terrae motum, qui multarum vrbium Italiae magnas partes proſtrauit, auertitque curſu rapido amnes, mare fluminibus inuexit, montes lapſu ingenti proruit, nemo pugnantium ſenſerit.* Conſignant haec Zonaras tom. 2. Annal. Plin. lib. 2. cap.84. Silius Italicus lib. 5. Euentus ratio *Ecſtaſis* phyſica in parte. Diuus Thomas abſtractionem fieri ab officijs animae ſenſitiuae quidem docet, non ab vegetatione: alioqui mortuum non ſolum corpus pariturum, ſed futurum. Ratio eius. *Vires animae vegetabiles non operantur ex intentione animae, ſicut vires ſenſitiuae: ſed per modum naturae. Et ideo,*

Digitized by Google

inquit, *non requiritur ab eis abſtractio, ſicut a potentijs ſenſitiuis, per quarum operationes minueretur intentio animae circa intellectiuam cognitionem.* Toſtatus abſtrahit animam quoque a vegetatione: quo totis viribus, officijſque in ea, quae naturae vires ſuperant, facilius tota perferatur. Quod etſi minime neceſſarium (ſic enim D. Thomam interpretor) eſt tamen poſſibile. Hac & illa *ecſtaſi* vter modus interuenerit, coniecturis veſtigandum, niſi qua aliunde certior pandatur via.

Quia ergo Paulo Deus erat recluſurus ſenſus arcanos, ſupercoeleſtes, ſupergreſſos naturae vires, ſeu ἄῤῥητα ῥήματα, *ſermones ſermone inexplicabiles*, abſtruſiſſima, & altiſſima quaeque reuelaturus, viſa miriſſima oſtenſurus, opus fuit, vt Pauli animae ferias indiceret in corpore, quo eius abſoluta miniſterio, diuiniore imbueretur magiſterio, hoc eſt, opus fuit Ecſtaſi, quae notatur Actor. 22. cap. Opus fuit Raptu, qualem ipſe commemorat 2. ad Cor. c. 12.

Raptus autem animae praeter ecſtaſeos rationem, violentiam quandam conuoluit, vti notat Diuus Thomas 2. 2. q. 175. Mors ſecretionem omnimodam animae a corpore, qualem nec in *Raptu*, nec in *Ecſtaſi* agnoſcunt Theoſophi, & a quo ſapientiae conſulti animae regreſſum in corpora negitant. Quare Ariſtae Proconneſij animae ſaepicule repetitas peregrinationes, ſublatiores in aetherem purum, ſtabilem, tranquillum tranſuectiones, & ad corporis ſtationem, & vſuram reuectiones, ducimus fabulas. Eſto, commemorent eas Maximus Tyrius non ſemel, Apollonius in hiſtorijs Mirabilib. Origenes contra Celſum.

Digitized by Google

Tantumdem de Hermotimo Clazomenio. Veriſſime effatus eſt Achillis ore Homerus Iliad. Ἰῶτα,

Ἀνδρὸς δ' ψυχὴ πάλιν ἐλθεῖν, ὔτε λεϊστὴ,
Οὐθ' ἑλετὴ, ἐπεὶ ἄρ κεν ἀμείψεται ἕρκος ὀδόντων.

Meritoque iure animae ſine morte fugitiuae licentiam ridet Tertullianus. Nam ſi quo momento puſillo abeſt a corpore, mors eſt, vti Chryſoſtomus docet commentans in cap. 12. 2. ad Corinth. & ratio, ſenſuſque patrocinatur Ergo ſi quis ſuperioribus narratiunculis fidem commodabit, daemonum praeſtigijs Ariſtae, & Hermotimi ſoporatos artus, obligatoſque ſenſus anima conniuente tribuat neceſſe eſt, morte recuſata.

Quod autem Damaſcenus lib. 2. cap. 30. ſcribat de Deo : Οὐδὲ βιάζεται τὴν ἀρετήν, *neque virtuti vim affert*, amplectimur, neque dictis officit. Nam de ijs, quae ſunt in homine, ſeu in hominis poteſtate loquitur. Quantum vero ad ea, quae liberi arbitrij facultatem exeunt : vt homo a potentiori attollatur, neceſſe eſt, velut in Ecſtaſi, quae ideo Raptus indigetatur. Sic apud Ezechielem animalia non ſponte, quo volebant, gradiebantur, ſed quo aurigator impellebat, agebatque, vti pulcre ac recondite Diuus Macarius explicat homil. 1. Οὕτως καὶ πορεύονται οὐ κατὰ τὸ αὐτῶν θέλημα, ὅτε βούλονται ἐν τῷ οὐρανῷ, καὶ ἐρριμμένου τοῦ σώματος ἡνιοχεῖ, καὶ ἐλαύνει ἐν τοῖς οὐρανοῖς τῷ φρονήματι τὴν ψυχήν. Tandem : καὶ ἀποκαλύψεις μυστηρίων δείκνυσιν αὐτῇ. *Neque pro voluntate ſua, quando libet, in coelo gradiuntur : & cum iacet corpus* [rapta per Ecſtaſim anima] *Deus gubernat, agitque in coelo animam ſen-*

ſu ſublimiore [hoc valet τὸ φρόνημα] *& myſteriorum reuelationes ei commonſtrat*. Mercurij Triſmegiſti ſunt haec ex cap. 9. Πολλάκις γὰρ ἐξίσταται ὁ νοῦς τῆς ψυχῆς, καὶ ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ οὔτε βλέπει ψυχὴ, οὔτε ἀκούει, ἀλλ' ἀλόγῳ ζώῳ ἔοικε.

CAP. IX.

Paulusne diuinam vidit eſſentiam?

NOBILISSIMA, & denſis Scholarum decertata diſputationibus controuerſia eſt, Paulusne, dum in viuis ageret, raptus ſit ad eſſentiae diuinae contemplatum, vel in anticis viſionibus, vel qua alia? Dedicatiua his placet, alteris abdicatiua. Quod ſi totus Diui Pauli locus 2. ad Cor. cap. 12. expendatur, non multum probabilitatis pro vſura lucis, eſſentiaeque diuinae contemplatione repertum iri, nobilis cuiuſdam magiſtri opinamentum eſt. Plurima tamen Scholae adſerunt, tuenturque ſacris codicibus non conteſtata, ne quidem adumbrata. Quare etſi dedicatiuae opinionis nullum exſtaret veſtigium, ab ea non idcirco diſtrahendi ſumus. Idem contra nobis accidit, quod olim Athenienſibus eueniſſe conſultiſſimus eorum demagogus ſubmonebat, vt quod in afflicta Rep. ex inconſultu praeterito peſſimum erat, id accuratiore ſtudio poſſe deinceps feliciter procedere. Scilicet audiui Doctorem aliquando hac potiſſimum ratione niti. Paulus, an in corpore, an extra ad

eſſentiae diuinae viſionem peruectus eſſet, non potuit ignorare, ſi ad eam peruectus eſſet: nam in eo ſpeculo quaedam rerum omnium vniuerſalitas neceſſario repraeſentatur. Nos dicimus ita fuiſſe cum Paulo actum, & exactiſſime ſciſſe eſſet, an non in corpore, cum Deum contra tueretur. Quia vero participatio viſionis illius puſillum durauit, dicimus lumen a Deo ad hoc iniectum Paulo ad tempus modicum fuiſſe, nec permanſiſſe in eo, vt ſic loquar, habitualiter, ſed actualiter tantum in praeſentem conuentionem. Hoc eſt, quod Diuus Thomas peruidit 2. 2. q. 175. a. 3. ad 2. Lumen, quo lumen diuinum videtur, *dupliciter participari poteſt. Vno modo, per modum formae immanentis; & ſic beatos facit Sanctos in patria. Alio modo, per modum cuiuſdam paſſionis tranſeuntis. Et hoc modo fuit lumen illud in Paulo, quando raptus fuit.* Ex quibus infero, viſione illa tranſeunte, multa in ea conſpecta ſimul euanuiſſe; inter quae illud, An in corpore, necne peracta viſio. Cum autem multa ſint, quae Pauli animo non effluxerunt, eo factum eſt, quod eorum ſpecies diuinitus impreſſae in animo, velut in memoriae theſauro, fideliter ſint reconditae. Superioris autem quaeſtionis cum nullae reſtarent ſpecies, & abijſſet iam viſio, reliqua fuit ignorantia, quam ipſum profiteri non vana fide credit D. Auguſtinus.

Secundo, ex hac Pauli ignorantia conficiunt aduerſarij, non vidiſſe Deum per eſſentiam: nos ex eadem cum D. Dionyſio confectum putamus vidiſſe. Sic enim ille epiſt. 1. Εἴ τις ἰδὼν Θεὸν, συνῆκεν ὃ εἶδεν, οὐκ αὐτὸν ἑώρακεν, ἀλλά τι τῶν αὐτοῦ τῶν ὄντων, καὶ γινωσκομένων: *Si quis, poſtquam Deum viderit, quod*

vidit,

vidit, intelligit, non ipſum vidit: ſed eorum aliquid, quae in ipſo ſunt, & cognoſcuntur. Ergo contra quam aduerſarij ſentiunt, ſi Paulus vidit Deum, modum poſt ignorauit de Dionyſij Pauli diſcipuli mente, hoc eſt, in corpore, an extra. Ingurgitatur enim, mergiturque Deitatis oceano, quiſquis ea bibenda dignus à Deo fit. Dicunt illi: Neſcit in corpore, an extra: Deum ergo non vidit Paulus. Dionyſius dicat: Neſcit in corpore, an extra Paulus: ergo Deum vidit. Ratio eius: quia viſionem Dei etſi claram, ſemper caligo comitatur aliqua. Dionyſij mens vt nobis ſit indubitabilis, interpretor epiſtolam totam quintam, & hic appono: *Diuina caligo inacceſſibile lumen eſt, in quo Deus habitare dicitur, qui cum ob excellentem claritatem ſit inuiſibilis, & ob diffuſi luminis, quod omnem eſſentiam ſuperat, nimietatem inacceſſibilis, in hoc eſt, quiſquis Dei cognitione, ac viſione dignatus eſt, vt cum neque videat, neque cognoſcat, vere in eo, quod viſionem, cognitionemque ſuperat, verſetur, hoc ipſo agnito, quod ſit ſupra ſenſibilia, & intelligibilia omnia, & inſtar Prophetae dicat: Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, confortata eſt, & non potero ad eam. Quemadmodum igitur diuinus ille quoque Paulus Deum nouiſſe dicitur, cum ipſum ſupra omnem cogitationem, & cognitionem eſſe cognouit. Quamobrem & inueſtigabiles eſſe vias eius dixit, & inſcrutabilia iudicia eius, & inenarrabilia dona eius, & pacem eius quemuis intellectum ſupergredi, vt qui inuenerit eum, qui eſt ſuper omnia, & hoc cum ſupra, quam cogitari poſſit, cognouerit, quod cum ſit cauſa omnium, ſit ſupra omnia.*

Objectaculum alterum ex 2. ad Corinth. c. 12.

Et audiuit arcana verba, quae non licet homini loqui: Auditionis tantum commemoratio eſt, viſionis nulla: tantum abeſt eſſentiam diuinam vt viderit. Verum vniuerſim dicimus mutuatas ab ſenſibus nomenclationes, cum ad intellectionem accommodantur, in eandem conuenire notionem ſexcentis apud Prophetas locis. Volunt & auditum fidei potius, quam viſionis eſſe miniſtrum. Quis negat? Ego vero pernego auditum fuiſſe miniſtrum fidei, & non viſionis, fultus Apoſtolo: *Veniam autem ad viſiones, & reuelationes.* Inſtant. Arcana verba *Reuelationes* ſpectare, non *Viſiones*. Valde recuſo. Ecquid enim vides? Prorſus reuelatas res, non velatas, non opertas; ſed apertas oculis, ſenſibus, intellectui. Referunt. Audita verba. Scilicet objectum audiendi potentiae appoſitum: ſed intelligentiae ſua quoque verba ſunt. Ex quo illud: *Dixit Dominus Domino meo.* Quid quod verborum cognitioni rerum cognitio comitetur, vt pulcre in Cratylo Plato diſputauit? Quid quod per *verba*, res hoc etiam loco viſae, non dumtaxat auditae ſignificari quitae ſunt? Ac mihi animum aduerte. Ἄῤῥητα ῥήματα, (quae verba per *ineffabilia nomina*, alioqui vertas ex Plinij lib. 5 c. 4. aut *ineffabiles fabulas*, ſeu hiſtorias ex libris Paralipomenon) Ῥῆσις Graece, Latine *Res*, omnia ab eadem ſunt origine, nec vſus diſſimilis. Lucae c. 2. Ἴδωμεν τὸ ῥῆμα τοῦτο τὸ γεγονός, ὃ ὁ Κύριος ἐγνώρισεν ἡμῖν. Adhortatio paſtoricia haec eſt: *Videamus hoc verbum, quod factum eſt* (verba facere nimis ex vſu eſt) tum apponitur: *Quod Dominus oſtendit nobis*, ſeu, *quod notificauit nobis*, ſeu, *notum fecit.* Viden' hoc loco *Verbum*

Digitized by Google

videri, atque ad viſionem pertinere? Eſtque Hebraeis etiam ſollemne *Verbum* pro *Re* quauis vſurpare. Blandiuntur ipſae, vti diximus, voculae ῥήματα, ῥήσεις, *Res* inde ortae τῇ ἀποκοπῇ. Et tu *Arcana verba* Pauli, non *res* arcanas, atque ineffabiles fateri vis? Acclamant. Audire minus eſt, quam videre. Non hic tribunal ſtatuitur, vt de oculati, vel auriti fide teſtis dijudicetur; non ſcena Plauti ſternitur, vbi *Pluris eſt teſtis vnus oculatus, quam auriti decem.* Sed neceſſario repono iam ex Strabone lib. 2. Ὁ δ' ἀξιῶν μόνον εἰδέναι τοὺς ἰδόντας, ἀναιρεῖ τὸ τῆς ἀκοῆς κριτήριον, ἥτις πρὸς ἐπιστήμην ὀφθαλμοῦ πολὺ κρείττων ἐστι. Neceſſario illud Ioannis 1. c. 1. *Quod vidimus, & audiuimus, annunciamus vobis.* Aequa igitur fides auditis in ſacro codice, ac viſis adhibenda: quamquam vti prodictum ad intellectum accommodanda hic omnia. Quare vaneſcit omnis iſta diſtinguendi ſubtilitas. Recte denique D. Greg. M. hom. 8. in Ezechielem: *Vox ergo eſt in mente, quaſi quidam ſonus intelligentiae.* Nec vox minus, quam color, aut figura. Denique Paulum audiſſe arcana, non ergo Deum vidiſſe volunt. Non & Chriſtus paſſim ſe a Patre audita referre pronunciat? Confiet igitur Patrem non vidiſſe Chriſtum.

Rurſus adſilit Doctor Lagopolitanus. 1. ad Timotheum 6. de Deo Paulus, *quem nullus hominum vidit.* Non igitur Paulus, cuius ad Timotheum literae ſcriptas ad Corinthios ſecutae ſunt. Non placet ſemilacer Paulus. Integranda ſententia: *Quem nullus hominum vidit: ſed nec videre poteſt.* Vtrumque membrum pari complectamur intelligentia. *Nullus hominum vidit, nec videre poteſt,*

abſque ſingulari Dei priuilegio. Alioqui vita hominibus inuidetur aeuiterna. Deinde nemo viuens videre poteſt. Viuens vitam hanc mortalem, niſi morte vera interceptam, vel mortis imagine, quae eſt *Raptus*, *&* *Ecſtaſis*. Neque reſponſum hoc catillonis eſt, aut omnia ad repellendum hoſtem conquirentis: ſed Auguſtini eſt epiſtola 112. *Nemo poteſt faciem meam videre, & viuere: niſi quia poteſt humana mens diuinitus rapi ex hac vita ad Angelicam vitam, antequam per iſtam communem mortem carne ſoluatur. Sic enim raptus eſt, qui audiuit ineffabilia verba* (ſic & Cyprianus Ἄῤῥητα ῥήματα vertit) *quae non licet homini loqui. Vbi vſque adeo facta eſt ab huius vitae ſenſibus quaedam intentionis auerſio, vt ſiue in corpore, ſiue extra corpus fuerit, id eſt, vtrum ſicut ſolet in vehementiori Ecſtaſi mens ab hac vita in illam vitam fuerit alienata, manente corporis vinculo, an omnino reſolutio facta fuerit, qualis in plena morte contingit, neſcire ſe diceret. Ita fit, vt & illud verum ſit, quod dictum eſt: Nemo poteſt faciem meam videre, & viuere; quia neceſſe eſt abſtrahi ab hac vita mentem, quando in illius ineffabilitatem viſionis adſumitur, vt non ſit incredibile quibuſdam Sanctis nondum ita defunctis, vt ſepelienda cadauera remanerent, etiam iſtam excellentiam reuelationis eius conceſſam fuiſſe. Quod exiſtimo cogitaſſe illum, qui noluit dicere: Nec Apoſtoli Chriſtum videbant; ſed ait: Nec Apoſtoli omnes Chriſtum videbant, credens quibuſdam eorum diuinitatis quoque ipſius viſionem, de qua loquebatur, etiam tunc potuiſſe donari. Certe propter beatum Paulum: quia & ipſe, quamuis nouiſſimus, vtique Apoſtolus erat, qui de ſua illa ineffabili reuelatione non tacuit.* Haec tam

vbertim, omnibus vt indubia ſit Auguſtini ſententia. Praeterea, *Deum nullus vidit*, ſic vt quantus, quantus eſt, videndo conſequeretur. Ita D. Chryſoſt. homil. 14. in Ioan. ſub finem: Γνῶσιν τι γὰρ ἐνταῦθα τὴν ἀκριβῆ λέγει θεωρίαν τε, καὶ κατάληψιν, καὶ τοσαύτην, ὅσην ὁ πατὴρ ἔχει περὶ τοῦ παιδός: *Notionem namque hic accuratiorem dicit contemplationem, & comprehenſionem, eamque tantam, quantam de Filio habet Pater.* Aut vt Gregor. M. explicat lib. 38. in Iob, c. vltimo: *Nullus quippe eam vidit, qui adhuc carnaliter viuit: quia nemo poteſt Deum ſimul amplecti, & ſeculum. Qui enim Deum videt, eo ipſo moritur, quo vel intentione cordis, vel effectu corporis ab huius vitae delectationibus tota mente ſeparatur.* Quare exclamabat Apoſtolus: *Viuo ego, iam non ego: viuit vero in me Chriſtus.* Rapti quoque Pauli cauſa a Chryſoſtomo deuelata, aut nulla eſt, aut Dei eſſentiam ei viſam continet. *Cur*, inquit, *raptus eſt? Ne videatur, vt opinor, minus cum Paulo feliciter agi, quam cum reliquis Apoſtolis. Quandoquidem illi cum Chriſto conuerſati ſunt, Paulus autem minime: ideo ipſum* εἰς δόξαν ἥρπασε, καὶ εἰς τὸν παράδεισον: *in gloriam rapuit, & in paradiſum.* Addit inibi in c. 12. 2. ad Cor. Paradiſi nomen vbique nobile, & eundem eſſe paradiſum hunc cum promiſſo latroni paradiſo, qui indubitanter diuinae eſſentiae viſionem incolis ſuis exhibet, quod & Theophylactus, & Anſelmus condocefaciunt. Si autem non eſt Paulus ad viſionem diuinae admiſſus eſſentiae, minus cum eo feliciter actum, quam cum caeteris, qui Chriſti Dei eſſentiam quotdiebus viſitabant, nulla imaginum objecta nebula.

Prius autem quam 2. ad Cor. c. 12. ſcamma ex-

Digitized by Google

ſiliamus, non illud praetermittendum: *Et ne magnitudo reuelationum extollat me.* Sic enim via recta, etſi tectiore, eodem peruenitur. Quid enim eo in raptu tunc reuelatum? D. Gregor. homil. 4. in Ezechielem, putat Apoſtolum vidiſſe ordines agminum coeleſtium. Alij vberius edoctum myſterium vocationis nationum, aliaſque religionis Chriſtianae partes. Magna haec profecto: ſed & cum reliqua Apoſtolorum manu communicata. Sciſcitor quid amplius Paulo deuelatum, vt audeat vtiliter iactare ὑπερβολῇ ἀποκαλύψεων, *reuelationum excellentiam?* Eo pro eius honore interdum, vt qui in perplurimis Petro par fuit, ſaltem admiſſa reuelationum ſeu magnitudine, ſeu excellentia, ſeu ſupereminentia Dei eſſentiam aperte, hoc eſt, non in aenigmate viderit. Quae res & Petro reuelata a Patre. Matth. 16. Nec ignoro reuelatum Petro per fidem ex mente S. Leonis. Si quis apex tamen in apertam lucem reuelationis Petri nos mitteret, ſequeremur. Paulus autem *viſiones, & reuelationes* copulat, & *ſupereminentes reuelationes* praeconio ſupereffert. Quo ſupereminet? In prono reſponſio. Reuelato Deo. Dico, dico *Arcana verba, quae non licet homini loqui.* At Angelorum ordines elocutus eſt c. 1. ad Coloſſ. & alibi. Myſteria quoque de nationibus, deque religione Chriſtiana eloquitur ad Galatas 1. cum *ſe accepiſſe Euangelium per reuelationem IESV Chriſti* ait. Iterumque c. 2. *ſe adſcendiſſe Ieroſolymam ſecundum reuelationem, vt de Euangelio, quod praedicabat in gentibus, conferret.* Reſtat ergo diuinam eſſentiam tranſeunter illi viſam: ea namque ſola videtur inenarrabilis homini, & abdita: caetera

Digitized by Google

loqui licet. Propendet huc propenſione maxima tom. 6. D. Chryſoſtomus: Ὁ τριώροφον οὐρανὸν διελθὼν, καὶ εἰς παράδεισον εἰσελθὼν, καὶ μέχρι τῆς δεσποτικῆς, καὶ ἀπερινοήτου καθέδρας ἀναβαί: caetera namque περινόητα mente comprehenſibilia vnica Dei eſſentia, quae iſta ſede innuitur, ἀπερινόητος, mente comprehendi nequita eſt. D D. Dionyſio, Auguſtino, Chryſoſtomo, Thomae adde ſis Tertullianum lib. 3. contra Marcionem: *Hunc* [Chriſtum] *Paulus praelectus Apoſtolus in vice miſſus, In coelos raptus vidit quoque.* Et contra Gnoſticos cap. 12. *Paulo, quem Paradiſi quoque compotem fecit ante martyrium.* Quo pacto, *Paradiſi compotem*, ſi principem Paradiſi voluptatem, quae in clara Dei viſione poſita eſt, non deguſtauit? Quo pacto *Paradiſi compotem*, ſi tantum Angelorum agmina circumſpexit? S. Cyprianus in exhort. Martyrij: *Qui oculata fide IESVM Dominum vidiſſe ſe gloriatur.* Quod ne referas ad primam viſionem, vetat cap. 12. 2. ad Corinthios, quo collineaſſe Cyprianum indicant ſupremae voces: *Vidiſſe ſe gloriatur.* Gregorius M. lib. 10. in 11. c. Iob, c. 8. Paulum *coeleſtis patriae lux irradiauerat.* Fruſtra illi opus luce coeleſti, niſi ad coeleſtem viſum: Chriſtus autem objectum potiſſimum, ad cuius videndam lucem eius lucis radius fuit opus, iuxta Pſalmum: *In lumine tuo videbimus lumen.* Toſtatus Abulae in Exo. c. 11. *Quod patet in D. Paulo, qui dum raptus fuit ad videndum diuinam eſſentiam, ita priuatus fuit omnibus ſenſibus.* Ibidem hoc priuilegium ab Eliſaeo remouens: *Quia non poteſt dici, quod fuerit ibi reuelatio Dei per eſſentiam: quia hoc nulli viatori concedimus, niſi Moyſi, & Paulo.* Item in c. 1. lib. 2. Pa-

Digitized by Google

ral. *Sic fuit in B. Paulo: quia eleuatus eſt ad videndam diuinam eſſentiam, cum dicat ſe vidiſſe* (an Patrum aliquis huiuſce lectionis Toſtato auctor?) *arcana verba, quae non licet homini loqui.* Item: *Ecſtaſis non eſt pro quocumque actu intelligendi: ſed ſolum pro actu intelligendi circa rem excellentiſſimam, ſicut circa diuinam eſſentiam clare cognoſcendam, vt fuit in B. Paulo.* Denique in Matth. c.5. dicto non viſam diuinam eſſentiam Paulo ex aliquorum opinione, iudicio ſuo ſic vtitur: *Verba tamen Doctorum contrarium ſonant. Vnde communiter tenetur, quod diuinam eſſentiam viderit.* Fr. Picus Mirandulae lib. 2. de rerum Praenotione c.3. *Deus etiam aliquid luminis gloriae hac in vita, & Paulo, & Moyſi, ſed tranſeunter, ſed momentanee fere impartitus eſt.* Ibidem c. 8. inuocato Auguſtino, Thoma, alijſque Theologis: *Viderunt hi diuinam eſſentiam lumine gloriae, quo beati perfunduntur. Viderunt, inquam, non vt beati, in quibus veluti forma quaepiam illud ipſum reſidet lumen, & vti quidam habitus perficit, quod illis dumtaxat affulſit inſtar paſſionis ſubitariae, affectioniſque tranſeuntis. Itaque donatus hoc munere Moſes, donatus & Paulus: ille Iudaeorum, hic gentium Doctor: ille dum Dei regeret populum, hic dum raptus eſt ad tertium coelum, & audiuit arcana verba quae non licet hominem loqui.* Ille ipſe Toſtatus haec eadem pluries regerit.

Neque vero (hoc vt obiter in παρέργῳ, non omnino ἀπαρέργῳ ſubmoneam) multum eo moueor, quod Paulus gentium Doctor fuerit, Moſes Iudaeorum: non tam ſingulare priuilegium diuina confertur voluntate, non ex meritorum trutina pendet: non ex cuiuſque dignitate: alio-

qui B. MARIA in partem vocanda. Moueor tamen, quia officijs Pauli fere reſpondebat ea gratia, & quia Theologorum bona pars ita ſenſit: multis autem, & doctis obniti, vix eſt abſque temeritate. Vtvt ſit, tamen raptu, & viſione Pauli vix excellentius quidquam mortali datum. Albae Epiſcopus:

Hauſiſti mortalis adhuc mortalibus oris
Lucis inacceſſae iubar, immemorabile lumen.
Illa tibi viuo ſublata nube tueri
Ora datum eſt, quorum adſpectu illuſtrata beantur
Omnia, quae ſuperae vix poſſunt cernere mentes
Alituum coeleſtûm acies, gens incola coeli.

Illephonſus Giron ſerm. 1. de S. Paulo: *Vidit Deum ipſum per eſſentiam, ſicut vident Angeli primae Hierarchiae, & animae beatae, &c. Non tamen fuit beatus: quia non habuit lumen illud per modum habitus, ſed per modum raptus.*

Obſiſtit Doctor a Gorcomio in 2. Sentent. d.8. §. 10. Si Paulus vidit Dei eſſentiam (cras de Moſe) ergo deſijt habere fidem, vt pote non conſiſtentem cum clara Dei viſione; ac proinde, inquit, deſijt eſſe viator. Reſponderat pridem D. Thom. 2. 2. q. 175. a. 3. *Quia Paulus in raptu non fuit beatus habitualiter, ſed tantum habuit actum beatorum: conſequens eſt, vt ſimul tunc in eo non fuerit actus fidei; fuit tamen ſimul tunc in eo fidei habitus.* Maluit autem iſte Doctor arripere, & oppugnare D. Thomae reſponſum ad ſecundum: nos contra obicem iſtum D. Thomae mole contenti ſumus. Neque enim ſecum pugnant actus viſionis huiuſce paene momentaneus, & fidei habitus. Quare etiam fidei habitu facto reliquo via-

Digitized by Google

tor eſſe non deſijt. Preſſius autem argutanti comparandi fuerant ſimul actus viſionis clarae, & actus fidei, item habitus paralleli: non actus, & habitus diſiunctarum cognitionum.

Idem Doctor in Chryſoſtomum tacito nomine fertur infeſtus, & in rationem ſuperam de Paradiſo arietat. Latronem in Paradiſum dictat receptum, vt ciuem ibi permanſurum, & proinde participem regni, & omnium bonorum cum Chriſto. Paulum autem ad horam illuc admiſſum tantum, vt peregrinum, cui datum quidem audire quaedam illius loci ſecreta; ſed non videre, id eſt, non perfectam eorum viſionem, & participationem adſequi; ſed imperfectam, licet excellentiorem ea, quam caeteri fideles quaſi a longe audiendo percipiunt. Vnde nec Paulus, inquit, dicit ſe cum Chriſto fuiſſe: ſed quaſi id ſibi nondum contigerit adhuc poſtea dicit: *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto.* Latroni autem dicitur: *Mecum eris in Paradiſo.* Iuſti examinis egent haec omnia. Primum quidquid de Latrone dicit, complector: de Paulo aliter paulum nobis conſtituenda diſputatio. Deinde ea iura, quae ciuium ſunt, ſaepe cum peregrinis priuilegio communicantur. Ergo Paulus vt peregrinitatis reus, non eſt a Chriſti conſortio, ac viſione ablegandus: ſed quod iure promiſſionis Chriſti Latroni aeternum obtigit, hoc ad horam Paulo ex priuilegio datum dicimus. cui datum audire quaedam loci illius ſecreta cum eodem Eſtio damus: ſed cum ait, *non datum videre*: Primum ſibi pugnat ipſi commentanti in epiſtolam 2. ad Cor. cap. 12. vbi diſquirit, vna fuerit, an duae viſiones, cum

raptus eſt Paulus in tertium coelum, & cum raptus eſt in Paradiſum. Pugnat & Apoſtolo ituro ſcribere *viſiones, & reuelationes Domini.* At viſionem non vocat, quae imperfecta ſit. Scitor ego, qui tibi conſtat Paulum imperfecte vidiſſe? Hoc enim eſt cardo quaeſtionis. An vt ſe reliquis Apoſtolis parem probet, argumenta ab imperfectis rebus, rationibus, viſionibuſve mutuatur? Deinde rapti in coelum tertium, rapti in Paradiſum viſioni quid ad perfectionem defuerit, deſignandum eſt. Si quia non fuit viſio permanens, ideo fuit imperfecta: ſic renitor. Si Deus beati Latronis coeptam viſionem poſt horam incidiſſet: non putas viſionem peractam, abſolutamq. ac perfectam pro temporis ratione futuram fuiſſe? Tantumdem de Pauli viſione ſentio. Praeterea imperfectam ait; ſed excellentiorem ea, quam caeteri fideles percipiunt. Anne fideles omnes viſiones vident? Excellentiorem ea. qua? Dicere cognitionem Pauli excellentiorem ea, *quam caeteri fideles quaſi a longe audiendo perceperunt*, eſt Paulum, Paulique praerogatiuas ludibrio habere. Dico ego Paulum proxime Deum euectum eum audiſſe, vidiſſe ſecundum *viſiones, & reuelationes* ab eo commemoratas. Neque hic reſto. Dico Pauli cognitionem fuiſſe ſupra cognitionem in terra Patriarcharum, & Prophetarum, quibus per ſpeciem Deus, aut Dei miniſter eſt objectus Angelus, non ipſe in aperto. Quid porro eſt Pauli cognitioni metas ponere ſupra fidelium cognitionem, qui audiendo perceperunt, niſi viſiones eius occaecare, atque exſtinguere? Et cum ijs Paulum componere, qui non *a longe*,

Digitized by Google

ſed deminutius, *quaſi a longe audiendo perceperunt,* niſi gentium Apoſtolum irridere? I, Paule, & hac cognitionis magnitudine te cum duodecimviris compone. Scilicet haec eſt magnitudo *reuelationum*, ex quibus elationem pertimeſcis, & praecauit Deus, qui te vix ex humili reptatione euectum, tentatione deprimit.

Neque illud concoquo. *Quaſi id ſibi non contigerit, poſtea dicere Paulum: Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto.* Vela obuertamus, dicamus nos Pauli perſonam induti: *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto.* Memini enim praelibatae viſionis, praeguſtatae voluptatis. Euanuit viſio: voluptas fuit. At altius impreſſa haeret memoria, quae me dies, noctesque ſolicitat, vt exſolui peruelim his corporis anguſtijs, & ſurſum reuolare non ad puſillam temporis vſuram, ſed ad aeternitatem perfruendam, vt IESV meo aeternum perfruar, in eoq. aeternum conquieſcam. Retracto mente viſa mea: fui cum Chriſto: at miſerum eſt fuiſſe. Hoc ipſum iterum, iterumque cupio. *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto.* Chriſti equidem in corpore meo ſtigmata porto: at acrioribus deſiderijs deſidero reguſtare, quae vidi, quae audiui arcana. Arcana ſupra res mundi omnes, ſupra rerum ordinem, Chriſtus eſt. *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto.* Vidi, & audiui, quae ſupra ſortem, fidemque fidelium ſunt. Vidi Chriſtum in gloria Patris. *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto.* Cur Chriſti viſionem Paulo, quam Stephano ademtum eunt? Cur Paulo rapto potius, quam in terram proſtrato, aut quam in triduo ſemineci, ſemiuiuo? *Quaſi id ſibi non contigerit.* Vmbrae, ſomnia.

Finieram. Verum per occaſionem raptus, ecce ad priora Doctoris illius propugnacula rapior, volenſque cedo violentiae, ne quid inexcuſſum, aut diſſimulatum ſuperſit. In coelo empyreo creati fuerunt Angeli, inquit, non tamen ſtatim clara Dei viſione beati. Ergone ideo Paulus? Duaci, Louanij, Pariſijs innumerabiles fuere non Doctores. Sunto Academiae, ſunto: Idcircone nullus vnquam inibi Doctor? Neque nos Paulum κυρίως Beatum dicimus. Beatitudo namque cum ſit ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus, durationem irruptam, & aeternam abſque mutatione vlla ſuo concludit orbe: quod Paulo tunc minime contigit.

Auget rationum imagines. Numerorum c. 12. Viſio obſcurioribus reuelationibus, inquit, annumeratur. Hoc fruſtra proponitur, ni ſubdas eiuſmodi fuiſſe Pauli viſionem. Id ſi agis: ergone, inquam, viſio Iſaïae Prophetae etiam tenebris damnabitur? Cur minus, quam Pauli? Cur Pauli magis, quam Iſaïae? Sunto viſiones quaedam obſcurae: dum apertiores admittantur.

Vltra fertur interpretando. Apoſtolus hoc loco non intelligit *viſiones, & reuelationes Domini*, tanquam obiecti, ſed tanquam reuelantis. Nam alioqui dixiſſet, *viſionem Dei*. At ſexcentis Scripturae paginis *Dominus* idem *Deo*. Memini libris editis hoc ex Tertulliano, alijſque expreſſiſſe me. Deinde neque vim verbis afferet, neque cognatis, affinibuſque Scripturae locutionibus, qui dicet *viſionem Domini* eſſe, qua *Dominus videtur*. Negas? Aienti qui te feres obuiam?

Extremum illud eſt. Certe cum Apoſtolus eo

loco commemoret ſua glorioſa propter Pſeudo-apoſtolos, ſi Deum per eſſentiam vidiſſet, id vtique clare expreſſiſſet, vt poſſet intelligi. Contra. Apoſtolus ſua glorioſa (ſi fas ita loqui) temperauit, ne nimio facinorum, & gloriarum ſuarum ſplendore praeſtringeret Pſeudapoſtolis aciem, quibus erant oculi inuidentiae veneno ſuffuſi. Moderate autem res ſuas extuliſſe Paulum, grauiora, & ardua quaeque ſilentio texiſſe iactat, notat, laudat Chryſoſtomus omni paene pagina, vt aut Chryſoſtomum non legerit, aut non intellexerit, aut non meminerit, aut ſpreuerit, qui mihi hoc non largitur. Adſerere vero Apoſtolum hoc clare expreſſurum fuiſſe; eſt Apoſtolo iactantiam impingere, imprudentiam, & animi immoderationem, ſibique prophetiae lucem effundere.

CAP. X.

In corpore, an extra corpus raptus Paulus?

CONGERENS quaeſtiones, quae fidei capita non continent, Diuus Auguſtinus lib. 2. c. 23. contra Pelagium, & Coeleſtium, hanc proponit: Vtrum in corpore, an extra corpus in tertium coelum raptus ſit Apoſtolus? *Quamquam*, inquit, *ſit iſta impudens inquiſitio id ſcire volentium, quod ſe ille, cui praeſtitum eſt,*

ſalua vtique fide, neſcire teſtatur. Et Diuus Chryſoſtomus in c. 12. poſterioris ad Corinthios: *Si Paulus ipſe raptus, talium, tantorumque arcanorum particeps ignorabat, quanto magis nos?* Nihilominus D. Thomas 2. 2. q. 175. articulis quinto, ſextoque ſcitatur: *Vtrum anima Pauli in ſtatu illo fuerit totaliter a corpore ſeparata?* Negate reſpondet, & in partes ſuas ipſum ducit Auguſtinum epiſtola ad Paulinam de videndo Deo: *Non incredibile eſt quibuſdam Sanctis nondum ita defunctis, vt ſepelienda cadauera remanerent, etiam iſtam excellentiam reuelationis eius fuiſſe conceſſam.* Vt videlicet viderent Deum per eſſentiam. Nam videre Deum per eſſentiam, & videre Dei eſſentiam, vnum, idemque eſt Toſtato. Si autem anima reapſe fuiſſet a Pauli corpore ſecreta, dubio procul, reliquum fuiſſet corpus exanimale, ſeu cadauer. Item reducem animam non niſi miraculo corpus excepiſſet, cum ad eam renouandam coniunctionem nullam natura viam aperiat, idoneis ad hoc deſtituta viribus. Miracula autem congeminare, aut multiplicare vetant Theoſophiae iura. Non tamen Dei omnipotentiae id negat Diuus Thomas q. 175. a. 6. Et nos Deum potuiſſe confitemur; animam autem Pauli extra corpus ſeduxiſſe non putamus cum Diuo Machario homil. 25. Οὐ γὰρ χωρὶς σαρκὸς εἶδεν ἐκεῖνο τοῦ φωτὸς δύναμιν. Tertullianus autem lib. de Anima, & alibi, cum animam a corpore ſeparem negat, ſalua vita negat, & negat ad viſiones id neceſſarium. Haec ita cum D. Thoma, & communi Theologorum opinione probabiliter diſputamus.

Quamuis S. Hildegardis in quaeſtionibus ſuis

animam Pauli a corpore ſeparet: quamuis & illa ſint D. Gregorij in c. 11. Iob, lib. 10. c. 8. *Carnis repente hunc ſtimulus ſauciat, quem extra carnem contemplatio ſancta rapiebat.* Explico illud *Extra carnem*, extra carnis, extra carnalium ſenſuum functiones.

An vero Paulus hoc ignorauit? Ignoraſſe ſe clamat: contra quis hiſcat? Et hoc *ſalua vtique fide neſcire ſe teſtatur*, vt ſupra ſcribit Auguſtinus, & lib. 12. de Geneſi ad literam: *Quamuis abrepto Apoſtolo a carnis ſenſibus in tertium coelum, hoc defuit ad plenam, perfectamque cognitionem rerum, quae Angelis ineſt, quod ſiue in corpore, ſiue extra corpus eſſet, neſciebat.* D. Auguſtino haeret D. Thomas 2. 2. q. 175. a. 6.

CAP. XI.

Pauli Imagines. Item, cur eius in dextera Gladius.

IMAGINVM vſus in vetere memoria aut nobilitatis inſigne, aut exordium. Quare inter exſequiales pompas geſtabantur imagines. Imagines plerumque viris magnis de Repub. bene meritis, rerum geſtarum gloria praeſignibus poſitae ſunt, qualis Diuus Paulus, qui diuinis factis Chriſti IESV Eccleſiam fundauit, auxit, animauit, opulentauit. Pauli vero imagines aut ſpeculum mendax ſunt, aut qualis ipſe

Digitized by Google

ipſe fuit, & ipſe, tales. Qualis ipſe? Nicephorus Calliſtus Eccleſ. Hiſtoriae lib. 2. c. 38. PAVLVS AVTEM CORPORE ERAT PARVO, ET CONTRACTO, ET QVASI INCVRVO, ATQVE PAVLVLVM INFLEXO, FACIE CANDIDA, ANNOSQVE PLVRES PRÆ SE FERENTE, ET CAPITE MODICO. OCVLIS MVLTA INERAT GRATIA: SVPERCILIA DEORSVM VERSVM VERGEBANT. NASVS PVLCRE INFLEXVS, IDEMQVE LONGIOR: BARBA DENSIOR, ET SATIS PROMISSA: EAQVE NON MINVS, QVAM CAPITIS COMA, CANIS ETIAM RESPERSA ERAT. Cuncta ſingillatim penſius excuti collibitum eſt.

PAVLVS AVTEM CORPORE ERAT PARVO] Ne Paulo fraudi ſit, quod occinit Hilariorum auctor feſtiuiſſimus:

Ea paruulorum eſt indoles, vt corpore
Sit animus ollis grandior pedes decem:
Et more bruti, quod volunt, valde volunt.

DICO ex ea corporis paruitate ingentem S. Paulo fuiſſe animum, ingentiorem Dei gratia: nec tamen more Bruti, quod voluit, valde voluit: ſed ſi quid *valde voluit*, Deo volente voluit. Firmo ex Claudiano, vbi de Alana gente:

Cui Natura breues animus ingentibus artus
Finxerat, immanique oculos infecerat ira.
Vulneribus pars nulla vacat, reſciſaque cunctis
Gloria foedati ſplendet iactantior oris.

Ex Thebaïde prima:

—— *Sed non & viribus infra*

Y

Tydea fert animus, totoſque infuſa per artus
Maior in exiguo regnabat corpore virtus.

Solinum c. 45. non ſolicito. Puſilli viri termaximi fuere Philippus Macedo, Xanthippus Lacon, Vlyſſes, Ageſilaüs; fortes animis, & corpore. Contra, Satyrographus ridet *longum inualidi collum.* Gratia ergo Dei auſis ingentibus admouit virum corpore puſillum, viribus, atque animis inuictum, qualem eſſe decuït tantorum geſtorem operum, & aerumnarum tantarum patientem: fatiſcat longus.

CORPORE ERAT PARVO, ET CONTRACTO, ET QVASI INCVRVO, ATQVE PAVLVLVM INFLEXO.] Vmbra huiuſce deſcriptionis in 2. ad Corinth. c. 10 *Praeſentia autem corporis infirma.* Noto hic ex Senecae epiſtola 66. de Clarano: *Inique enim ſe Natura geßit, & talem animum male collocauit: aut fortaſſe voluerit hoc ipſum nobis oſtendere, poſſe ingenium fortißimum, ac beatißimum ſub qualibet cute latere. Vicit enim omnia impedimenta, & ad caetera contemnenda a contemtu ſui venit.* Quae in D. Paulum mirifice quadrant.

FACIE CANDIDA.] Candidioris animi indicio. Salue mi

Toto candidior Paüle cygno,
Argento, niue, lilio, liguſtro.

CAPITE MODICO.] Non puſillo, quale eorum, qui ex eo quandoque a recta mente deuij. Non magno, aut craſſo: quia, inquit I. Scaliger, magnorum capitum magna laus magna eſſe pecora. Sed *Modico*, intra modum compoſito.

Digitized by Google

OCVLIS MVLTA INERAT GRATIA.] Per quos animus maxime emanat, auctore Fabio. Et credibile eſt hos oculos animorum ad ſalutem illices fuiſſe.

SVPERCILIA DEORSVM VERGEBANT.] Naturali decore, & poſitura. Nam qua ſupercilijs ex cauſa pili defiant, norunt medicorum pulli. Poſitura quoque naturae deorſum vergunt: alias morbi vi, aliaque ſecreta ex cauſa cilia ſurriguntur.

NASVS PVLCRE INFLEXVS, IDEMQVE LONGIOR.] Indubitabili prudentiae argumento.

BARBA DENSIOR, EAQVE SATIS PROMISSA.] Gemina barbae commendatio. Barba autem virum, & probum, & honeſtum, inprimiſque grauem, atque ſerium decet. Contra, foeminae, pueri, eunuchi, mollius viuentes, imberbes. Hinc videas vnumquemque eorum, qui vel ſupremo labro tantum, vel extremo mento barbatuli ſunt, quotieſcunque in ſpeculum inſpexerint, vel ad os manus admorint, ſuccenſere naturae, & ſe ita factos ingemiſcere. Porro vt vniones grandiores quantiuis ſunt precij; ſic barbae: ſic Pauli barba denſior, ac promiſſa, *ſicut barba, barba Aaronis.* Sed & Petrus, caeteriq. Apoſtoli cum Chriſto bene barbati.

EAQVE NON MINVS, QVAM CAPITIS COMA, CANIS RESPERSA ERAT.] Graeci dicant Μεσαιπόλιον; qualem Idomenea memorat Homerus, aut Σπαρτοπόλιον, Pollux.

Talis ergo Paulo inducenda eſt a pictoribus perſona; talis effigies, ex qua agnoſcatur. Sic Pe-

Digitized by Google

trum, ac Paulum ſaepius apparuiſſe in ea ſpecie, qua pingi ſolent, patet ex Conſtantino in edicto donationis ſuae. Sic eorum imagines Secundino tranſmiſit habendas S. Gregorius M. lib. 7. c. 54. Sic ex colore ſunt agnitae Euſebij lib. 7 c. 18. hiſtoriae Eccleſiaſticae: *ὅτι καὶ τῶν Ἀποστόλων αὐτοῦ τὰς εἰκόνας Παύλου, καὶ Πέτρου, καὶ αὐτοῦ δὴ τοῦ Χριστοῦ διὰ χρωμάτων ἐν γραφαῖς σωζομένας ἱστορήσαμεν*: ob accepta beneficia. Eadem Euſebio, Gregorioque D. Auguſtinus lib. 1. de Conſenſu Euangeliſtarum, c. 10. tradit: Petrum videlicet, ac Paulum pluribus locis ſimul cum Chriſto expictos.

Imaginum haec triga priſtinae Pauli cum Chriſto familiaritatis tabula eſt, qua ſuper D. Chryſoſtomus tom. 8. laudatione Pauli 5. *Τί λέγω νηστείαν, καὶ γνῶσιν, ὅπου γε ὁμιλίαι τοσαῦται, καὶ οὕτω συνεχῶς πρὸς τὸν Θεὸν ἦσαν αὐτῷ γεγενημέναι, ὅσαι μήτε Προφητῶν, μήτε Ἀποστόλων ἐγένοντο μηδενί, καὶ μᾶλλον ἐταπεινοῦτο διὰ τοῦτο.* Multum, ſuperque adſertum. *Quid ieiunium, quid Pauli cognitionem dico? quandoquidem familiaritas cum Deo tanta, tamque continenter illi fuit, quanta neque Prophetarum, neque Apoſtolorum vlli, qua ex re altius ſubmittebat ſeſe.* Aut certe quidam in Eccleſia Catholica triumviratus eſt, cuius caput Chriſtus eſt, & principatum gerit, quem cum Petro, & Paulo communem eſſe voluit. Idem Paulus, & Petrus e tumulis obuiam ibunt Chriſto iudici, Chryſoſtomo teſte in epiſt. ad Rom. *Ἐννοήσατε, καὶ φρίξατε, οἷον ὄψεται θέαμα Ῥώμη τὸν Παῦλον ἐξαίφνης ἀνιστάμενον ἀπὸ τῆς θήκης μετὰ Πέτρου, καὶ αἰρόμενον εἰς ἀπάντησιν τοῦ Χριστοῦ.*

Quaeres, cur in Pauli dextera gladius? Hoc enim ſchema Pauli in omni fere tabella. An quia

Digitized by Google

Paulus ſeminiuerbius, & ſuo vomere, ſeu ferro nouellas, Chriſtoque incitas animas ſic excoluit, vt erroris, ac vitae prauae ſentes, & cactos deruncinauerit? *Gladius autem ſpiritus eſt Verbum Dei*, ad Epheſ. c. 6. cuius ipſe ſator. An Pauli gladius veteris diſciplinae, animique inquietis index eſt, cum inflammato animo, & ferro accinctus perſequebatur Eccleſiam? Priſtinae ſiquidem vitae exemplum ſubinde ſunt Sanctorum picturae. Sic illa, quam ſanguine fluentem ſtitit Chriſtus, ſupplicantis ore, ac geſtu pingi ſuetam docet nos Euſebius lib. 7. c. 14. & Theophylactus in Matthaeum. Taedium vitae prioris Magdalidis lacrimae loquuntur, & caua genarum Petri ex oculorum ſtillicidio negationem arguunt. Neque enim vnquam Sancti ſe peccatores negant, ne diuinae miſericordiae memoriam abjeciſſe videantur. Capitalis ratio: quia gladio Pauli ceruix inciſa. Sic gladius eſt ſacrae necis monimentum, vt Aecatherinae, & rota, & nouaculae; vt Iſaïae ſerra apud Andream Cretenſem, Macarium Chryſocephalum, Athanaſium, Cyprianum, Gregentium, eum diſſectum clamat.

Decus ingens (nec in terris maius) vitam Chriſto, fideique impendiſſe, & vita profuſa coelum emercari, quod Paulo datum. Nos qui nondum ad ſanguinem vſque carni, & Diabolo obſtitimus, conſtantiae monemur Sanctorum exemplis, ac imaginibus. Et quia nobis virtutem, atque ampla Sanctorum facinora repraeſentant ſaepe, gratiamque de coelo benigne cum illis communicatam: Sanctorum picturas ſuſpicimus, exoſculamur, amplectimur, demiramur, ac

Digitized by Google

in eorum imitationem rapimur, quod & a coelitibus profuſis votis, & a Deo flagitamus. Nunquam autem imagines, quamuis Sanctorum, quamuis IESV Chriſti, pro Numine habemus, nunquam adoramus, nunquam vitam aeternam, aut felicitatis vllam adumbratam imaginem ab imaginibus poſtulamus, aut exſpectamus. Scimus, tenemuſque illa B. Gregorij monita omnibus inculcanda lib. 7. epiſt. 54. *Scio quidem quod imaginem Saluatoris noſtri non ideo petis, vt quaſi Deum colas: ſed ob recordationem Filij Dei in eius amore recaleſcas, cuius te imaginem videre deſideras. Et nos quidem non quaſi ante diuinitatem ante illam proſternimur: ſed illum adoramus, quem per imaginem, aut natum, aut paſſum; ſed & in throno ſedentem recordamur. Et dum nobis ipſa pictura quaſi ſcriptura ad memoriam Filium Dei reducit, animum noſtrum aut de reſurrectione laetificat, aut de paſsione demulcet.* Omnes SS. Patres, omnis aeui Eccleſia Catholica in hoc ſenſu conquieſcit. Si quis aliter ſentit, haereticus eſt; & D. Auguſtinus in cenſum haereticorum Marcellinam retulit lib. de Haereſ. quae Carpocratis auſculatrix imagines IESV, & Pauli, & Homeri, & Pythagorae coluit, adorauit, incenſum gentili errore eis oppoſuit. Gladius porro, quo Pauli lactea ceruix inciſa, ſeruatur ab Hiſpanis in coenobio D. Hieronymi de la Siſſa, quem Illephonſus Giron ſaepe vidit, veneratus eſt, atque exoſculatus.

Digitized by Google

CAP. XII.

Pauli in manu liber, aut ſol cur pingatur. Deque Pauli Epiſtolis.

PLERIQVE Pauli viuos de marmore vultus ducentes, aut pingentes in tabulis, librum in manuum alteram indunt. Sic adſtat adfabre tornatus ad columnam in D. MARIAE aede apud Neruios. Quo ſpectato, nulli non venit in mentem Pauli ſcriptorum, quae ſe Eccleſiae terrarum comtos foetus oſtendunt. Epaminondae moribundi fortunam qui deploraret, non defuit: quod vir tantus improlis abiret ad plures nullo virtutum, ac ſanguinis haerede inſtituto. At ille contra fatum impendens, ac male feriati hominis querelam, victoriam Leuctricam filiam ex ſe natam, Thebanae Reipub. relinquere profeſſus eſt, *quae non modo mihi ſuperſtes, ſed etiam immortalis ſit, neceſſe eſt*, inquit. Epaminondas, & Paulus inconiugi, immortalem ſibi tamen gloriam armis, & ſcriptis peperere. D. Ambroſius ſerm. 68. *Vbi autem verba Apoſtoli Pauli non leguntur? quis locus ea literis non inſcribit, corde retinet, conuerſatione cuſtodit? quia Paulus a Domino vas electionis eſt nominatus.* Nicephorus Calliſtus de Pauli libris: *In omnibus, quae ſub coelo ſunt, Eccleſijs auctoritatem ſacroſanctam, & irrefragabilem obtinuerunt, & tanquam principia, atque elementa pietatis noſtrae ſempiterna*

Digitized by Google

permanſerunt. Sunt enim Pauli epiſtolae vitae, morumque characteres, fidei conciliatrices, ſemina gloriae. Ambroſius ſupra: *Quae epiſtolae, tanquam vbera eccleſiarum populos enutriunt ad ſalutem.*

Hos fructus in Eccleſia edidit Epiſtolarum Paulinarum inſtituta lectio publicitus, de qua S. Clemens Conſtit. Apoſtol. lib. 2. c. 57. *In medio autem lector ex loco edito legat libros Moſis.* Et poſt pauca: *Deinde acta noſtra legantur: item epiſtolae Pauli.* Vide, Lector, quam pridem factum. Iuſtinus Martyr Apologia pro Chriſtianis poſteriore ejuſdem priſcae, laudabiliſque moris meminit: Τῇ τοῦ ἡλίου λεγομένῃ ἡμέρᾳ πάντων κατὰ πόλεις, ἢ ἀγροὺς μενόντων ἐπιταυτὸ συνέλευσις γίνεται, καὶ τὰ ἀπομνημονεύματα τῶν Ἀποστόλων, ἢ τὰ συγγράμματα τῶν Προφητῶν ἀναγινώσκεται μέχρις ἐγχωρεῖ· εἶτα παυσαμένου τοῦ ἀναγινώσκοντος, ὁ προεστὼς διὰ λόγου τὴν νουθεσίαν, καὶ πρόκλησιν τῆς τῶν καλῶν τούτων μιμήσεως ποιεῖται: *Solis die, quam dicunt, omnium in agris, aut ciuitatibus commorantium conuentus agitur, & Apoſtolorum monimenta, aut Prophetarum ſcripta leguntur, quantum fas. Tum vt legi ceſſatum, conuentus Praeſes verbis commonet, hortaturq. ad ea bona imitanda, quae lecta ſunt.* Expreſſim quidem, ac nominatim Paulus hic non legitur, aliorum tamen Patrum traditioni congruenter commemoratione Apoſtolorum, quorum monimenta legantur in conuentu Chriſtianorum, Pauli, ſcriptorumque eius repetenda memoria. Diuus Chryſoſt. Praeſ. in epiſt. Pauli: Συνεχῶς ἀκούων ἀναγινωσκομένων τῶν ἐπιστολῶν τοῦ μακαρίου Παύλου, καὶ καθ᾽ ἑκάστην ἑβδομάδα δὶς, πολλάκις, καὶ τρεῖς. Optatus Mileuitanus lib. 6. ad Parmenianum: *Pollutos vocas, quia furtiuas vobiſcum non legimus lectiones: aut ne-*

gate vos alienas lectiones legere, ſi poteſtis. Vt quid audetis epiſtolas ad Corinthios ſcriptas legere, qui Corinthijs communicare noluiſtis? Vt quid ad Galatas, ad Theſſalonicenſes ſcripta recitatis, in quorum communione non eſtis? Ne Schiſmatici quidem a conſuetudine lectitandi Pauli epiſtolas abibant. Meminit quoque ingens Aquinas p. 3. q. 83. a. 4. in c. moris lectitandi publicitus Pauli epiſtolas in ſacroſanctae Miſſae officio. Haec Eccleſiae Catholicae conſuetudo diruit Ebionitarum ſcita, qui Pauli ſcripta recuſabant, tanquam Apoſtatae legis apud Irenaeum lib. 1. c. 26. Epiphan. haereſi 30. In quam dementiam iſſe a vero deuios Helceſitas ſcribit Euſeb. lib. 6. Hiſtor. c. 27.

Cur Pauli potius, vt epiſtolae praelégantur, inoleuit conſuetudo, quam aliorum? Haut ſine Numine. Euſebius Pamphili lib. 3. c. 24. Ὁ γοῦν Παῦλος πάντων ἐν παρασκευῇ δυνατώτατος λόγων, νοήμασί τε ἱκανώτατος γεγονὼς οὐ πλέον τῶν βραχυτάτων ἐπιστολῶν γραφῇ παραδέδωκε· καίτοι μυρία γε, καὶ ἀπόρρητα λέγειν ἔχων, ἅτε τῶν μέχρις οὐρανοῦ τρίτου θεωρημάτων ἐπιψαύσας, ἐπ' αὐτόν τε θεοπρεπῆ παράδεισον ἀναρπασθεὶς, καὶ τῶν ἐκεῖσε ῥημάτων ἀπορρήτων ἀξιωθεὶς ἀκοῦσαι. Ea nimirum perſuaſerat opinio, etſi in pauca ſua contuliſſet ſcripta, ea tum hauſta de coelo, cum in Deo dignum Paradiſum ereptus tertij coeli fornices contemplans attigit, etſi infinita arcana alia percepit. Ita eſt, ſunt in epiſtolis Pauli ſenſus plane diuini, & quib. a terrenis deſiderijs mens auocata mortalium, coeleſtium rerum iugi deſiderio, ac meditatione paſcatur, & vnicum IESVM affectibus ſuſpiret irrequietis. Et hoc fomite πυρσοπόκῳ flammas amoris in proximum concepit D. Ioan-

nes Chryſoſtomus, & ardorem dicendi. Quippe cuius ante oculos ſemper obiecta Pauli effigies, auctore S. Ioanne Damaſceno lib. de Imaginibus. An & illa cum libro in manu?

Porro vt lectores bonae mentis Paulinarum epiſtolarum lectione, ſiue in auſpicanda, & confouenda fide, ſiue in vitae regula mirifice iuuabantur: ita haeretici, quibus fidem labefacere, ac mores deprauare ſtudium fuit, epiſtolas has debilitare, ac deartuare moliti ſunt. Queritur D. Irenaeus lib. 1. cap. 29. *Similiter autem & Apoſtoli Pauli epiſtolas abſcidit, auferens quaecunque manifeſte dicta ſunt ab Apoſtolo de eo Deo, qui mundum fecit: quoniam hic Pater Domini noſtri IESV Chriſti, & quaecunque ex propheticis memorans Apoſtolus docuit praenunciantibus aduentum Dei.* Ah! praua conſilia non valeſcunt. Quaecunque Marcion de Pauli moneta circumcidit, facile fuit redintegrare, nitorique reſtituere, ſparſis iam per orbem vniuerſum viri tanti ſcriptis immortalibus.

Neque abſque nota praetereunda Pauli αὐτουργία, qui vti victum ſibi, ſuiſque manibus proprijs quaeritabat vir impenſiſſime laborioſus, qui Cleanthas multos vigilatis noctibus ſuperabat: ſic omnia ſcripta manu ſua perſcripſit, aliena recuſata opera, nec eorum more, qui delicatuli paene otioſi per amanuenſes omnia conficiunt. Deo ſeruire ſibi propoſitum norat: vnde nulli parcebat labori, cui aeternam a Deo gloriam repoſitam ſciebat, & ſperabat. Hoc ipſe teſtificatur, aut potius in exemplum Pauli manu deſcriptum, mundo Deus proponit, ad Galatas cap. 6. Ἴδετε γὰρ πηλίκοις ὑμῖν γράμμασιν ἔγραψα τῇ ἐμῇ χειρί: *Vi-*

Digitized by Google

dete quibus literis ſcripſi vobis manu mea.

Fuerunt autem Pauli manu epiſtolae in membranis inaratae. Colligimus hoc ex eius ore 2. ad Timotheum cap. 4. Τὴν φελώνην, ἣν ἀπέλιπον ἐν Τρωάδι παρὰ Κάρπῳ, ἐρχόμενος φέρε, καὶ τὰ βιβλία, μάλιστα δὲ τὰς μεμβράνας: *Penulam, quam reliqui Troade, affer tecum, & libros, maxime autem membranas.* Praelibata nobis haec ſunt lib. 1. cap. 19.

Alij cum Paulum pingunt, non librum in manu indunt, ſed ſolem coruſcantem, non obſcuro indicio Paulum fidei luce mundum colluſtraſſe, qua viuae vocis oraculo, qua epiſtolarum radio, & mundi Lumen fuiſſe: ſit fas ita cum D. Chryſoſtomo fari.

CAP. XIII.

Laudum Pauli Breuiaria.

ENASSE tandem ex tam immenſo laudum Sancti Pauli oceano dum geſtit animus, conquieſcat velim in ſancti alicuius Patris ſinu, cuius ſibi vicariam, precariamque operam ſufficiat. At cuius? Video, audioque S. Auguſtinum iſta cum Deo colloquentem lib. 7. Confeſſ. cap. 21. *Auidiſſime arripui ſtilum Spiritus tui, & prae caeteris Apoſtolum Paulum.* Creber vbique Auguſtinus Pelagianos, caeteramque haereſeos faecem pulſat Pauli Mauri iaculis: multam vbique facem Scripturae mutuatur ab

hoc ſole. Et cum Auguſtino quis Patrum vel ex Latio, vel ex Hellade non idem factitat? Verum vt Apoſtolis doctrinae amplitudine, rerumque geſtarum gloria, & aerumnarum tolerantia vnus antiſtat Paulus: ſic qui Paulum non lectione tantum expreſſerit, ſed qui zelum ipſius ardentiſſimum in penetrales animi ſinus admiſerit, qui concionando aemulatus ſit, qui ſenſa eius largius combiberit, qui plus ei fauoris, honoris, gratiae, auctoritatis conciliauerit, vnus paene prae caeteris eſt Diuus Ioannes Chryſoſtomus, cuius ex Commentarijs ad Romanos, hac vltima adorea Paulum mactabo: *Quis mihi det Pauli corpori circumfundi*, inquit, *& affigi tumulo, & illius videre corporis puluerem, cuius ope quoque terrarum peruagatus eſt? Illius, qui quae defuerunt Chriſto, explebat: illius, qui ſtigmata portabat: qui vbique fidei praedicationem diffundebat. Videre oris illius puluerem, per quod Chriſtus loquebatur, & lux enituit quouis fulgore ſublimior, & vox proſiluit quouis tonitru daemonibus terribilior. Neque enim nobis tonitru tam formidabile, quam Pauli vox daemonibus. Nam ſi veſtimenta Pauli horrebant, quanto magis vocem? Huius ego oris puluerem videre peruelim, per quod magna, eaque arcana Chriſtus locutus eſt, atque etiam maiora, quam per ſeipſum: per quod beatam illam erupit in vocem: Optabam ego anathema eſſe pro fratribus meis: per quod coram Regibus abſque rubore verba fecit: per quod fugere daemones, non audientes dumtaxat, ſed eminus: per quod quae in terris, quaeque in coelo ordinata ſunt omnia, & quidem eo quo voluit modo, vinciens quos volebat, atque inibi ſoluens pro poteſtate ſibi tradita,*

Digitized by Google

Quis mihi puluerem Paulini cordis oſtendat, quod vrebatur cuiuſque exitio, & abortiuos foetus iterum parturiebat? Hoc ego cor vel diſſolutum videre optem. Cor illud coelo celſius, terra latius, ſolari radio laetius, igne calentius, adamante firmius: cor noua viuens vita potius, quam vita hac noſtra. Viuo ego, iam non ego: viuit vero in me Chriſtus, inquit. Chriſti igitur cor erat cor Pauli, Spiritus S. tabula, gratiae liber. Cor amore Chriſti ſic dignatum, vt nemo alius aeque amarit: cor, quod mortem, quod gehennam ſpreuit, quod lacrymis fraternis conterebatur. Nam quid, inquit, agitis flentes, & frangentes cor meum? Illarum quoque manuum videre puluerem peruelim, quae catenis attinebantur: manuum illarum, quarum impoſitione Spiritus S. conferebatur: manuum, quibus diuinae literae ſcribebantur: Vide qualibus literis vobis ſcripſi manu mea: manuum, quas cum vidiſſet vipera, igni illapſa eſt. Peruelim videre puluerem oculorum, qui rite excaecati, rurſus in ſalutem orbis terrarum reluminati ſunt. Peruelim & illorum pedum videre puluerem, qui orbis terrarum habitabilem, atque inhabitabilem plagam peruolitarunt: pedum ligno adſtrictorum, cum carcer ipſe trepidauit. Ecquid vero vota mea ſingillatim effero? Peruelim ipſum illum leonem ſpiritualem videre. Nam veluti leo ignem ab oculis iaculans in vulpecularum greges: hic in Daemonum, Philoſophorumque ſocietatem incidit, & ſicut fulminis iactus in Diaboli phalanges impactus eſt. Sit tandem modus, ſit prorſus, ſit vorſus.

Digitized by Google

CAP. XIIII.

PASSIO APOSTOLORVM *Petri, & Pauli:*

Ab Aurelio Prudentio Clemente V. C.

PLVS ſolito coëunt ad gaudia: dic, amice, quid ſit?
Romam per omnem curſitant, ouantque.
Feſtus Apoſtolici nobis redit hic dies triumphi,
Pauli, atque Petri nobilis cruore.
Vnus vtrumque dies, pleno tamen innouatus anno,
Vidit ſuperba morte laureatum.
Scit Tiberina palus, quae flumine labitur propinquo,
Binis dicatum caeſpitem trophaeis.
Et crucis, & gladij teſtis, quibus irrigante eaſdem,
Bis fluxit imber ſanguinis per herbas.
Prima Petrum rapuit ſententia legibus Neronis,
Pendere iuſſum praeminente ligno.
Ille tamen veritus celſae decus aemulando mortis,
Ambire tanti gloriam magiſtri,
Exigit vt pedibus merſum caput imprimant ſupinis,
Quo ſpectet imum ſtipitem cerebro.
Figitur ergo manus ſubter, ſola verſus in cacumen,
Hoc mente maior, quo minor figura.
Nouerat ex humili coelum citius ſolere adiri.
Deiecit ora ſpiritum daturus.
Vt teres orbis iter flexi retro percurrit anni,
Diemque eundem ſol reduxit ortus:

Digitized by Google

Euomit in iugulum Pauli Nero feruidum furorem:
Iubet feriri gentium Magiſtrum.
Ipſe prius ſibimet finem cito dixerat futurum:
Ad Chriſtum eundum eſt: Iam reſoluor, inquit.
Nec mora: protrahitur, poenae datur, immolatur enſe.
Non hora vatem, non dies feſellit.
Diuidit oſſa duûm Tiberis ſacer ex vtraque ripa,
Inter ſacrata dum fluit ſepulcra.
Dextra Petrum regio tectis tenet aureis receptum
Canens oliuo, murmurans fluento.
Namque ſupercilio ſaxi liquor ortus excitauit
Frondem perennem chriſmatis feracem:
Nunc precioſa ruit per marmora, lubricatque cliuum,
Donec virenti fluctuet colymbo.
Interior tumuli pars eſt vbi, lapſibus ſonoris
Stagnum niuali voluitur profundo.
Omnicolor vitreas pictura ſuperne tinguit vndas,
Muſci reluſcent, & vireſcit aurum,
Cyaneuſque latex vmbram trahit imminentis oſtri.
Credas moueri fluctibus lacunar.
Paſtor oues alit ipſe: illic gelidi rigore fontis
Videt ſitire quas fluento Chriſti.
Parte alia titulum Pauli via ſeruat Oſtienſis,
Qua ſtringit amnis caeſpitem ſiniſtrum.
Regia pompa loci eſt: princeps bonus has ſacrauit arces,
Luſitque magnis ambitum talentis.
Bracteolas trabibus ſubleuit, vt omnis aurulenta
Lux eſſet intus, ſeu iubar ſub ortu.
Subdidit & Parias fuluis laquearibus columnas,
Diſtinguit illic quas quaternus ordo.
Tum camuros hyalo inſigni varie cucurrit arcus:
Sic prata vernis floribus renident.

Digitized by Google

Ecce duas Fidei ſummo Patre conferente dotes,
Vrbi colendas quas dedit togatae.
Adſpice, per biſidas plebs Romula funditur plateas:
Lux in duobus feruet vna feſtis.
Nos ad vtrumque tamen greſſu properemus incitato:
Et his, & illis perfruamur hymnis.
Ibimus vlterius, qua fert via pontis Adriani:
Laeuam deinde fluminis petemus.
Tranſtiberina prius ſoluit ſacra peruigil ſacerdos:
Mox huc recurrit, duplicatque vota.
Haec didiciſſe ſat eſt Romae tibi: tu domum reuerſus,
Diem biſeſtum ſic colas memento.

MARCI HIERONYMI VIDAE, Cremonenſis Albae Epiſcopi, Hymnus D. Paulo ſacer.

ET ſunt, qui tendant coeli explorare profunda
Conſilia, ac penitus tectas deprendere cauſas:
Nec dubitent in ius prope ſacra voce vocare
Regem ipſum coeli, ſi forte quid euenit vſquam
Legibus a noſtris quod longe, ac moribus abſit,
Obductum nube, ac picea caligine opertum.
Non equidem meritis praeſentē Numinis auram
Aſſequimur freti noſtris: noſtrique labores,
Aut benefacta parum proſint, ni deſuper adſit
Auxilium prius, & fauor omnipotentis olympi.
Ecquibus

Digitized by Google

Ecquibus egregie factis, quo munere Saulus,
Qua pietate Deum ſibi conciliauit, vt vltro
Tam nigra mentis de nocte repente vocatus
Tam claram in lucem, tantiſq. ereptus ab vndis,
Tam tuta pelagi ſecurus in arce ſederet?
Ille quidem primis veri contemtor ab annis,
Gaudebat Chriſto infeſtis ſe opponere ſignis,
Ne noua relligio ſurgens ſe ferret in auras,
Quam Pater omnipotens tandē mortalib. aegris
Oſtendit placitam ſibi priſca nube remota,
Legiferi aduentu nati, qui cuncta nouaret.
Quoque magis ſancti cultores incumbebant,
Hanc veluti eductā ſtruere, atq. attollere coelo,
Atque recens latas orbi diffundere leges:
Acrius hoc vrgens animis hoſtilibus ille
Omnia deturbare, pijſque obſiſtere coeptis.
Tantus amor patrias inerat defendere leges.
Ille etiam cum paene puer pubeſcere primum
Inciperet, mollique genas veſtire iuuenta,
Sacrilegis ſeſe adiunxit ſocia arma ſequutus,
Dum Solymi inſontem ſaxorum grandine dira
Obruerent iuuenem, qui primus ſanguine fuſo
Poſt coeli indigno mulctatum funere regem
Purpurea meruit caput inſignire corona.
Nec dehinc ille etiam creſcens iuuenilib. annis
Deſtitit incepto, vſq. pijs minus aequus ad vnum
Omnibus intentans letum, genus omne peroſus:
Donec praecipitē Altitonans, & ad ima ruentem
Suſcepit Pater, eximioque euexit honore.
Proh coeli obſcuras latebras, noctēq. profundā!
Senſibus a noſtris quantum ſummota recedunt
Coelicolum arbitria, & ſortes, abſtruſaque iura
Iuribus humanis quanto diſcrimine abhorrent?

Omnibus horror erat Saulus meliora ſecutis,
Caede madens multa infandũ, plenuſq. minarũ,
Terrorumque potens Solymûm ſaeuibat in oris.
Forte olim miſſus primorum gentis ab vrbe
Arduus ibat equo, galea, criſtiſque ſuperbus,
Enſe minax, haſtaq. & ahena luce coruſcus.
Haud impune olli quiſquam pius obuius iſſet:
Quippe magiſtratus iuſſu diſcrimine nullo
Correptos omneis atrox in vincla petebat,
Quos pietas noua, relligioque incepta tenebat.
Iãq. aduectus erat prope opimæ antiqua Damaſci
Moenia, iam ſummas ſpectans de vertice turres,
Et iam ſe caedi ſpirans immane parabat,
Terribiles acuens animos, iraſque, manuſque.
Qualis nocte lupus, quem dudum inſana libido
Faucibus errantem ſiccis exercet edendi,
Cum caulas videt, & balatus haud procul audit,
Incaſſum fremit, ac rictus fruſtatur hiantes.
Protinus aetherea ſuperûm regnator ab arce,
(Qui coeli tantus fauor?) haec ſpeculatus, amico
Lumine reſpexit iuuenem in ſua damna ruentem,
Suppoſuitq. manum dexter, mentẽq. benignam
Concipiens in eum praeſenti Numine fouit.
Namque improuiſo vibratus fulgor ab aethra
Tendenti venit ecce repens: & luminis aura
Afflatum aetherea lux plurima circumfulſit.
Ilicet actus equo ad terram ruit, atque relictis
Calce petens auras iacuit reſupinus habenis.
Audijt hinc vocẽ horrificã: Quid, Saule, quid vl-ſtra,
Saule, furis, mihiq. aduerſis opponere caſtris?
Nequicquã cœlo arma moues, ſtimuloq. repugnas.
Saulus ad haec tenebris ſuſtollẽs lumina obortis,
Quaeſiuit lucem fruſtra, extimuitque negata.

Demum haec ſummiſſo vix hiſcens pectore fatur:
Sancte, edice: mones quaecũq. ego iuſſa capeſsã.
Vix ea cum volucres vox rursũ audita per auras:
Surge age, ſolue metus, vrbi ſuccede propinquæ:
Hinc reſpõſa feres, quae porro obeũda tibi inſtẽt,
Qui te hac dehinc maneãt pro relligione labores.
Quae pariter comitũ iuxta manus audijt omnis,
Obſtupuere viri: nam vox veniebat ad aures
Omnibus hauſta quidẽ: ſed vocis cominus auctor
Nuſquam apparebat vocalibus abditus auris.
Vix aegre ſeſe attollens ſurrexit, iterque
Ingrediens fruſtra tenebris tentauit in atris.
Lapſantem, & dubios nitenti cuſpide greſſus
Firmantem manibus ſocij intra moenia ducunt.
Iam treis in tenebris exegerat vrbe receptus,
Et frugum, & laticum penitus ſine munere ſoles:
Cum ſubito Ananias, quo non ſeruantior aequi
Tunc illa vrbe fuit, nec coelo gratior alter,
Hoſpitis antiqui penetrali in ſede iacenti
Improuiſus adeſt, iuſſis coeleſtibus actus,
Compellatque virum, & diuino pignore firmat.
Saule, ades huc animo: tibi amico ab numine veni,
Luminis amiſſi iucunda vt luce recepta,
Deſuper aſſleris coeli omnipotentibus auris.
Haud ignota audis, eadẽ ſcio: nam modo qui me
Huc adigit, tibi detexit manifeſtius idem.
Ille tuos etiam mihi porro oſtendit honores.
Quanta tuae faueat coeli indulgentia laudi:
Quam iunctus ſuperûm ſis Regi prae omnib. vnus
Delectus iam, qui totum noua ſacra per orbem
Diuulges verborum opifex, vberrimus oris.
Quae furijs modo carpebas agitatus iniquis,
Omnibus haec propter caput obiectare periclis

Haud renues, vltroq. inſigni occumbere leto.
Haec fatus liquida accuruum luſtrauit in vnda,
Vnde animis ſcelus eluitur, veterumq. parentum
Crimine contractae excedunt contagia labis.
Inde manum ſuperimpoſuit, templiſque ſacratis
Praepoſuit, populiſq. ducem dedit eſſe docendis.
Interea afflato viſi caua lumina circum
Scintillare ignes, velutique erumpere ahenae
Squamae oculis, lucemq. hauſit, viſuſq. recepit,
Atque ſuae victu rediere in priſtina vires.
Continuo Saulo plane mutatus ab illo,
Qui modo vbique pios ferro, vincliſque petebat.
Longe alios verſo accepit cum nomine ſenſus.
Et iam Paulus erat, ſubito illi copia fandi
Verborum, rerumque potens prudentia venit
Orta magis, ſtudio quam, aut vllo parta labore.
Iam claros hominum fandi fabricator adibat
Conuentus, medioque foro diuina loquutus,
Pendentem populum inſueto ſermone tenebat:
Semine ab aethereo terris veniſſe virum, quem
Venturum toties vates cecinere per orbem,
Quo veterum lueret ſcelus exitiale parentum
Proditus, & laeſum placaret ſanguine Numen
Ipſe ſuo, morti pro cunctis deditus vnus. [bat,
Atq. haec crebra quidē, populoſq. ad ſacra voca-
Multa querēs ſuper extincto, ſuper arbore multa
Infami, & poenas fando integrabat acerbas.
Obſtupuere omnes, nimiumque ea mira videri.
Vnde noua haec ſpecies, tā verſa repente cupido?
Et veterem in Pauli quaerebant pectore Saulum.
Haud aliter ſuadente fame implacabilis ingens
Exitium pecori modo qui, caedemque parabat,
Ille lupus, pleno ſi forte receptus ouili
Digitized by Google

Miteſcat, iamque inter oues innoxius erret,
Et pauidos lambat, linguaque remulceat agnos.
Nec mora iam Solymũ magnae quoque redditus [vrbi
Commouit totã monſtris ingentibus oram.
Vix oculis credunt: nec primum fiditur illi:
Inſidiaſque pij metuunt: vix ducere amicum
Poſſunt, quem tot erant experti caedibus hoſtem.
Parte alia patrijs trepidi pro legibus omnes
Concurrunt vrbis primi, durique reſiſtunt:
Et ſe certatim contra exhortantur ad arma,
Bella cient, & ſaxa fremunt, rapit arma iuuentus.
Ille autem, nulliſve minis, nulliſve periclis
Territus inceptis perſtat, nec flectitur vſquam.
Quove magis pugnant acres, hoc amplius ore
Fulminat, atque aperit vetiti noua lumina veri,
Praefatus ſanctas nil ſe conuellere leges;
Sed legum arcanos penitus recludere ſenſus,
Amotiſque palam nebulis oſtendere ſolem.
Dum loquitur, circum ora ſilent, & ſenſibus imis
Illapſus faciles animos, ac mollia fando
Fingit corda premens, viuaeq. loquentis ab ore
Viſae exire faces, labriſque erumpere flammae,
Et vibrans rupto velut aethere lingua tonare.
Iamque Palaeſtinam monitis impleuerat oram,
Atq. omnes genus Iſacidum quas incolit vrbes,
Cornigeri degens ſub vatis legibus aeuum,
Cum Pater omnipotens templi in penetralib. altis
Aſtitit oranti, atque alias quoque luce carentes
Iuſſit adire plagas, aliaſque capeſſere gentes,
Barbaricas, Graiaſque, Italoq. a ſanguine cretas,
Quas coleret, luciſque nouae ſplendore rigaret:
Nil veritus, fidens nil ſe praeſente timeret.
Ergo animi intrepidus nil ille horrebat acerbi,

Digitized by Google

Omneis per mortes mente imperterritus ibat,
Sponte ſua, quas aerumnas, quos mente labores
Inuicta tulit, huc, illuc, terraque, marique
Iactatus? non ille dapis, non ille quietis,
Aut ſomni memor inſtabat, placitoque labori
Indulgere, odijs primorum objectus iniquis.
Ille etiam inſidias muro demiſſus ab alto
Per funem euaſit, nocti & ſe credidit atrae.
Ille etiam ſaxis quoties iactante petitus
Plebe tulit diros lapidum ſub grandine iactus?
Terque magiſtratus virgis per compita ſectus
Contempſitque minas, ignominiaeque pudenda
Verbera diuini facibus ſuccenſus amoris.
Iamque illi carcer requies erat; vſq. adeo omnes
Pertulerat lethi ſecurus vincla per vrbes.
Quid referam quoties veluti contagia ſecum
Dira ferens fuerit muris excluſus, & atra
Nocte graues tulerit coeli intractabilis iras,
Inter ſaxa iacens pernox, ſociuſque ferarum
Montibus aut gelidis, aut horriferis ſpeluncis?
Flumina non illum ab ſtudio torrentibus vndis,
Aut obiecta feri tardarunt aequora ponti,
Terq. mari in medio fracta rate nauit, & hauſtus
Noctem omnem, totumq. diem ſub gurgitis imo
Deerrauit lethi paruo diſcrimine fundo:
Vt ſileam inſidiaſq. hominũ, incurſuſq. ferarum,
Et quae mille die non parua pericula adiuit,
Hic illic, quo mortales in nocte iacentes
Obſcura erigeret bonus, in lucemque vocaret,
Palanteſque, procul que errantes tramite recto
Inueheret coelo ſibi per diuortia nota.
Cernere erat late hic, illic, per regna, per vrbes,
Atque hos, atque illos ad verae ſurgere lucis

Digitized by Google

Lumina, luſtrarique vndis, & credere dictis.
Felices, Paulum magno quibus ore tonantem,
Mulcentemq. iras, inuictaq. corda prementem
Corã audiſſe datũ eſt, quãtus ſcelera impia fando
Inuectus quateret, quantis aſſurgeret vndis:
Vel cũ Rege ſatũ ſuperûm omnipotente referret,
Morte ſua noſtris vltro cauiſſe periclis,
Quãta animos moeſti afficeret dulcedine amoris,
Egregius linguae foecundo pectore veri,
Quantove ipſe loquens intus flagraret amore.
Fruſtra eadem ſeri optabunt vidiſſe nepotes,
Et votis hoc in ſummis numerabitur vnum.
Iamq. ea Graiugenum regnabat lingua per vrbes
Altitonans, victrixq. animos ducebat hiantes:
Iamque nouis Aſiam ſacris permouerat omnem,
Reſque illi externis melius ſucceſſit in oris,
Verus vbi penitus Deus omnipotentis olympi
Rex ignotus erat; ſed dijs ſimulata colebant
Saxa hominum multo manuum fabricata labore;
Iamq. opibus quondã Romae ſuſpectaCorinthus
Paene omnis nutare, ſuae & diffiſa Dianae
Alta Epheſus celebri paulatim abſiſtere templo,
Mirataeq. virum doctae narrantur Athenae
Orantem, ignotique Dei noua ſacra canentem,
Carmine quo capti e primoribus Actaeorum
Nonnulli ad verum properarunt ſurgere lumen,
Signorum memores, quae quondã maxima Sole
Viderunt nulla coeli ratione ſubacto,
Cernere dum piget aeterni fera funera Regis.
His actis venit in mentem Solyma alta redire,
Quamuis multa palam vatum reſponſa minẽtur,
Vinculaque ipſe ſibi vulgo canat inde, futurumq.
Exitium, ſua nec gratis vltra ora videnda.

Digitized by Google

Hic circumfuſi nequicquam plurima amici
Orabant, fletuque amplexi genua tenebant,
Parceret, infenſae ne ſe committeret vrbi
Rurſus, vbi nuper perpeſſu haud mollia paſſus.
Ille autem precibus nequicquam flectitur vllis,
Coeptũ tẽdit iter: nec quae tulit aſpera quondã
Nunc ſubeunt; ſed quo grauiora inſtare pericla
Sentit, eo maior ſemper furit ardor eundi:
Qualis nocturni pingues ad luminis ignes
Plurimus illectus volitans fert tangere flammam,
Iucundam viſu, propiuſque accedere lucem
Vſque ſibi admotam, licet experiatur iniquam,
Vrat & extremas in amatis ignibus alas:
Non tamen abſiſtit ludo: ſed lumina circum
Itque, reditque, vagoque aſſultat plurima gyro,
Dum cadat, & moriens crepitanti pendeat igne.
Tantus amor lucis, flammae tam dira cupido.
Talis abire fuga, Paule, imperterritus ardet.
Nulla quies animo: non mentem horrentia vatũ
Dicta mouent, coeliq. minae, quaeq. ipſe videbas
Praeſcius Iſacidum tibi tendi vincula in oris
Primorum ſcelere, inuidia flagrantis Idumes.
Denique Romulea portendi funera in vrbe
Noctes atque dies optanti pectore verſas,
Inſtent quanta tibi capto diſcrimina terra,
Quanta mari Auſonias ibis cum vinctus ad vrbes.
Littora Graiorum ſubeunt relegenda, tot orae,
Tot maria, atq. vrbes, pelagoq. tot inſulae in alto,
Bellaque ventorum, tempeſtateſque futurae:
Italiae tandem portus, Lauiniaque arua,
Et pulcher Tyberis: tibi enim ſuper omnia in ipſis
Roma oculis, diruſq. Nero eſt, & Romulus enſis.
Felix Roma ducum non tantum elata trophaeis,
Digitized by Google

Quantum morte tua, felicique inclyta buſto.
Scilicet huic vni coelum conceſſerat vrbi,
Vt Cilicas inter natus Perſeïde Tarſo,
Quam vaſtum procul a noſtris mare diuidit oris,
Hic ſpolijs moriens peteres ſupera alta relictis:
Illa tuos obitus vidit miſerata cadentem,
Explentem Regis crudeles ſanguine poenas,
Regis inhumani materna caede madentis.
Illa tuum vidit caput a ceruice reciſum,
Dum caderet, reſilire icta ter pondere terra,
Atque ſolum vndanti toties ſignaſſe cruore;
Ad ſignum ſubitos laticum erupiſſe liquores,
Treiſq. adeo, vt fama eſt, ſecretos margine fontis
Diſſiluiſſe, noua & maduiſſe aſpergine terram.
Nunc etiam ſanctas venerati viſimus vndas,
Teque illi ſocium donis, & honoribus addunt
Vſque parem, cui Rex coeli mortalia linquens
Credidit arbitrium, ac rerum commiſit habenas.
Vtque tibi conſors fuit hic necis, atque laborum,
Sic arae, ſic ſacrorum tibi iunctus honore eſt.
Oſſaq. veſtra tegit pariter commune ſepulcrum.
Vos ambos pariter iuuat altae moenia Romae
Tutari, atque Italas ſtudijs conſortibus vrbes.
Tu Regis superûm interpres lectiſſimus vnus
Ante alios, vatumque potens, orbiſque magiſter,
Terrarum edoctae tibi debent vndique gentes,
Acceptamque ferunt veram tibi ſaecula lucem.
Ipſi biſſeni, rerum queis credita cura,
Mirati proceres te mira arcana canentem,
Linquentem terras, atq. aethera voce ſequentem.
Inter quos ipſum, qui ſeſe primus agebat,
Cum veri ſpecie deceptus tramite recto
Digrediens dubia inciperet regione vagari,

Digitized by Google

Corripere, in meliuſq.auſus reuocare magiſtrum
Tu falſo Argolicae deluſũ Numine pectus [es.
Virginis, atq. illam rabido actam ſaepe furore
Sedaſti, veroque impleſti Numine verſam.
Tu falſum magicis vatem artibus illudentem,
Et tibi nequicquam verbis certare parantem
Obtutu ſolo terres, & lumen obortis
Victo adimis tenebris, caecũq. in nocte relinquis,
Quaerentem tenues manibus prenſantib. auras,
Quo nitens trepida regeret veſtigia dextra.
Vnus amor tibi fixus erat, cura vna ſepultas [cis;
Nocte animas reuocare nouæ ad noua lumina lu-
Vtq. nouam ſemper traheres ad retia praedam,
Omnibus omnia eras; tu ciuis ciuibus ipſis,
Inter & externos externi verba ſonabas.
Romanis Romanus eras, & Achiuus Achiuis,
Omnes obſequio, ſimulatis moribus omnes
Concilians. ſic credentem circumuenit auceps,
Et volucrem fictae deludit imagine vocis.
Nemo adeo vacuis Gallorum in ſaltibus olim
Venatu aſſiduo indulgens tot retibus apros
Implicat, aut canibus tot agit de vertice capros,
Quot tu hominum tibi corda die deuincta trahe-
Tu lupus ille, die primo naſcentis in ortu, [bas.
Caede madens toto multum graſſatus ouili,
Veſpere dein praedam ſocios partitus in omnes,
Biſſenûm vt procerum moriens pater ipſe minori
Praedixit nato, vnde tibi deſcendit origo.
Iam tunc ille tuos ſpe percipiebat honores,
Quae ſecum tulit ad manes ſolatia leti.
Quos vero ſemel illectos ſub ſigna vocaras,
Haerebant validis tibi iuncti nexibus, vſque
Certi animo te ardente ſequi quocunq. iuberes.

Illi etiam quo liberius coeleſtia obirent
Mente, alacres rebus ſpretis mortalibus agros
Vendebant, pretiumq. tuos aes grande ferebant
Ante pedes, tecum laeti omnes rebus egenis.
Tu vero placita tibi paupertate fluebas
Tecum diues opum, rerum licet omnium egenus,
Atque inopum potius vertebas omnia in vſus,
Et tibi dulce famem manuum tolerare labore.
Per populos ideo greſſum quocunque ferebas,
Ceu lux, gratus eras, & magni Numinis inſtar.
Digredientem aegre ſemper dimittere ciues
Cum gnatiſq. domoq. ad littora curua ſequuti,
Mutuaque amplexi, noctemque diemq. morati
Haerebant, totoque erat ingens littore fletus,
Remiuagamq. ratem, quo fluctibus vſq. dabatur,
Spectabant, donec pelago euaneſceret alto:
Vixque inde auelli poterant bona verba precati.
Rex etenim omnipotens, quo ſe noua tolleret
Te duce relligio, séſuſq. vt flectere quires, [aſtris
Spectantũ huc illuc, decus ori, oculiſq. decoram
Addiderat ſpeciem, diumque afflarat honorem
Tecũ habitans, intus diffuſus pectore toto. [bas.
Altior hinc, maiorq. homine haud mortale ſona-
Nam tibi ſufficere ille animo praeſentia ſemper
Verba niuis ritu, toto cum ex aethere ningit.
Ille tibi occultã quoq. vim inſpirare, nec vſquam
Deſerere, vt tanto poſſes ſuperare labori:
Claraque ſigna dabat coelo mortalibus, & te
Caſibus eripere interdum, varijſque periclis
Illaeſum, vt quondam, cum carceris ima teneres,
Nil opis expectans humanae, protinus ecce
Sub pedibus tota coepta omnia in vrbe moueri
Ingenti terrae motu, quo cuncta ſoluta

Digitized by Google

Vincula parietibus patefactis carceris vltro.
Olim etiam egreſſum naui te vipera ab igni
Experrecta petens morſu nihil obfuit acri:
Vipereum hinc parere tibi genus omne, tuoſque
Attrectare ferunt diras impune colubras.
Ille tuis etiam precibus, quaecunque petebas,
Annuere, humanis & nunquam viribus auſa
Poſſe tibi dabat, atque tuo indulgebat honori.
Hinc quib. impoſitis vmbrabas tempora palmis,
Protinus afflati coeli diuinitus aura
Tollebant actas ab humo ſuper aethera mentes:
Teque etiam orabant omnes, quib. aegra iacebāt
Corpora: tu miſeratus ope, auxilioque leuabas:
Et quoniam haud omneis poteras accitus adire,
Saepe tuis ipſos operibant veſtibus aegros.
Ad tactum pulſi linquebant corpora morbi.
Tu longo iam depoſitum languore parentem
Praeſidis Auſonij morbo de corpore abacto,
Seruaſti reuocans ad priſcae munera vitae.
Tu miſerū incuruis plantis genua aegra trahentē
Stare iubes, pedibuſque ſuis conſiſtere nixum.
Continuo ad vocem erigitur, mirabile viſu,
Inceſſu properata ferens veſtigia recto.
Tu puerum in ſomnis deiectum pariete ab alto,
Quaſſatumq. artus, crepitantiaq. oſſa refractum,
Morte obita luci reddis, flentique parenti
Incolumem, vtque prius, valido ſe robore agentē.
Tu tempeſtatem coelo multo ante ſereno
Praedixti, ſocijs nil tale timentibus augur;
Sed tamen e numero fracta rate defore nullum.
Haec propter tibi diuinos manus omnis honores
Cum ferrent, ſtruerentq. aras, & thura pararēt;
Tu fugis, inſpecto veluti qui forte colubro

Digitized by Google

Horruit, inque Deum oblatos traducis honores,
Qui mare, qui terras, coelũ, aethera, cuncta creauit.
Nos animas viles, mortalia corpora faſſus
Pulueris exiguam partem, nil tale merentes.
Cuncta accepta refers illi cui gratia, & omnis
Debetur cui laus, & honos, & gloria ſoli,
Quem propter tantos gaudebas ferre labores,
Praeque vno, vnius tantum inflammatus amore,
Omnia faſtidis, cupis hunc; nil caetera curas:
Hunc vnũ tibi cor, tibi mens hunc deperit vnum,
Quem ſemel expertus hauſiſti pectore toto,
Toto animo, tota ſecluſus corpore mente.
Fortunate animi, quod paucis contigit olim,
Hauſiſti mortalis adhuc mortalibus oris
Lucis inacceſſae iubar, immemorabile lumen.
Illa tibi viuo ſublata nube tueri
Ora datum eſt, quorum aſpectu illuſtrata beatur
Omnia, quae ſuperae vix poſſunt cernere mentes
Alituum coeleſtûm acies, gens incola coeli.
Fortunate animi, quam dulci pectus amore
Tunc tibi flagrabat? quanta dulcedine? quali
Nectare perfuſus praecordia diſtillabas?
O ego, cur illo infelix, ſi fontibus iſta
Praemia erant ipſis, non ſum quoq. tẽpore natus;
Seruatus ſterile, extremũque relictus in aeuum?
Scita tamen coeli alta latent, penituſque repoſta
Arbitria ad noſtros non peruenientia ſenſus.
Omnia quae te tunc oculis vidiſſe putarim,
Haec adeo ſunt illa, nefas quae ferre ſub auras
Mortali aiebas, ſed relligione premenda.
Hinc largum epotus mortali pectore flumen
Hauſiſti, quo corda rigas, quo plenus inundas.
Hinc largam effulgens mortali lumine lucem

Hauſiſti, qua corda reples, qua nubila differs.
Et licet omne ipſum vulgo diffundere flumen,
Arcanamque tibi vetitum ſit prodere lucem:
Attamen ipſe adeo torrens fluis vndiq. vt ad nos
Stillantes veniant transfuſae in pectora guttae,
Eque tuo erupti radij de Sole redundent.
Timotheus bibit inde, bibit Titus, inde Philemõ,
Et Solymi inprimis hauſere, humiliſque Coloſſe,
Cũque Epheſo,ſolo nũc nomine claraCorinthus,
Et Galatæ,&Macedũ populi,Æmathijq.Philippi,
Atque potens Latiũ, ac rerũ pulcherrima Roma,
Felices, queis parta tuis ea gloria dictis. [bunt.
Nunc etiam monimenta manent,ſemperq. mane-
Salue hominũ interpres, lux gentib. addite vbiq.
Nunc ades, obtentas hominũ de cordib. vmbras
Lumine pelle, tua luſtrati luce fruamur:
Nec tua quoſdam adeo dubios oracula reddant,
In parteiſque animos varias obnubila raptent,
Ne rem diſcerpens late diſcordia turbet.
Aſpice vt hinc illinc ſtudia in contraria paſſim
Oppoſitae inter ſe placitis diſcordibus vrbes
Confligant, ſua dum ſtudijs inuenta tueri
Aduerſis tendunt certi non cedere vtrique,
Inque ſuas certent hoſtes deducere parteis
Conuerſos: proh quãta animis diſcordia gliſcit?
Quam tenui, quam raptim ingens exorta fauilla
Vndique ſedato coelo caput extulit altum
Protinus, & terras regnat bacchata per omnes?
Illinc nos contra totis Germania caſtris
Inuehitur, veterumq. audet Patrum aurea ſcita
Oblinere, & ſanctas dictis euertere leges:
Siue errore nouo capti, tenebriſque ſepulti,
Seu potius ſcelus eſt, animiſq. volentib. errant.

Digitized by Google

Nos contra hinc tegimus priſcorum iura, tuiſque
Reſponſis freti leges tutamur auitas,
Fruſtramurque feros, vanoſque eludimus ictus.
Illis affer opem, tuaque alta ediſſere ſenſa.
Ipſe ades, atque animis te protinus inſere captis,
Vt tandem nebula lucem mirentur abacta.
At nobis, noſtris ſi quicquam moribus obſtat,
Si noſtris quicquam inſinceri mentibus haeſit,
Sit fas diluere; & precibus nos effice, & illos
Vnum omnes, ſimul infuſa quo luce fruamur
Vnanimes, poſitis odijs, eademque fouentes
Lucis inextinctae iubar: inuiolabile lumen
Quaeramus, vitamque inhiemus fine carentem.
Interea pietas ea nos, is mutuus ardor
Tantus edat, quanto te olim flagrare canebas,
Vt cuperes alijs praelatis omnibus vnus,
Aeternum miſer ipſe amplexu, atque ore carere.
Illius ore (ah! ne ſit fas mihi credere tantum)
Cuius ab aſpectu fluit illa immenſa voluptas,
Qua ſaturati animi coeleſtûm in ſaecula gaudent.
Hunc tu, oro, hunc nobis innecte algētib. ignē.
Hac flammae noſtro viuae vſq. in pectore alātur,
Dum tua fixi animis depaſcimur aurea dicta.
Tende preces ideo, noſtriſque occurre periclis.
Ille tibi orandus pro nobis, qui tibi ſeſe
Oſtendit coram, tenebriſque euoluit ab atris,
Vt, quoniā quos vult liber damnatve, probatve,
Hos acuens, illos permiſſa nube retundens,
Vt libet, ipſe operum dominuſq. potenſq. ſuorū,
Nobis corda ſinens non aſperet ipſe, ſed vltro
Molliat, atque ſua praeſens nos ſubuehat aura.

Digitized by Google

S. PAVLO APOSTOLO *Hymnus παλινῳδός.*

CLAVDIO DAVSQVIO.

PRINCEPS Adamus diuini Numinis inſtar
Quondam erat, & dominus, plagaeq. habitator Edenae.
Ibat ouans medios interſpatiatus honores
Numinis, atq. hominũ: mortiſq. ac funeris exp[ers.
At poſtquam ſaeua iam tempeſtate coorta
Numen, & imperium, mentemque vxorius vna
Exuit: ecce tibi tetrum peruaſit in omnem
Progeniem ſceleris virus, cunctaſque peruſſit,
Infecitq. animas. Ah! deteſtabile virus!
Principis Adami genus indubitabile Paulus
Per venas animae ſaniem traduxit auitam.
Hinc illa eſt rabies, hinc inſincera voluptas,
Qua cuſtodibat Stephano pereunte lacernas,
Iudaïci popli ſaxis imitantibus imbrem,
Angelicos vultus foedantis, & ora ruentis.
Hinc illa eſt rabies totos diffuſa per artus,
Qua Chriſtũ, Chriſtiq. gregem ferroq. miniſque
Impete fulmineo raptare, excindere prorſus,
Atque abolere parat caſſo molimine Saulus.
Non eſt hic IESVS, clamabat pectore ab imo:
Non eſt hic IESVS: non eſt de Patre propago.
Non eſt Saluator, cui priſca oracula dudum
Venturo in terras Iudaeae ſceptra dederunt,

Ieſſiadaeque

Ieſſiadaeque thronum. Non hic diademate fulſit
Regali, aut ſertis radiauit tempora gemmis;
Nullus obarmauit per rura ſatelles, equeſve.
Spretus, inops, nudus, reptãs per cõpita, & agros,
Luridus eſurie, ſitiens, & fontis egenus,
Diſſectus flagris, obnuptus tempora ſpinis,
Ac trabe ab infami vitam exhalauit in auras.
Hunc talem duodena canit tuba (credite mecũ)
Mundo, & Iudaeae letho peperiſſe ſalutem.
Non eſt hic IESVS: non his dominabitur oris.
Teſtor te Synagoga, cui me impendere certũ eſt
Et vitam, & quidquid reſtat mihi ſanguinis. Ibo,
Ibo alacer contra: ſurgentem euertere gentem
Chriſtiadũ noſtrũ eſt, haec debita adorea Saulo.
Huc pridem legis patriae reuerentia cogit.
Quidquid id eſt, quantumque coquit mens deuia Sauli
A recto, iuſtoque (nimis male deuia!) id omne
Primitus admiſſi ſceleris de fontibus hauſtũ eſt.
Qui negat hoc, quidquid Priſcis Eccleſia verax,
Quidquid & illa Nouis tabulis amplexa receptat,
Ille negare poteſt: modo frons ignara ruboris.
At veluti caecis odijs male foeta labanti
Perſis conſilio proprijs armata venenis,
Poma dedit Pharijs: ſed coeli mitior aura,
Et foecundus aquae ſepteno gurgite Nilus
Semina retractans vires ſtupefecit, & ipſa
Ingenium cognatum homini ſimul induit arbos.
Sic quidquid ſcelerũ eſt, labes proauita parauit,
Exque ſuis animi Paulus penetralibus hauſit.
At quidquid retro conuerſis Paulus habenis
Geſſit (ſeu pelago, ſeu terra geſſit) id omne
De IESV Saluatoris praediuite gaza,

Digitized by Google

Theſauriſq; ſacrae Charitos depromſit, & hauſit.
Siue catenatos infracto corde labores
Suſtinet, aut duris arctari membra catenis,
Implacidique ſimul compingi carceris antro:
Seu plagis toties repetito verbere Pauli
Ante oculos mortis ſe crebra effundit imago:
Seu quatit attonitum ſaxis crepitantibus horror:
Naufragio infames ſeu nocte, dieque fragores.
Quid memorem multa vigilatas in prece noctes?
Tot maria ingreditur vaſtas obeuntia terras,
Praedonum ſecurus, & imperterritus vſque:
Semina dum Fidei mandare noualibus ardet,
Ardet & abiunctas Chriſtum proferre per oras,
Atque antiſtitio ſceptris praeferre ſuperbis.
Tunc Pauli obtriuit falſos prudentia fratres,
Qui fraudum commenta tegebant fronte ſerena.
Haec nimia in terris ſurgunt aconita, repenteq.
Incautos iugulant ferali imbuta veneno.
Quaecunque illa fuāt, quāvis ingentia, & vltra
Humani ſortem ingenij, Chriſto duce, Paulus
Patrauit. Stimulis ſi quando rebellibus ictus
Carnis ab illecebra trepidat gemebūdus, abunde
Gratia ſuffecit Chriſti, & compagibus illum
Firmauit ſolidis, neu lubricus inclinaret.
Idem deſerta terrae ſtatione per aethrae
Adſcenſus varios ad coeli triſtega raptus,
Nectaris aetherij cum plenis faucibus hauſtus
Duceret, ebriaca iam mente, in corpore, an extra
(Quod minime puditū eſt Paulū neſcire fateri)
Neſcius, arcano quodcumque volumine coeli
Inſcriptum eſt, didicit: quae ſoli gratia Paulo
Obtigit a Chriſto. Chriſti indulgētia quāta haec!
Ante tubā palmā rapere, ad Superumq. receſſus

Digitized by Google

Nondum corporeis diſruptis artubus ire!
Forte Cherubinis ſociata ſede receptus
Diuinum Numen, maieſtatemque verendam
Proſpectat felix inconniuentibus oclis.
Fors Seraphinorum flammas imitatur, amoris
Atque pares flammas fert, & iaculatur, & ardet,
Quem quondã poſitum in terris incendia tanta
Corripuere Dei, & fraterni impenſius ignes
Tam validis vſſere modis, anathematis horror
Vt potius Pauli votis optabilis eſſet,
Quam fratres aliqua obrueret metuenda ruina.
O Paule, hoc aeſtu, hoc torrẽte abrepte tuorũ,
Exue nos ſegnes, quos mollis inertia dudum
Exoſo languere ſitu facit, exue nexu
Torporis; viuaſque faces ſufflamine ſancto
Pectoribus noſtris accende, & in omnia tecum
Nos rape depulſos terris: nos adde beatis

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google